a

ELVCIDARIVM
CASUUM
RESERVATORVM.

ELVCIDARIVM CASUUM RESERVATORUM

Cujus Prior Pars Resolutiva, concinnaque Methodo complectitur Selectas de Iure Reservante Resolutiones Ad Confessariorum Praxim potissimùm spectantes,

Altera verò summatim continens dilucidas Annotationes,

Et Resolutivam Praxim

IN CENSVRAS, ET CASVS In Diœcesi Brixiensi Reservatos.

AVCTORE

JOSEPHO CABRINO

Sacræ Theologiæ Doctore, Sanctæque Generalis Venetæ Inquisitionis Consultore.


PERILLVSTRI AC REVERENDISSIMO D. D.

JACOBO JANOLIO

Sanctæ Mariæ Formosæ, Plebano Meritissimo.







VENETIIS, M.DC.XCII.

Apud Antonium Bortolum.

SVPERIORVM PERMISSV.



Per Illustri ac Reverendissimo D.D.



Pollini laurus, Orpheo lyra, Herculi clava sacranda. Satis intelligis, quidhis innuatur SAPIENTISSIME, ac REVERENDISSIME PRÆSVL. ELVCIDARIVM, virtutum soli dicandum, nec fallimur. His nimirum effulges scientiarum splendoribus, ut quidquid perspicuum ex sacris doctrinis prodit in lucem, si tibi non offeratur, speciem gerat radii à Sole

divisi, qui licet splendidus, nec satis tutus videretur, nec fulgidus, quippe ab eo sejunctus, à quo lucis incrementa, decus, ac veluti patrocinium sumit. Quanta fuerit clarissimorum hominum in te observantia, qualis inter eos sapientiæ tuæ existimatio, vix concipi animo potest, cum propemodum à primis annis clarum virtutis specimen, impatiens ætatis ingenium objecerit. Morum probitas mentis præstantiæ æquabatur. Spectata religio, summa in omnes benevolentia, liberalitas, affectus, effusæ pauperibus opes, & quod ad nobilium omniumque studia erga se comparanda sat est, non labore animi, sed veluti nescius, & ad hoc ipsa ferente natura exercuisti. Talem nimirum sibi efformat, quem multis imperaturum destinat. Dignitas illa qua effulges, sine te patiebatur, sibique metuebat, cum te per dies jam suum expectabat. Major deinde sibi visa est, ut te excepit, major fuit. Quemadmodum enim dignitates dedecore aliquo afficiuntur, si à non integræ famæ hominibus gestæ sint; cur decus suum non augeatur, si à viro præ cæteris virtutibus insignito suscipiantur? Talem te fama commendat, actibusque talem te com-

pro-

probas. Vnam addas reliquis animi laudibus, mihi ſcilicet librum confeſſiones omnium audientibus neceſſarium edenti, patrocinium. Quid enim nobilius, quàm obſequio ſeſe ſubjicientes aliqua authoritate, ac beneficentia juvare? Hoc à Dominatione tua Reverendiſſima mihi ſpondere procul dubio auſus ſum. Librum interim hilari animo, lætis oculis perlegas, ac benignè intuere multos annos precantem, tibique ſe ſe addicentem in perennis famulatus obteſtationem

Per Illuſtris ac Reverendiſs. Domine

Humilimum, ac dedicatiſſimum famulum

Antonium Bortolum.

Ad

Ad Candidum Lectorem.

ELucidarium Casuum Reservatorum, non brevi concinnatum labore, in lucem prodit. Fateor in tam doctissimorum virorum immensa lucubrationum sylva nihil altiùs mihi animo insedisse, quàm ut informis hic labor latebras quæreret. Sed eam e vicit cogitatio, in hoc moralis doctrinæ pelago non ab omnibus scopulos omnes, in quos impingere Confessarii possunt, explorari. Lubuit verò istud in duas distinguere partes: quarum prior complectitur selectas de jure reservante resolutiones, quas de casibus in communi præmisimus, ut eorumdem in particulari facilior esset notitia, clariorque doctrina. Ab universalioribus enim sumendum esse in ordine doctrinæ principium, tradit Aristoteles in vestibulo lib. 1. de physico auditu. Quæ resolutiones cùm singulæ tùm gravissimorum Doctorum auctoritate, tùm firmis rationibus probè sint munitæ, in spem venio fore, ut tibi non contemnendæ videantur. Posterior verò pars continet dilucidas annotationes in censuras, & casus in Diœcesi Brixiensi Reservatos. Quod totum præstiti, ut tùm de Confessariis, tùm de moralis doctrinæ studiosis benemererer. Tu modò, candide Lector, si quid grati & ipse præstare velis, Elucidarium percurre, & perpende. Quòd si quem fructum ex hoc labore meo perceperis, uni Deo, bonorum omnium largitori, acceptum referas: defectus verò, salebras, ac errata imbecillitati meæ adscribas.

INDEX

INDEX

Casuum in Diœcesi Brixiensi Reservatorum.

CASVS I.

Censuræ omnes, quæ in decretis Visitationis Apostolicæ, Conciliis Provincialibus, & in nostris Constitutionibus, & Edictis feruntur.

CASVS II.

Homicidium voluntarium, seu mandatum, vel consilium, effectu sequuto.

CASVS III.

Perjurium testis in judicio.

CASVS IV.

njectio manuum violenta in Parentes.

CASVS V.

ncestus quòad mares in primo, & secundo affinitatis, vel consanguinitatis gradu.

CASVS VI.

Copula post sponsalia, etiamsi clandestina sint, matrimonio nondum celebrato, quòad mares tantùm.

CASVS VII.

Procuratio abortus, etiam effectu non ſequuto, mandatumvè, conſilium, aut auxilium ad id datum.

CASVS VIII.

Sortilegia, Maleficia, Incantationes, vbi eſt abuſus rerum ſacrarum, Sacramentalium, vel Sacramentorum.

CASVS IX.

Legatorum piorum ſolutio ab iis, qui potuerunt ſatisfacere, neglecta: Necnon negligentia eorum, qui ſuorum Auctorum tabulas teſtamentarias, tranſactis ſex menſibus, aperiri non curaverint.

CASVS X.

Omiſſio reſtitutionis incertorum vltra ſex menſes, quæ iniuſtè retinentur, quoties ſummam viginti librarum parvarum excedunt.

Finis Indicis Caſuum.

Pœnæ late contra præsumentes absolvere à casibus, quos Episcopi Diœcesano statuto sibi reservant, sine ipsorum licentia.

Decretum Clementis VIII. super absolutione à casibus reservatis, ejus, qui sequitur, tenoris.

Sacra Congregatio S.R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita justis, & gravibus causis, id exigentibus, ac de Sanctiss. D. N. Clementis Papæ VIII. speciali mandato, uivæ vocis oraculo desuper habito, Sacerdotibus omnibus tàm secularibus, quàm Regularibus per universam Italiam extra Vrbem degentibus, ad confessiones audiendas probatis, quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, Militiarum, aut Congregationum, etiam Societatis Iesu, & generaliter quarumcumque aliarum quovis modo nuncupentur, jubet, & præcipit, ne quis eorum sub prætextu privilegiorum, indultorum, aut facultatum generaliter, uel specificè scripto, aut uivæ vocis oraculo, uel per communicationem à Sede Apostolica, vel ejus auctoritate eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, vel Societatibus, aut Archiconfraternitatibus secularium, aut singularibus personis, seu aliàs quomodocumque sub quibusvis tenoribus, formis, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ad cujusvis etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum istantiam concessarum, seu confirmatarum alicui cujusvis status, gradus, & conditionis, aut dignitatis, tàm Ecclesiasticæ, quàm secularis, etiam Regiæ, vel Imperialis, ab ullo ex casibus clarè, vel dubiè in Bulla die Cœnæ Domini legi solita contentis, vel aliàs quomodocumque Sedi Apostolicæ reservatis, aut in futurum per Sanctitatem suam, ejusve Successores pro tempore, in eadem Bulla, vel aliter reservandis, nec etiam à casibus, quos Ordinarii locorum hactenùs reservarunt, vel in posterum sibi reservabunt, nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo, seu cum noua, & speciali Sanctitatis suæ, aut Successorum suorum, vel Ordinariorum, quòad casus ab ipsis tantùm reservatos, respectiuè, impetrata in scriptis licentia, Ordinarii, locorum exhibentia, absolutionis beneficium de cætero impendere audeat, vel præsumat sed cum opus fuerit, pœnitentes ad Superiores, legitimosque Iudices suos accedere consulant, sub pœna contrafacientibus tam Regularibus, quàm secularibus excommunicationis, privationis officiorum, & dignitatum, aut beneficiorum inhabilitatis item audiendi confessiones, & ad quæcumq; officia, prælaturas, beneficia imposterùm obtinenda, ipso facto, absque ulla alia declaratione incurrenda: Super quibus à nemine, nisi à Romano Pontifice habilitatio, dispensatiove, aut absolutio, præterquàm in mortis articulo, possit impartiri. Sanctitas enim sua (quatenus est) facultates, & concessiones ipsas in hac parte uti cassas, & irritas haberi de cætero voluit, & vult, non obstantibus quibuscumque.

Præterea nouerint pœnitentes, absolutionem si quam obtinebunt contra hujusmodi prohibitionem, esse nullam, nulliusque roboris, & momenti.

Et ne locorum Ordinarii, quibus jus hoc reservandorum casuum competit, plurium quàm opus sit, reservatione, subditis, an Confessariis in animarum salute procuranda cooperatoribus sint onerosi, monentur omnes, ut paucos, eosque tantùm, quos ad Christianam disciplinam, animarumque sibi concreditarum salutem, pro cujusvis Diœcesis statu, & qualitate necessariò reservandos esse judicaverint, reservet. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die 9. Mensis Ianuar. Anni 1601.

Ex cujus Decreti tenore habetur primò amplissima omnium privilegiorum derogatio. Secundò expressa prohibitio quibuscumque Confessariis, tam secularibus, quàm Regularibus, ne vigore suorum privilegiorum absolvant à casibus in Bulla Cœnæ clarè, vel dubiè contentis: nec item à casibus, quos Ordinarii locorum sibi hactenùs reservarunt, vel deinceps reservabunt.

Cùm autem dubia quædam, ac difficultates circa eiusdem decreti interpretationem, atque observantiam emerse-

CASVS VII.

Procuratio abortus, etiam effectu non sequuto, mandatumvè, consilium, aut auxilium ad id datum.

CASVS VIII.

Sortilegia, Maleficia, Incantationes, vbi est abusus rerum sacrarum, Sacramentalium, vel Sacramentorum.

CASVS IX.

Legatorum piorum solutio ab iis, qui potuerunt satisfacere, neglecta: Necnon negligentia eorum, qui suorum Auctorum tabulas testamentarias, transactis sex mensibus, aperiri non curaverint.

CASVS X.

Omissio restitutionis incertorum vltra sex menses, quæ iniustè retinentur, quoties summam viginti librarum parvarum excedunt.

Finis Indicis Casuum.

Pœnæ late contra præsumentes absolvere à casibus, quos Episcopi Diœcesano statuto sibi reservant, sine ipsorum licentia.

Decretum Clementis VIII. super absolutione à casibus reservatis, ejus, qui sequitur, tenoris.

SAcra Congregatio S.R.E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita justis, & gravibus causis, id exigentibus, ac de Sanctiss. D.N. Clementis Papæ VIII. speciali mandato, uivæ vocis oraculo desuper habito, Sacerdotibus omnibus tàm secularibus, quàm Regularibus per universam Italiam extra Vrbem degentibus, ad confessiones audiendas probatis, quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, Militiarum, aut Congregationum, etiam Societatis Iesu, & generaliter quarumcumque aliarum quovis modo nuncupentur, jubet, & præcipit, ne quis eorum sub prætextu privilegiorum, indultorum, aut facultatum generaliter, uel specificè scripto, aut uivæ vocis oraculo, uel per communicationem à Sede Apostolica, vel ejus auctoritate eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, vel Societatibus, aut Archiconfraternitatibus secularium, aut singularibus personis, seu aliàs quomodocumque sub quibusvis tenoribus, formis, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ad cujusvis etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum istantiam concessarum, seu confirmatarum alicui cujusvis status, gradus, & conditionis, aut dignitatis, tàm Ecclesiasticæ, quàm secularis, etiam Regiæ, vel Imperialis, ab ullo ex casibus clarè, vel dubiè in Bulla die Cœnæ Domini legi solita contentis, vel aliàs quomodocumque Sedi Apostolicæ reservatis, aut in futurum per Sanctitatem suam, ejusve Successores pro tempore, in eadem Bulla, vel aliter reservandis, nec etiam à casibus, quos Ordinarii locorum hactenùs reservarunt, vel in posterum sibi reservabunt, nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo, seu cum noua, & speciali Sanctitatis suæ, aut Successorum suorum, vel Ordinariorum, quòad casus ab ipsis tantùm reservatos, respectiuè, impetrata in scriptis licentia, Ordinarii, locorum exhibentia, absolutionis beneficium de cætero impendere audeat, vel præsumat sed cum opus fuerit, pœnitentes ad Superiores, legitimosque Iudices suos accedere consulant, sub pœna contrafacientibus tam Regularibus, quàm secularibus excommunicationis, privationis officiorum, & dignitatum, aut beneficiorum inhabilitatis item audiendi confessiones, & ad quæcumq; officia, prælaturas, beneficia imposterùm obtinenda, ipsofacto, absque ulla alia declaratione incurrenda: Super quibus à nemine, nisi à Romano Pontifice habilitatio, dispensatiove, aut absolutio, præterquàm in mortis articulo, possit impartiri. Sanctitas enim sua (quatenus est) facultates, & concessiones ipsas in hac parte uti cassas, & irritas haberi de cætero voluit, & vult, non obstantibus quibuscumque.

Præterea nouerint pœnitentes, absolutionem si quam obtinebunt contra hujusmodi prohibitionem, esse nullam, nulliusque roboris, & momenti.

Et ne locorum Ordinarii, quibus jus hoc reservandorum casuum competit, plurium quàm opus sit, reservatione, subditis, an Confessariis in animarum salute procuranda cooperatoribus sint onerosi, monentur omnes, ut paucos, eosque tantùm, quos ad Christianam disciplinam, animarumque sibi concreditarum salutem, pro cujus vis Diœcesis statu, & qualitate necessariò reservandos esse judicaverint, reservet. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die 9. Mensis Ianuar. Anni 1601.

Ex cujus Decreti tenore habetur primò amplissima omnium privilegiorum derogatio. Secundò expressa prohibitio quibuscumque Confessariis, tam secularibus, quàm Regularibus, ne vigore suorum privilegiorum absolvant à casibus in Bulla Cęnæ clarè, vel dubiè contentis: nec item à casibus, quos Ordinarii locorum sibi hactenùs reservarunt, vel deinceps reservabunt.

Cùm autem dubia quædam, ac difficultates circa eiusdem decreti interpretationem, atque observantiam emerserint:

rint: eadem Sacra Congregatio, ne ullus deinceps obscuritati, scrupulo, ambiguitatique locus relinquatur; & ut clariùs appareat, in quibus casibus, vigore ejusdem Decreti reservatis, intelligatur prohibita absolutio: speciali mandato ejusdem Clementis VIII. similiter vivæ vocis oraculo super ea habito, ipsum decretum moderavit, ac declaravit. Quam moderationem, sive declarationem vide apud Quarantam. *Verb. casus reservat*. cujus summarium est istud. Prohibet quibuscumque Confessariis, tàm sęcularibus, quàm Regularibus, ne absolvant. Primò à casibus in Bulla Cœnæ clarè, vel dubiè contentis. Secundò à casibus violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis constit. Gregor. XIII. Tertiò violationis clausuræ monialium ad malum finem. Quartò provocantium, vel pugnantium in duello in terminis concilii, & Greg. XIII. Quintò iniicientium manus violentas in Clericos, juxta *cap. si quis suadente* &c. Sextò, simoniæ realis scienter contractę, Septimò, ne absolvant à casibus, quos locorum Ordinarii sibi hactenùs reservarunt, vel reservabunt, etiam in casu necessitatis, & impedimenti, præterquam in mortis articulo, vel si habeant licentiam novam, specialem à Sede Apostolica, vel ab Ordinarijs in scriptis, vel viva voce, sub pœna quòad confitentes nullitatis absolutionis: Quòad Confessarios verò excommunicationis, privationis officiorum, dignitatum, beneficiorum, inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda. Quæ pœnæ ipso facto incurruntur, alia declaratione. Neque ab ullo dispensari habilitari, vel absolvi possunt, nisi à Sede Apostolica, præterquàm in mortis articulo. Et licèt, ad incurrendas hujusmodi pœnas videatur requiri ausus, & præsumptio: nihilominus advertant Confessarii, quòd ignorantia in ipsis circa casus Episcopo reservatos non solùm affectata, sed etiam crassa æquiparatur dolo, & præsumptioni, sicut habetur in casu simili *extrau. de celebr. Miss. cap. final. & cap. Excellentissimus* 11. quæstione tertia, & notat Abbas ibidem numero tertio. S. Thom. 1. 2. quæstione 76. artic. 3. Finell. de cas. reserv. capite septimo num. octavo casu primo, numero nono. Aderat etiam pæna in habilitatis audiendi confessiones: sed hodie est sublata.

Præterea Concilium Provinciale Mediolanense V. *tit. de iis, quæ ad Sacramentum pœnit. pertinent*, mandat Episcopis ejusdem Provinciæ, vt casus sibi reservatos curent singulis annis promulgari. Ac subdit (*quòd si, iis promulgatis, Confessarius quispiam cuiusvis ordinis sine facultate ab Episcopo data, aliquem absoluere attentaverit, ipso facto pœnam excommunicationis subeat.*) Tandem idem Concil. Provinciale V. *eodem titulo*, prohibet, ne Confessarius, cujuscumque Ordinis sit ab iis casibus, quos sibi Episcopus reservaverit, pęnitentes sine illius facultate absolvat. Quòd si contrafecerit, suspensionem à divinis ipso facto incurrat.

Quoniam verò postmodùm compertum fuit, quòd multi, contemptis tùm costitutionibus Apostolicis, Provincialibusque decretis, tùm propositis censurarum pœnis à casibus Episcopo reservatis, absque legitima facultate, absolvere præsumebant: Id circò in Concilio Provinciali Mediolanensi VII. & ultimo tit. *de Sacramento Pœnitentiæ*, rursùs lata fuit contra præsumentes prętextu privilegiorum ab iisdem casibus absolvere, sequens constitutio.

Etsi decretis Provincialibus, & Apostolicis constitutionibus Confessarii omnes prohibentur à casibus Episcopo reservatis pænitentes absolvere ex quolibet privilegio, tàm ordinibus cujusvis Religionis, quàm Confraternitatibus cujusvis status concesso; quia tamen multi contemptis Superiorum præceptis, earum quoque rerum sibi facultatem sumunt, quarum nullam omninò habent, meritòque timere debent, ne pœnas, & censuras subeant iis impositas, qui sine approbatione confessiones audiunt: ne in posterum ignorantiam facti pro ratione possint afferre, decernimus, vt in facultate,

tate, quę ad audiendas confessiones conceditur, ea clausula semper addatur ut ab absolutione casuum Episcopo reservatorum abstineant, proposita pœna suspensionis ab audiendis confessionibus eo ipso incurrenda, præter eas, quæ in constitutionibus Apostolicis, & Conciliis Provincialibus continentur.

Ex quo patet constitutiones cæterorum Conciliorum Provincialium Mediolanensium circa absolutionem à reservatis per supra relatum Provincialis Concilii VII. decretum unà cum adiunctis pęnis, renovatas, & confirmatas fuisse, proposita suspensionis pœna ab audiendis confessionibus eo ipso incurrenda ab iis, qui deinceps à casibus Ordinario loci reservatis absolvere præsumerent.

Qua in re adnotare oportet, prædicta Concilii Provincialis VII. decreta per Quintum ad se relata non solùm confirmata fuisse verùm etiam auctoritate Apostolica districtè mandatum, ut ea ab omnibus, ad quos pertinent, tàm Regularibus, quàm Sæcularibus, in Civitate, Diœcesi, & Provincia Mediolanensi existentibus inviolabiliter observentur; ut constat ex Decreto, ejus, qui sequitur tenoris.



PAV-

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

COmmissi nobis Dominici gregis, quamvis nullo nostrorum suffragio meritorum exigit cura, ut omnium Ecclesiarum Regimini pastoralem solicitudinem impendamus, ac proinde quæ pro Ecclesiasticæ disciplinæ conservatione, & restituitione providentia Pastorum salubriter statuuntur, ut ab omnibus inviolabiliter observentur, Apostolica auctoritate provideamus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Cùm itaque sicut accepimus in Provinciali Synodo Mediolanensi Septima, quæ jussu nostro à Venerab. Fratribus nostris Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus de more diligenter recognita, & ubi oportuit, immutata fuit, & cujus authenticum exemplar penes eosdem Cardinales asservatur, Dilecto filio nostro Federico Tit. Sanctæ Mariæ Angelorum in thermis Presbytero Cardinali Borromæo nuncupato, qui etiam Ecclesiæ Mediolanensi ex concessione, & dispensatione Apostolica præesse dignoscitur, illi præsidente quamplura saluberrima statuta, & decreta ad conservandam, & restituendam Ecclesiasticam disciplinam à Sancto Carolo multis laboribus, & vigiliis restitutam ad locum, tempus, modum, aliasque circumstantias in Ecclesiasticorum Sacramentorum administratione, missarum, divinorumque officiorum celebratione observanda, ac indulgentias, sepulturas, funeralia, processiones, verbi Dei conciones, Festorum dierum cultum, eleemosynarum collectionem, bonorum, & jurium Ecclesiasticorum conservationes, Judices, Conservatores, societates, Monialesque pertinentia Pastorali pietatis zelo sapienter ordinata fuerint, eaque tanquam plurimùm utilia, & apprimè laudabilia ab omnibus Dei Ministris, tàm regularibus, quàm sæcularibus æqualiter expediant observari. Hinc est, quòd nos totos statutorum, & decretorum præfatorum, documentorumque desuper confectorum, & indè secutorum tenores, de quibus ab eadem Congregatione plenè edocti fuimus, præsentibus pro sufficienter expressis habentes omnia, & singula statuta ordinationes, & decreta suprascripta in Provinciali Synodo Mediolanẽsi sic ut præfertur, edita, & publicata, ac prout illa concernunt præfata in dictis documentis contenta, in Mediolanensis Civitatis, Diœcesis, & totius Provinciæ omnibus, & singulis Regularium personarum utriusque sexus Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, quorumque etiam Cistercienſ. Humiliatorum ordinum & aliis Regularibus, locis etiam nobis, & Apostolicæ Sedi subiectis; etiam nullius Diœcesis in universa Provincia præfata constitutis, ac per quoscumque Ecclesiarum, Monasteriorum, domorum, & aliorum Regularium locorum hujusmodi Superiores, & Generales, ac illorum utriusque sexus personas districtè observari volentes. Motu proprio, & ex certa scientia, eidemque Federico Cardinali per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs omnes, & singulos dictarum Ecclesiarum, Monasteriorum, Domorum, & Regularium locorum Superiores etiam generales, & personas Regulares, & exemptas utriusque sexus, ut infra sex menses post præsentium publicationem, omnibus, & singulis statutis, ordinibus, & decretis præfatis realiter, & cum effectu parere debeant, auctoritate nostra moneat, & requirat, & si ipsi sic moniti, ut præfertur, parere in omnibus, aut in aliquibus distulerint, uel neglexerint dictus Federicus Cardinalis post lapsum dictorum sex mensium nobis quàm primùm

mùm significare, & referri curet, ut opportunum desuper remedium, prout nostro incumbit officio, in his quanto citiùs adhibere valeamus. Non obstantibus exemptionibus, & immunitatibus, aliisque præmissis, & Apostolicis constitutionibus, & ordinationibus, necnon Ecclesiasticorum, Monasteriorum, Domorum, eorumdem Superiorum, & ordinum præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, uel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis illis, eorumque Prælatis, Superioribus etiam generalibus, Conventibus, & personis, aliisque præmissis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque & aliis decretis, etiam iteratis vicibus, etiam per Nos, quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seú quævis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma adhuc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tortitis observata, inserti forent præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expresſè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque:

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub anulo Piscatoris die 7. Septembris M. DC. XII. Pontificatus nostri anno octavo.

Scipio Cobellutius.



Cùm

CVM igitur ex hoc decreto clarè constet, omnia, & singula ejusdem Concilii Provincialis VII. decreta à Paulo V. fuisse confirmata; eaque ad Regulares omnes, & exemptas Provinciæ Mediolanensis utrjusque sexus personas extensa: Idcircò à Regularibus omnibus, aliisque exemptis personis, in eadem Mediolanensi Provincia existentibus, sub iisdem pœnis debent observari. Vide quæ diximus in Prima Elucidarii Parte Resolutione quadragresima: ubi fusiùs hæc difficultas expenditur, & resolvitur.



ELV-




ELVCIDARIVM CASVVM RESERVATORVM:

Complectens Selectas de Iure Reservante Resolutiones.

PARS PRIOR.

Casus Reservatio quid sit.

RESOLUTIO I.



CAsus generaliter significat quæstionem de moribus factam, sive pertineat ad peccata, sive ad juramenta, sive ad vota dispensanda, aut relaxanda, sive ad excommunicationes, aut alias censuras: Specialiter verò, & propriè significat peccatum, quo quis à tramite, sive rectitudine virtutis cadit. Nauar. *man. cap. 27. nu. 258.* Hìc tamen, dum de casibus reservatis tractatum aggredimur, accipimus generaliter, quia non tantùm de peccato, verùm etiam de censuris, & votis, ut legenti brevi labore constabit, differimus. Navar. *cit.* Sayr. *par. 1. clau. reg. cap. 1.*

Hinc casus reservatus apud Navar. *cit. c. 27. num. 254.* Suarez *tom. 4. de pœnit. disp. 29. sec. 1.* Graff. *in praxi lib. 1. cap. 1. num. 9.* definitur, quòd sit peccatum, cujus absolutio jure humano est prohibita: Quam definitionem examinat Comitolus *in responsionibus moralibus lib. 1. quæst. 23. n. 3.*

Reservatio verò in abstracto sic definitur à Præposito *in supplem. ad 3. par. quæst. 9. de reservat. casuum dub. 6.* Reginal. *lib. 1. cap. 11. n. 124.* Reservatio est ablatio jurisdictionis inferiori per Superiorem facta. Quam definitionem refutat P. Bassæus *in flor. theol. pract. v. casus reserv. n. 5.* Tùm quia (ipse ait) non convenit facultatem ordinariam habentibus: Tùm quia jurisdictio, in ordine ad absolvendum à peccatis, videtur indivisibilis: Unde aut tota debet concedi, aut tota auferri. Ideò casus reservatio sic ab ipso describitur. Reservatio est limitatio, seu potiùs ligatio jurisdictionis concessæ, qua Confessarius ligatur, ne possit exercere ali-

quem actum, judicii circa aliqua peccata.

Nihilominùs definitio Præpositi, & Reginaldi rectè potest sustineri: nam per ablationem intelligi debet negatio, sive subtractio jurisdictionis; & juxta hunc sensum intelligendi sunt omnes illi Doctores, qui reservationem definiunt per ablationem iurisdictionis. Imò Bassæus ipse in hoc non videtur sibi constans; nam quærens *loc.cit.n.*1. quid sit reservatio, ita respondet. *Reservatio nihil aliud est, quàm ablatio, sive non concessio iurisdictionis*.

Addo, definitionem à Præposito, & Reginaldo fuisse optimè assignatam, quia comprehendit omnes inferiores respectu suorum Superiorum; ideòque convenit non tantùm inferioribus Confessariis respectu Episcoporum, vel jurisdictionem quasi Episcopalem habentium; sed etiam Episcopis, quibus à Summo Pontifice facultas per reservationem restringi potest, sicuti docet Suarez *cit. tom.*4.*de pœnit. disp.*29.*sect.*1. *n*,1,*&* 2. Layman *lib.* 5. *tract*,6.*cap*,12.*n*.2.

An in Ecclesia resideat Potestas reservandi peccata.

RESOLUTIO II.

NEgant hæretici; Nam cùm falsò putent in Ecclesia non esse potestatem absolvendi in foro interno, consequenter reservandi potestatem negant.

Sed resolutio, & veritas catholica est certissima, scilicèt in Ecclesia residere potestatem quædam superioribus judicicibus reservandi peccata. Ita definit Concil. Trid. *sess*,14. *cap.*7,*vbi can*.11.excommunicationis pęnæ subiicit eos, qui Episcopum casus sibi reseruare posse scienter negant; & docent Doctores omnes apud Card. de Lugo *disput.* 20. *de pœnit. sect*.1. Quod vsus, & praxis Ecclesiæ confirmat: Nam jurisdictio necessaria, ad Sacramentum pœnitentiæ administrandum, manat à Superioribus Prælatis ad inferiores ministros: Ideòque potest juxta illorum arbitrium esse magis, vel minùs limitata.

Hæc autem reservatio, siue jurisdictionis limitatio, quoad peccata, & eorum absolutionem, cœpit in Conc. Lateranen. sub Innoc. II. *teste* Soto *in* 4. *dist*.22. *qu*. 2. *art*. 3. Nauar. *man. cap*. 27. *num*. 76. qui etiam notat, peccatum primò in Ecclesia reservatum fuisse violentam manuum in Clericum iniectionem *c*. 17. *si quis suadente*.

Quinam reservandi Casus potestatem habeant.

RESOLUTIO III.

CErtum, & de fide est, quòd sicut solus Papa potestatem remittendi peccata divino jure in sui electione, & ordinatione accipit; nam suprema jurisdictio Papæ non confertur à Cardinalibus per electionem, sed provenit à Christo vi promissionis factæ S. Petro, ut patet Matth.6. sic habet potestatem reservandi sibi casus, & quidem in toto Orbe, & respectu omnium tàm Episcoporum, quàm inferiorum Prælatorum.

Episcopi etiam, quamvis jurisdictionem non divino jure, sed humano à Summo Pontifice accipiant; nihilominus & ipsi potestatem habent reservandi casus in sua Diœcesi, non tantùm respectu Confessariorum simplicium, sed etiam Parochorum sibi subditorum. Licèt enim jurisdictio Parochorum ordinaria sit, & ab institutione Summorum Pontificum tantùm dependeat, vt probat Nauar. *in man.cap*,27. *num*,263. tamen ab eadem institutione provenit, ut Parochi in hoc sint Episcopis subjecti, ipsisque Parochis Episcopi potestatem in foro Pœnitentiæ limitatam conferre possint, tùm ut crimina graviora securiùs corrigantur, salubrioraque ijs remedia adhibeantur; tùm ut ex difficultate impetrandæ veniæ scelesti homines reddantur minùs proclives ad committenda peccata, sicuti habetur *in Extrauag. Et si Dominici de pœnit. & remiss*. Siquidem facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi; quod clariùs patet ex Concil. Trident. *sess*. 14. *capit*. 7. & docent Sotus *in* 4. *dist*. 18. *quæst*. 2. *art*. 5. Coninck. *disp*.8. *de Sacram. dub*.

11.

11. Layman *lib.5. tract.6. cap.12.n.1.* Filliuc. *tract.7. cap.10.*

Eadem facultas reservandi casus competit etiam cæteris Prelatis, qui in utroque foro jurisdictionem ordinariam, quasi Episcopalem habent, ut sunt Abbates quidam exempti, item Generales, ac Provinciales Religionum quoad sibi subditos regulares. Vide Filliuc. *cit. c.10 nu.169. & 281.* Laym. *cit.* Bassæum *in florib. v. cas. reser. num.40.*

Et quamvis ex privilegio Alexand. VI. Priores etiam, & Guardiani casus occultos sibi reservare poterant, hodie tamen per decretum Clementis VIII. omnis potestas reservandi casus d mpta est Superioribus Regularium infra Prouincialem: Imò eodem decreto sancitum est, ut certi tantùm casus in prædicto decreto contenti, aut eorum aliquot pro religionis conservatione, & conscientiæ puritate, iique pro toto Ordine in Capitulo generali: pro Provincia verò in Capitulo provinciali, matura discussione, & consilio reserventur.

Casus autem reservabiles Prælatis Regularibus, prout supra, sunt sequentes.

1 *Veneficia, incantationes, sortilegia.*

2 *Apostasia à religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eò peruenerit, ut extra septa Monasterii, sive Conventus fiat egressio.*

3 *Nocturna, & furtiva è Monasterio, seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.*

4 *Propietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.*

5 *Iuramentum falsum in judicio regulari, seu legitimo.*

6 *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum etiam effectu non secuto.*

7 *Falsificatio manus, aut sigilli officialium Monasterii, seu conventus.*

8 *Furtum de rebus Monasterii, seu conventus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.*

9 *Lapsus carnis voluntarius, opere consumatus.*

10 *Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personæ.*

11 *Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.*

An autem possint & Parochi sibi reservare casus respectu suorum Capellanorum, licet affirmet Major *in 4. dist. 17. quæst.5.* P. Sotus *lect. 5. de pœnit.* Suarez *tom.4. disp.29. sect.1.* Resolutio tamen est in contrarium, talem nempè facultatem Parochis, nec ex dispositione juris, nec ex consuetudine competere; quod vsus, & praxis confirmat, & tradit Fagundez *præcep.2. l.8. cap.1. num. 9.* Bassæus *in florib. v. cas. reser. nu.6.* Homobonus *de cas. reser. par.1. cap.2.*

An Superior pro suo libito possit reservare peccata.

RESOLUTIO IV.

NEgant Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art.5.* Angelus *v. casus.* Finellius *de cas. res. cap.4. num.4.* Henriq. *lib.6 cap. 14. num.3.* sustinentes nimis gravem, atque insolitam plurium peccatorum reservationem non tantùm illicitam, sed etiam invalidam esse, ut à Parochis observari non debeat. Quorum ratio est, tùm quia Parochis divino jure competit jurisdictio in suos (ita sentiunt relati Doctores) & ideò ea ipsis pro Superioris arbitrio, restringi non potest; Tùm quia alioquin posset fieri talis reservatio, ità excedens & exorbitans, ut Parochos redderet inhabiles ad exercendum munus suum, eorumque jurisdictio fieret inanis, quo casu reservationem ejusmodi non tantùm illicitam, sed etiam fore invalidam, fatetur etiam Card. de Lugo *de Sacram. pœnit. disp.20 sect.3. num.36.*

Sed communis, & vera est contraria sententia, quòd omnis jurisdictio Ecclesiastica à Summo in terris Ecclesiæ Pastore in Episcopos, & ab his in inferiores animarum Curatores conveniente ordine descendat. Ideòque reservatio casuum, licèt excedens, & nimia, semper valida erit, quamvis illicita. Quia Superior semper confert jurisdictionem à sua voluntate dependentem; Ideòque si auferat illam circa aliquod peccatum, fa-

ctum tenet, etiamsi fortasse absque conveniente ratione id faciat.

Quæ resolutio certa est non solùm de Summo Pontifice respectu Episcoporum de quo tanquam supremo jurisdictionis collatore, nullus Catholicus auctor hactenùs ausus est dicere, reservationem à Summo Pontifice inductam esse invalidam, sed etiam censetur quasi certa de Episcopis respectu Parochorum. Tametsi enim Episcopi moneantur, tùm à Concil. Triden. *sess.* 13. *cap.* 7. tùm à Sacra Cardinalium Congregatione de mandato Clem. VIII. apud Quarant. *Sum. Bullar. v. cas. reserv. num.* 14. ut concessa sibi potestate utantur in ædificationem, non destructionem, nec in ea re modum excedant, non tamen inde sequitur, si quid illicitè, excedendo modum, ab eis fiat, etiam invalidè fieri. Quod si interdum nimia, & irrationabilis videatur Parochis casuum reservatio, Episcopis supplicare poterunt, vel ad Superiorem recurrere, ut provideat. Sed interim legitimi eorum Superioris reservantis dispositioni aquiescere ipsos convenit; Cum idcircò Parochi penitùs non reddantur inhabiles ad exercendum munus suum, neque auferatur ab ipsis omnis jurisdictio. Ita Navar. *cap. placuit num.* 21. *dist.* 6. *de pœnit.* Sylvest. *v. casus quæst.* 5. Suarez *par.* 3. *tom.* 4. *disp.* 25. Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 12. *n.* 5. ConincK *de Sacram. disp.* 8. *dub.* 11. *num.* 78. Filliuc. *tract.* 7. *cap.* 10. *quæst.* 3. Fagun. 2. *Eccl. præcep. lib.* 8. *cap.* 1. *n* 19. Bonac. *to.* 1. *disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 5. §. 1. *n.* 2. Bassæus *in flor. v. cas. reserv. n.* 4.

An Summus Pontifex non solùm censuras, sed etiam culpas sibi reservet.

RESOLUTIO V.

AFfirmat Suarez *de pœnit. tom.* 4. *disp.* 29. *sect.* 2. *num.* 8. Filliuc. *tract.* 7. *cap.* 10. *num.* 270. quæ sententia est satis probabilis.

Sed communior, & probabilior est sententia, quæ docet Pontificias reservationes sistere in censura, & solùm per accidens redundare in culpam. Nam quamvis Summus Pontifex nudas culpas sibi reservare possit, sicuti faciunt Episcopi, Religionumquè Prælati, de facto tamen censetur tantùm sibi reservare censuram, qua ablata, peccatum desinit reservatum. Ita Caiet. *in sum. v. casus* Tolet. *lib.* 3. *cap.* 14 *num.* 1. Navar. *cap.* 27. *num.* 261. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 14. *numer.* 1. Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 12. *num.* 2. ConincK *de Sacram. disp.* 14. *dub.* 16. *num.* 281. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 2. *num.* 4. Fagund. 2. *Eccl. præcep. lib.* 8. *c.* 1. *num.* 5.

Hinc si Papa, vel ejus Pœnitentiarius aliquem absolvit à reservata excommunicationis censura, quilibet Confessarius deinde in conscientiæ foro absolvere poterit à peccato, cui talis censura erat adnexa, sicuti resolvit Layman *loc. cit.* ex Henriq. & ConincK.

Similiter si quis delictum patravit in Bulla Cœnæ contentum, sed ob ignorantiam non crassam à censura tali delicto adnexa excusatus fuit, eò quòd de ea nihil audivit, ab inferiore absolvi potest, sicuti notavit Henriq. *loc. cit.* & ConincK *cit. dub.* 11. *num.* 7.

Imò valde probabile est, quod docent Navar. *cit. cap.* 27. *num.* 254. Tolet. *cap.* 14. *num.* 2. Tannerus *tom.* 4 *disp.* 6. *quæst.* 9. *dub.* 4. *num.* 87. videlicèt, si Papa relaxet censuram sibi reservatam, ex consuetudine auferri etiam reservationem inferioris, puta Episcopi; non tamen è contra, nam, ablata reservatione Episcopali, adhuc remanet Papalis. Secùs si plures sint reservationes propter plures censuras, nam ablata v. gr. Papali, adhuc remanere Episcopalem, docent præcitati Doctores *ll. cc.*

Excipiendus tamen est à supradicta doctrina casus simoniæ, tùm promoventis, tùm promoti ad ordines, quod delictum Sixtus V. dempta etiam suspensione, Sedi Apostolicæ reservavit, ut constat ex ejusdem Bulla edita *anno* 1588. apud Quarant. *v. Ordo*.

An

An cujusvis generis peccata possint reservari.

RESOLUTIO VI.

AFfirmativè respondet Mazuchellus *de cas. reserv. disp.1. quæst.1. diff.6. 7. & 8.* ubi licèt fateatur non expedire reservare peccata venialia, vel mortalia semel ritè confessa, nihilominus, spectata Ecclesiæ potestate, docet cujusvis generis peccata, tùm venialia, tùm mortalia, aliàs legitimè confessa, posse reservari; eò quòd ad omnium Sacramentalem absolutionem necessaria sit jurisdictio, quæ cùm à Superioribus descendat, potest ab ipsis limitari.

Cæterùm quamvis Mazuchelli sententia, spectata absoluta Ecclesiæ potestate, non videatur improbabilis; tamen Ecclesia de facto nullum veniale, vel mortale aliàs ritè confessum reservare solet, partim, quia omnes Sacerdotes, vel jure divino, ut vult Vasquez, quem citat, & sequitur Ioseph à Januario *de cas. reserv. resol.35.num.2.* vel potiùs generalis Ecclesiæ consuetudine à venialibus absolvendi potestatem habent, quam proinde Episcopus ipsis auferre non potest, nisi per justam excommunicationis sententiam; partim quia ad venialis peccati confessionem nemo obligatur, *cap. omnis extr. de pœnit. & remiss.* Ergo frustrà venialium absolutionem Superior suo judicio reservaret. Ita Finellius *de cas. reserv. cap.5. num.6.* Graff. *in sua practica lib.1. cap. 2. nu. 2.* Layman *lib.5. tract.6 cap.12. num.3.* Januarius *cit.* qui addit reservationem venialium numquam in Ecclesiam Dei fuisse inductam, eò quòd absolutio à venialibus jure divino competat simplici Sacerdoti.

Addit Lupus *de cas. reserv. par.1. dist.1. diff.2. num.2.* ex decreto Sacræ Congregationis super absolutione à reservatis, venialia nunc reservari non posse; de quo si authenticè constaret, omninò rueret opinio contraria.

Sit igitur resolutio. Reservatio est tantùm de peccatis mortalibus. Nam si alia reservarentur quàm mortalia, id esset injicere laqueum fidelibus, & in gravamen eorumdem intolerabile cederet. Ita Suarez *de pœnit to.4.disp.29.sect.3* Filliuc. *tract.7.c.10.n 271.* Reginal. *lib.1.n 126. & 128.* Graff. *loc.cit. & cap.7. in append.* Coriolanus *de cas. reserv. par.1. sect.1. art. 5.* Layman *loc.cit.*

Imò Sacra Cardinalium Congregatio Ordinarios monendos censuit, ut non passim mortalia delicta, sed atrociora tantùm, gravioraquè crimina sibi reservent. Vide apud Quarant. *Sum. Bullar. v. cas. reserv. num.14.*

Hinc infertur, quidquid excusat à peccato mortali, excusare etiam à reservatione. Unde quemadmodum parvitas materiæ (excepto crimine simoniæ, hæresis, blasphemiæ) impotentia servandi legem, indeliberatio rationis, imperfectus consensus voluntatis, & ignorantia, sive juris, sive facti, quæ non sit crassa, vel affectata, excusant à peccato mortali; ita etiam à reservatione, quæ semper mortalem culpam supponit. Graff. *lib.4. decis. aure. cap. 8. n.20. excommun.*

An peccata mortalia interna sint reservationis materia.

RESOLUTIO VII.

QUamvis in superiori resolutione non improbabiliter dictum sit, spectata Ecclesiæ potestate, cujusvis generis peccata reservari posse; & consequenter etiam mortalia interna, ad quorum sacramentalem absolutionem constat necessariam esse jurisdictionem, quæ cum à superioribus ad inferiores Confessarios, limitatè, seu cum restrictione conferri potest; sicuti docet Sanchez *lib. 1. moral.cap.8. nu.4.* Card. de Lugo *disp. 20. de pœnit. sect.2. n.13.*

De facto tamen Ecclesia, sicut non solet reservare venialia; ita nec mortalia interna, sed tantùm externa. Et ratio est, tùm quia internorum peccatorum reservatio nec expedit, nec ita necessaria est ad Ecclesiæ gubernationem, quippè quæ externa potissimùm spectare debet: Tùm quia id cederet in grave damnum, & inextricabilem anxietatem fidelium. Ita Suarez *disputat. 29. de pœnit. sect. 3. num.3.*

n. 3. Fillinc. *tract.* 7. *cap.* 10. *nu* 271. Fidelius *de cas. reser. cap.* 5. *num.* 6. Graff. *par.* 1. *decis. aure. cap* 13. *num.* 71. Sanchez. *cit. numer.* 4. Layman. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 12. *num.* 3.

Addo, neque omnia peccata externa, lege reservante affecta, & prohibita, censenda esse reipsa reservationi obnoxia; sed ea tantùm, quæ, secundùm conditionem, & quantitatem malitiæ externæ, & non per solam relationem ad actum, & malitiam internam, certò constat esse mortalia. Vnde si reservata esset percussio, is in casum non incideret, qui ex pravo, & mortali affectu alterum percuteret, si externa læsio, vtpotè levis, ad culpam mortalem non pertingeret. Ita communiter DD. Sylvest. *v. casus quæst.* 5 Henriq. *lib.* 6. *ca.* 14. *num.* 6. Dian. *par.* 8. *resol.* 46. Card. de Lugo *dis.* 20. *de pænit. sect.* 2. *num.* 15. Graff. *cit. num.* 71. Finell. *de cas. reser. cap.* 5. *num.* 8.

An reservatio requirat peccatum externum consumatum.

RESOLUTIO VIII.

Responsio est affirmativa peccatum scilicèt, quod ab Episcopo, uel alio Prælato, jurisdictionem Episcopalem habente reservatur debere esse non solùm mortale, & externum, sed etiam opere consumatum: Tùm quia reservatio habet rationem pœnæ pæna autem non habet locum, nisi secundo effectu; sicuti docet Layman *lib.* 5. *trac.* 6. *cap.* 12. *n.* 3. Graff. *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 71. Tùm quia, quando lex prohibet aliquod delictum, intelligitur de delicto perfecto, & consumato. Ita præter Layman, & Graff. *ll. cc.* Dian. *par.* 5. *trac.* 5. *resol.* 46. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 14 *n.* 5. Fincilius *de cas. reser. cap.* 5. *num.* 4.

Hinc si incestus in primo, vel secundo con sanguinitatis, uel affinitatis gradu reservetur, uti fit in hac Brixien. Diœcesi, conatus ad illum committendum, non erit reservatus. Nam in materia reservationis non punitur affectus, nisi sequatur effectus.

Similiter Sodomia, si alicubi, ut Bergomi, & Mediolani, Episcopali reservatione sit comprehensa, non debet censeri reservata, nisi fuerit consumata; Non dicetur autem tàm nefandum scelus consumatum, nisi in vase obscæno fiat seminatio; de quo fusiùs infra in additione post secundam partem. *Ita* Graff. *loc. cit.* & *lib.* 1. *decis. aure. cap.* 80. *n.* 7. Nauar. *in man. cap.* 27. *numer.* 250. Sayrus. *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 16.

Adverte tamen, quòd cùm reservatio pēdeat ex sola mente, & voluntate Legislatoris reservantis; propterea si reservans expressis uerbis attentationem alicujus atrocis criminis, uel conatum ipsum ad illud crimen committendum reservet, vti fit in procuratione abortus fœtus animati; sola criminis attentatio, nudusque conatus, secluso effectu, & consumatione, reservationi erit obnoxius: Sicuti resolvunt Reginal. *lib.* 22. *cap.* 3. *nu.* 49. Rodriq. *in sum. par.* 1 *cap.* 209. Dian. *par.* 2. *trac.* 3. *resol.* 63. Bonac. *de matrim. quæst.* 4 *punc.* 11. *n.* 2. Layman. *cit. n.* 3. *vers. Dico quartò.* Finell. *de cas. reser. cap.* 5. *n.* 3.

An in dubio juris casus censendus sit reservatus.

RESOLUTIO IX.

Responsio est negativa, nempè in dubio juris de casus reservatione, casum non censeri reservatum: Tùm quia constitutio, & promulgatio legis est quid facti, factum autem in dubio non præsumitur. Tùm quia in dubio, an lata sit lex, vel præceptum reservans aliquod peccatum, possessio stat pro dubitante; & consequenter Confessarius etiam simplex manet in possessione suę jurisdictionis; sicque potest ab eo absolvere. Ita Sà *v. casus reservati nu.* 5. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 5. *numero* 15. Sanchez *lib.* 1 *mor. cap.* 20. *num* 74. Bonac. *de pænit disp.* 5. 7. *punc.* 5. §. 4. *numero* 1. Card. de Lugo *de pænit. dis.* 29. *sect.* 2. *n.* 17.

An

An in dubio facti delictum censendum sit reservationi obnoxium.

RESOLVTIO X.

Affirmativam partem sustinent Armilla *v. casus num.* 13. Corduba *ad cap.7. reg S. Franc. quæst.4. p.1. cas.5* Crousers *ib. lect.17.fol.639.* asserentes casum reservatum in dubio habendum esse pro reservato sicque adeundum esse Superiorem pro obtinenda absolutione: Quia in dubio tutior pars est eligenda, confiteri autem Superiori casum reservatum in dubio, videtur tutius. Ergo &c.

Sed in negativam partem resolvitur difficultas, videlicèt casum Episcopalem in dubio censendum non esse reservatum: Tùm quia delictum dubium non est delictum simpliciter, sed secundum quid, reservatio verò, cum sit odiosa, strictè est accipienda, & ad delicta simpliciter, casusque certos, non autem dubios restringenda: Tùm quia in dubiis melior est conditio possidentis: Dubitans autem in hoc casu est in possessione petitæ, & expetitæ absolutionis, & Confessarius, licèt inferior est in possessione suæ jurisdictionis. Ergo &c.

His addendum, quòd cùm Episcopus casus dubios sibi non reservet, sicut facit Pontifex, consequenter censetur Confessariis inferioribus facultatem ab illis absolvendi tribuere. Ita Suarez *cit. & 3.par. tom.5. disp.40.sect.5.num.15.* Sanchez *lib. 1. moral. cap.10. n.* 74. Henriquez *lib.6. num.* 7. Layman *lib. 1. tract.1. cap.* 5. §. 4. Filliuc. *tract.* 21. *num.* 159. & 172. Card. de Lugo. *disp. 20. de pœnit. sect. 2. n.* 18. Dian. *par.4. tract.3. resol.4.* Bonac. *de Sacrament. pœnit. disp.5. quæst.7 punct.5. §. 4. num.* 11. Bassæus *in florib. v. cas. reserv. num.* 23.

Dixi casum Episcopalem, quia casus Papales dubiè, vel clarè, sive in Bulla Cœnæ Domini, sive extra, semper sunt reservati, ut dixi, de quo Vide Stephanum Quarant. *Sum. Bullar. v.casus reserv. num.* 13.

Ad rationem pro opposita sententia respondetur, non semper tutiorem partem esse eligendam, sed sufficere eligere tutam, quæ scilicèt ex practicis, & certis rei principiis sit desumpta. Alioquin illa regula continet potiùs consilium, quàm præceptum, teste Navar. *in man. cap. 27. nu.281.* Bonac. *tom 2. disp.2. quæst.4. punct. 9. num.* 21.

Limitat tamen hanc posteriorem sententiam Sanchez *cit. lib.1. moralium capite 10. num.74.* ut habeat locum, nisi præsumptio fori externi stet pro reservatione delicti, quia stante hac præsumptione (ait Sanchez) possessio est pro reservatione delicti, cujus præsumptioni standum est etiam in foro interno, cum idem sit judicium utriusque fori, quoties forum externum non innititur falsa præsumptione.

Sed hanc Sanchez limitationem reiiciunt Merolla *in disp. theol. disp.3. dub. 2. coroll.23. num.* 270. Dian. *par. 4. tract.3. de conscient. dub. 2. resol.4.* Card. de Lugo *cit. disp.20. num.18.* qui absolutè sustinent casum in dubio numquam censeri reservatum, nisi aliter jure decernatur in aliquo casu, ut fit in casu irregularitatis ex dubio homicidio. Quia reservatio absolutionis, cùm sit odiosa, ad peccata omninò certa est restringenda. Vide etiam Caramuel *lib 3. theol. moral. n.1330.*

Hinc qui dubitat, an peccatum aliquod reservatum. v. g. homicidium commiserit, vel copulam incestuosam compleverit, vel reservatam sodomiam cum seminis emissione in vase turpissimo consumaverit, aut violando jus reservans, mortaliter deliquerit, non debet censeri reservatione innodatus: & consequenter à quolibet Confessario absolvi potest. Ita Bonac. *disp. 5. de pœnit. quæst. 7. pun.5. §. 4. n. 2.* Coriol. *de cas. reser. par. 1. sect. 1. art.5.* Graff. *de cas. res. lib. 1. c. 4.* Mazuch. *de cas. reserv. disp. 1. quæst. 1. diff.9. num.* 32. Joseph à Januario *de cas. reserv. resol. 2. num.1.*

Similiter si dubitetur, utrum percussio Clerici sit levis, aut mediocris aut gravis, judicari debet levis. Sicque ab excommunicatione ob ejusmodi dubiam læsionem contracta absolvere potest Episcopus; sicuti docet Dian. quem citat, & sequitur Mazuchellos *loc.cit.num.33.*qui numero

mero 34. sentit judicium qualitatis percussionis Clerici pro foro externo spectare ad Episcopum, pro foro autem interno ad quemlibet virum prudentem, & doctum. Contrarium tamen, quòd scilicet percussio Clerici dubia, num grauis vel levis sit, non cadat sub facultate, & absolutione Episcopi, tenet Januar. *l. c. nu.* 12. ex Nauar. Quorum opinio conformior est supradictis.

Præterea casum dubium de dispensatione habendum non esse reservatum, neque dispensationem Summo Pontifice sed ad maiorem cautelam ab Episcopo petendam esse, tenet idem Dian. *par.* 4. *tract.* 3. *resol.*46. Castro Palaus *tom.*1. *tract. disp.* 6. *punct.* 5. *num.* 10. Barbosa *de potest. Epis. par.* 2. *alleg.* 35. *n.* 19. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 22. *nu.* 4.

Idemque tandem dicendum in dubio reservationis voti, scilicèt hujusmodi uotum censendum non esse reservatum quia, cùm dispensationis reservatio sit odiosa, ad casus certos est restringenda. Sanc. *lib.* 4. *moral. cap.* 40 *nu.* 26. *& cap.* 44. *nu.* 3. qui ex eodem fundamento resolvit, eum, qui scit, se emisisse votum Pontifici reservatum, sed dubitat de intentione se obligandi; ad votum quidem teneri, at non esse Pontifici reservatum.

Adverte tamen, quòd si quis recordaretur, se peccatum reservatum commisisse, dubitaret verò vtrum illud confessus sit, tali casu possessio staret pro lege reservante, non pro pœnitente: Ideoque teneretur Superiorem adire pro illius absolutione. Sic si alteri constaret de voto edito, aut præcepto imposito, dubitaret autem, num illud impleverit, possessio esset pro obligatione, sicuti resolvit idem Sanchez. *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 12 Vasquez 1. 2. *disp.* 66. *cap.* 7. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 3. *num.* 31.

Pœnitens à casu reservato dubio per simplicem Confessarium absolutus fuit, postea in cognitionem venit certò fuisse reservatum: Quæritur, an censendus sit legitimè absolutus.

RESOLUTIO XI.

Responsio est affirmatiua, si pœnitens, durante tali dubio, per simplicem Confessarium absolutus fuit: quia sicut votum in dubio non censetur reservatum, sic nec peccatum: Ergo sicut in dubio de voto reservato potest Episcopus dispensare, & dispensatio manet valida, etiamsi postea constet de voti certitudine, vt docet Sanchez *lib.*4. *moral. cap.* 44. *num.* 10. sic in dubio de peccato reservato absolvere potest Confessarius simplex, & absolutio valebit, licèt postea constet de certitudine reservationis. Nam ad recipiendam directam absolutionem sufficit manifestatio peccati dubii, prout tunc est in conscientia, non prout cognoscitur post absolutionem. Ita Suarez *de pænit. disp.* 22. *sect.* 5. *n.*38. ConincK *de Sacram. dis.* 7. *dub.* 7. *num.* 62. Card. de Lugo. *dis.*20. *de pænit. sect.*2. *num.*20. quem citat, & sequitur. P. Bassæus *in florib. theol. pract. verbo cas. reser. nu.* 24. Ioseph de Januario *de cas. reser. resol.* 3. *num.* 2. 3. *&* 5.

Et quod asseritur de peccato dubio, cui adnexa est reservatio, idem dici potest de delicto dubio, cui adiuncta sit censura reservata. Quandiù enim pœnitens vertitur in dubio de delicto, potest per inferiorem absolvi, & si absolvatur, validè recipit absolutionem: Et quamvis postea certò sibi constet de delicto commisso, contractaque censura; non propterea tenetur Superiorem adire. Quia absolutio non fuit data ad reincidentiam, sed absolutè. Sicut ergo in hoc casu excommunicatio semel sublata non redit, quoad speciem, sine nova contumacia; ita nec reservatio (durante dubio reservatæ culpæ) sine nova culpa. Plura de hoc casu vide apud Card. de Lugo. Bassæum, ConincK *loco cit.* & Josephum de Januar. *de cas. res. resol.* 3. *n.* 9. *&* 14.

Exemplum tamen ab ipsis allatum de dubio hæresis delicto, eique adnexa censura, hodie non subsistit post decretum Alex. VII. *die* 2. *Octob.* 1665. Siquidem delictum hæresis est casus in Bulla Cœnæ contentus, Episcoporum jurisdictioni non subiectus: casus autem Bullæ, sive clarè, sive dubiè Summo Pontifici sunt reservati, ut præcedenti resolutione dixi.

Nequè resolutioni quidquam officit, si dicatur, peccatum illud à parte rei uerè fuisse reservatum, dubium verò tantùm ratio-

ratione oblivionis, vel ignorantiæ, nihil, inquam, officit: Quia per dubium superveniens tollitur reservatio: Unde si, durante tali dubio, simplex Confessarius absolvat, validè, & directè absolvit. Siquidem voluntas Ordinariorum sibi casus dubios non reservantium dat facultatem inferioribus Confessariis absolvendi pœnitentes ab ipsis ut dictum est *resolutione præcedenti*. Quod verum est, si pœnitens durante tali dubio, per simplicem Confessarium absolutus fuit: Secus si ante obtentam absolutionem cesset reservationis dubium: Nam cessante illo dubio, statim reviviscet reservatio, & consequenter tenebitur Superiori se præsentare. Januarius *cit. resol.* 3. *num.* 12.

Quæ doctrina locum habet etiam in censura: Nam sicut, adveniente dubio, cessat peccati reservatio; ita etiam reservatio impositæ censuræ: & quemadmodum, durante dubio, pœnitens potest à reservatis per inferiorem absolvi; sic etiam à reservata censura (cujus reservatio eo casu remanet suspensa) juxta probabilem, & in praxi tutam sententiam, quòd à censura non reservata, statuto, vel sententia generali lata quilibet Confessarius possit absolvere; sicuti docent. Navar. *in man. cap.* 27. *num.* 4. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 7. Avila *par.* 2 *cap.* 7. *disput.* 1. *dub.* 9. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 1. *cap.* 7. *num.* 3.

Dixi, durante dubio, quia si pœnitens tempore dubii non absolvatur à censura, cessante postea dubio, compertaque veritate, hoc est, reseruationis certitudine, redit reservatio. Siquidem reservatio est ablatio, sive negatio jurisdictionis, quæ redit sine nova culpa, quoties cessat dubium de reservatione prioris culpæ ante ejus absolutionem; cogeturque pœnitens pro absolutione à reseruata censura ad Superiorem recurrere. Ita Card. de Lugo *cit. num.* 20. Bassæus *cit.* Mazuch. *de cas. reserv. disp.* 1. *quest.* 1. *diff.* 10. *num.* 38. Januar. *cit. resol.* 3. *num.* 15. Huic affinis est resolutio sequens.

In dubio de peccato mortali an quilibet teneatur illud sub dubio confiteri.

RESOLUTIO XII.

NEgativam sententiam conantur defendere Henriquez *lib.* 8. *de Euch. cap.* 45. *num.* 3. *lit.* P. ConincK *tract.* 2. *de Sacram. disp.* 7. *dub.* 8. *num.* 68. Præpositus *de confess. quæst.* 5. *dub.* 3. *num.* 117. Amicus *de pœnit. disp.* 13. *sect.* 3. *num.* 65. Joseph de Januario *in resolut. variis resol.* 20. Caramuel *lib.* 3. *theol. moral. disp.* 4. *num.* 1481. docentes, eum qui dubitat, an peccatum sit à se commissum, vel an peccatum commissum sit mortale, vel veniale, non teneri tale peccatum sub dubio confiteri. Si verò post tale dubium aliud Sacramentum non sumpsit, tunc teneri in articulo, vel periculo mortis aliud Sacramentum sumere, vel actum contritionis elicere. Probant hanc sententiam ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 5. ubi ad servandam confessionis integritatem id tantùm exigit à pœnitentibus, ut confiteantur illa peccata, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent: Igitur peccata dubia, tàm quòad exercitium, quàm quòad specificationem actus, quorum pęnitens post diligentem sui discussionem conscientiam non habent, non tenentur confiteri. Accedit, & ratio, quia in dubio delictum præsumi non debet, & in nullo foro aliquis accusari debet de delicto, de quo indicia non extant, conie&turæque probabiles assensum non generent.

Verùm à communi sententia, non est recedendum, quæ fundatur in usu, & praxi totius Ecclesiæ, à tempore Apostolorum incœpta, ut docet Card. de Lugo *de pœnit. disp.* 16. *sect.* 2. *numer.* 63. Nam Sacramentum Pœnitentię est vindicta salutaris, hoc est, institutum non tantùm in punitionem criminum, sed magis etiam ad animarum salutem, ut habet Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. Atqui in hoc dubio, quo de salute animæ agitur, tutior pars amplectenda est, possessioque censetur stare pro præcepto confessionis, quod in hoc dubio obligat. Quare absolutè sta-

statuendum est, pœnitentem, qui dubitat, v.g. an blasphemiam protulerit, vel delectationi morosæ consenserit, vel qui certus de blasphemia, anceps hæret, an fuerit mortalis, teneri peccatum illud, imò etiam circumstantiam peccati dubii confiteri. Quia ista etiam pertinet ad rationem peccati dubii, iisquè tectis, non plenè manifestaretur peccatum dubium, prout est in se. Ita Suarez *tom.* 4. *disp.* 22. *sect.* 9. *num.* 2. Navar. *man. cap.* 9. *n.* 14. Bonacin. *de pœnit. disp.* 5. *quæst.* 7 *punct.* 5. §. 4. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 3. *nu.* 37. Bassæus *v. dubium num.* 7. Dian. *par.* 4. *tract.* 3. *resol.* 5. Card. de Lugo *loc. cit.* Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 66. qui num. 68. rectè monet peccata dubia confitenda esse ut dubia, non ut certa, alioquin pœnitens committeret mendacium circa materiam confessionis necessariam; ideòque à mortali non posset excusari.

Benè tamen advertit idem Doctor *l. c.* pœnitentes, & maximè rudiores sæpenumerò à peccato excusari, si interdum peccata dubia, tanquam certa, confiteantur; eò quòd bona fide, & ex simplicitate quadam id faciant, securiùsquè eo modo se confiteri existiment. Vide etiam Dian. *loc. cit.*

Quòd si pœnitens & dubius sit de mortali, & insuper non recordetur speciem illius peccati, tenetur in genere fateri, se dubium esse de quodam mortali peccato, sed speciem ignorare Sanchez *cit. num.* 69.

Ad rationes oppositæ sententiæ responderi potest, axiomata illa locum habere in odiosis, non autem in favorabilibus, & potissimùm ubi dubia favent dubitanti, tamque animæ salutaria sunt.

Tridentinum verò Concilium ideò de peccatis dubiis mentionem nullam fecit, quia propositum illi erat, ea tantùm definire, quæ certiora sunt: reliqua verò relinquere scholasticis disputanda. Vide Layman *cit. n.* 37. *vers. Verùm non libenter*.

An Pœnitens, qui confessus est peccatum dubium ut dubium, si deprehendat deinde fuisse certum, teneatur illud ut certum confiteri.

RESOLUTIO XIII.

Negativam sententiam; ut probabilem admittere videtur Bresserus *de conf. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 197. Januar. *de cas. reserv. resol.* 3. *num.* 5. ob rationes, quas habet Card. de Lugo *de pœnit. disp.* 16. *sect.* 2. *num.* 67. eamdemque absolutè sustinet Caramuel *lib.* 3. *the. moral. num.* 1539. ubi sic habet. *Confessus peccatum dubium ut dubium, si comperiat postmodum fuisse certum, non tenetur id ut certum confiteri. Ex communi tamen sententia, & praxi tale peccatum dubium est confitendum deinde ut certum. Sed ejusmodi praxis an ex scrupulo, vel ex ratione sit orta, non disputo. Videtur enim pœnitens non velle disputare, nec librare rationes, sed sequi securissimam partem.* Hæc ille.

Verùm opinio contraria est communis, teste ipso Caramuel, & in praxi servanda, sed cum distinctione. Nam vel pœnitens tantùm confessus est, se dubium mortale commisisse, vel integrè confessus est totam actionem peccaminosam, licèt dubitaverit unà cum Confessario, an illa fuerit mortalis. Si primo modo confessus sit, tenebitur illud ut certum reconfiteri. Et ratio est, quia peccatum subiiciendum est clavibus, prout est in conscientia pœnitentis: Atqui peccatum illud jam est in conscientia pœnitentis ut certum: Ergo subiiciendum est clavibus ut certum, qua ratione non fuit subjectum in priori confessione: Tùm quia si pœnitenti in præterita confessione constitisset de peccato commisso, obligatus fuisset illud tanquam certum clavibus subiicere; obligatio autem hæc cessavit ratione oblivionis, vel ignorantiæ. Ergo sublata oblivione, vel ignorantia, redit obligatio illud confitendi, tanquam certum.

Si verò secundo modo, hoc est, si pœnitens integrè confessus est totam actionem

nem peccaminosam, seu peccatum à se admissum, dubitans tùm ipse, tùm Confessarius, an illud esset mortale, tunc non tenetur iterum confessionem illius peccati repetere; nisi aliundè confessio fuerit irrita. Tùm quia in hoc casu nulla nova circumstantia subiicienda esset clavibus, quæ in priori confessione non fuerit subjecta. Tùm quia ad Confessionis validitatem non necessariò requiritur, ut pœnitens, aut Confessarius determinatè sciat peccatum clavibus submissum esse mortale, vel veniale: Nam id distinctè, & determinatè scire in individuo, est moraliter impossibile. Ita Sanchez *lib.1. moral. cap.10. num. 69.* Turrian. *de pœnit. quæst.9. art. 2.* Escobar. *moral. theol. tract. 7. cap 7. cas. 12.* Card. de Lugo *cit. disp.16. num. 67.* Bassæus *v. confess. 3. num. 6. vers. Sed petes.* Dian. *par. 4. tract.3. resol. 5. & par. 6. tract. 6 resol. 13.* Bonac. *de pœnit. disp. 5. quæst. 7. punct.4. §. 2. n.1. 12. & 14.*

An pœnitens, qui confitetur se decies, plus, vel minùs mortaliter peccasse, si postea recordetur se duodecies deliquisse teneatur denuò illa duo peccata confiteri.

RESOLUTIO XIV.

AFfirmat Card. de Lugo *disp. 16. de pœnit. num. 67.* Alioquin qui hoc negat (inquit ipse) si cohærenter loqui velit, debet etiam negare, quòd peccatum submissum clavibus ut dubium debeat posteà iterum clavibus subiici, si post absolutionem pœnitens comperiat se illud certò commisisse; quæ tamen difficultas supra in affirmativam partem fuit resoluta.

His tamen non obstantibus, opinio negativa est sustinenda, pœnitentem scilicet in prædicto casu non obligari denuò confiteri illa duo peccata, tanquam certa, quæ sub illa formula *plus, vel minus* fuerunt ab ipso clavibus subjecta: Quia major ille numerus, v. gr. se duodecies mortaliter peccasse, satis fuit expressus in prima confessione, dicendo se decies, plùs, minusuè deliquisse. Ita Doctores infra citandi.

Secùs dicendum, si posteà in memoriam veniat numerus notabiliter expresso major ut si expressit decies se peccasse mortaliter in tali genere peccati, plùs minùsuè, & postea recordetur se vigesies peccasse, tunc tenetur in alia confessione explicare numerum, cujus oblitus erat in prima confessione: Quia est notabiliter major, & consequenter non censetur sufficienter in prima confessione expressus. Quodsi confessus vigesies, inveniat posteà se tantùm decies illud peccatum commisisse, non teneantur talem numerum in proxima confessione retractare: Nam id pænitens fecit bona fide, & confessio fuit integra; cum in numero majori contineatur minor, ut advertit Diana *par.2. tract.17. resol.25.* post Bonacinam. Ita Suarez *disp.22. de pænit. sect.5. num.38. & 39* ConincK *disp.7. dub.7. num.61.* Reginal. *lib.6. num. 126.* Fagundez *præcep 2. lib.3. cap.4. num. 9.* Vasquez *quæst. 90. art. 1. dub.5.* Sancius *in select. disp.2.* Filliuc. *t. 7. tract.7. cap.4.* Dian. *loc. cit. & par. 2. tr. 3. resol.94.*

Ad argumentum verò contrariæ sententiæ respondeo, negando paritatem: Nam qui confitetur peccatum ut dubium, non confitetur illud, prout est in conscientia; unde, habita certitudine, tenetur ad novam confessionem. Qui verò confitetur, se decies, plùs, vel minùs peccasse, tàm peccatum quòad substantiam exprimit, & sufficienter indicat etiam quòad numerum, ob communem illius formulæ *plùs, vel minùs* intelligentiam: Ideòque post compertam veritatem, & habitam certitudinem, ad confitenda illa duo, aut tria peccata, obligandus non est pænitens, cujus statum sufficienter novit Confessarius. Vide Dianam *cit. resol.94.*

An Confessarius, qui dubitat de sua jurisdictione circa casus reservatos possit ab illis absolvere.

RESOLUTIO XV.

REsponsio est negativa, quia possessio tali casu stat pro delicto, quod constat esse reservatum, dubia manente

jurisdictione: Unde quandiù ipsius intellectus anceps hæret circa facultatem reservatorum, non potest sine lethali culpa, extra mortis articulum directè absoluere: quia exponeret se periculo invalidè impendendi absolutionem. Indirectè tamen, & cum onere comparendi coram Superiore potest, aliquando absoluere, ut in casu prementis necessitatis, vel concurrente justa, & rationabili causa. Ita Suarez 3. *par. tom.* 4. *disput.* 26. *sect.* 6. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 5. Filliuc. *tract.* 7. *cap.* 8. *nu.* 226. ConincK *de Sacram. disp.* 8. *dub.* 6.

Propterea pęnitens absolutus cum jurisdictione dubia in casu necessitatis, & cum onere, tenetur iterum eadem peccata Sacerdoti, habenti jurisdictionem certam, confiteri: Est communis apud Dian. *par.* 4. *tract.* 3. *resol.* 38. quidquid in contrarium dicat Salas. 1. 2. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 27. *n.* 283.

Adverte tamen hanc resolutionem procedere tantum in casu, quo Sacerdos propriè dubitat: Nam si habet opinionem probabilem de sua jurisdictione, potest validè à reseruatis absolvere. Quod verum est, etsi opinio contraria esset probabilior, vel etiam si opinio illa probabilis falso niteretur fundamento: Quia suffragante opinione probabili, Ecclesia supplet jurisdictionis defectum, sicut eamdem supplet, concurrente errore communi, & titulo colorato. Ita Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 22. *n.* 65. *& lib.* 1. *moral. cap.* 9. *num.* 35. Lessius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 8. *num.* 68. Suarez *cit. disp.* 26. *sect.* 6. *num.* 5. *& de censur. disp.* 2. *sect.* 4. *num.* 2. Bonac. *de legib. disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 9. *numer.* 19. Reginal. *lib.* 1. *num.* 103. Dian. *par.* 2. *tract.* 13. *resol.* 2. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *n.* 9.

An Episcopus, vel alius Superior reservans propriæ legis reservantis dispositioni subjaceat.

RESOLUTIO XVI.

QUamvis omnia jura, tàm divina, quàm humana clamare videantur, & ratio ipsa suadeat, caput debere cęteris membris conformari. Hinc Christus Dominus apud *S. Matth. c.* 23. reprehendit Pharisæos; *enim, & non faciunt*.

Nihilominùs certa dari potest resolutio, Episcopum, vel alium Superiorem reservantem nequaquam propria reservatione ligari; Proindeque posse cuicunque approbato confiteri. Ita Card. de Lugo *disp.* 20. *de pœnit. sect.* 5. Floron. *de cas. reserv. par.* 1. *cap.* 3. §. 1. *num.* 5. Mazuchellus *disp.* 1. *quæst.* 2. *diff.* 1. *num.* 1. Graff. *de cas. reserv. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 30. Dian. *de legib. par.* 1. *resol.* 10. Quia etsi legislator, ad observationem suarum legum, teneatur vi directiua, ut Reip. caput reliquis partibus congruere videatur, ut dixi; non tamen vi coactiva, cum nullus in se ipsum ferre possit condemnationis judicium, si contra legem agat, neque in proprio facto esse judex, ait S. Thom. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. *ad* 3. Vide Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *num.* 3.

An Vicarius Generalis ligetur reservatione ejus Episcopi, cujus vices genit.

RESOLUTIO XVII.

REsponsio est affirmativa. Et ratio est quia Vicarius, quando delinquit tanquam privatus, non reputatur una, & eadem persona cum Episcopo, neque tunc ejus vices gerere censetur; Ideòque subjectus est Episcopo, ejusdemque legibus, ac pœnis obnoxius; & consequenter in casus reseruatos incidere potest. Ita Naldus *v. casus num.* 7. Ugol. *de off. & potest. Episcopi cap.* 39. *n.* 2. Floron. *de cas. reserv. cap.* 2. §. 2. *numer.* 12. Mazuchellus *de cas. reserv. disp.* 1. *quæst.* 2. *diff.* 2. *num.* 4. Lupus. *de cas. reserv. par.* 2. *cas.* 3. §. 6. *num.* 37.

An Vicarius Generalis, si in casum reservatum incidat, possit alteri Confessario facultatem delegare, ut ab eo absolvatur.

RESOLUTIO XVIII.

NEgativè respondet Graff. *in appendice ad decis. aur. lib.* 3. *cap.* 8. *nu.* 22. & quod asserit de Vicario Episcopi, idem sen-

sentit de Priore, vel alio quocumque, à Superiore absolvendi à reservatis facultatem habente.

Resolutio tamen est affirmativa, nimirùm tam Episcopi Vicarium, quàm Priorem, aut alium quemcumque à suo Superiore, non tantùm absolvendi à reseruatis, sed etiam subdelegandi facultate munitum, si incidat in casum Episcopo, vel Superiori reservatum, posse alteri Confessario facultatem delegare, & ab ipso absolui, eo prorsus modo, sicut Episcopus si incidat in casum Papæ reseruatum, à quo possit Diœcesanos absolvere, potest facultatem suo Confessario delegare, ut ab ipso absolvatur, sicuti fusiùs dicam infra *resol.*34. Resolutionis ratio est, quia facultas Vicarii est universalis, seu ad universitatem causatum, & cum potestate subdelegandi sibi data: Ergo ea uti potest etiam pro sua persona: Quæ ratio procedit etiam de quocumque alio facultate subdelegandi prædicto. Ita Vgol. *de off. & potest. Episcopi cap.* 20. *n.* 2. Naldus *v. casus n.*6. Floron. *de cas. reserv. par.*1. *cap.*3. §. 1. *n.* 3. Lupus *de cas. reserv. par.* 2. *cas.*3. §. 6. *n.*37. Mazuch. *disp.*1. *quæst.*2. *diff.*2. *n.*5. *vers. Ego vero resp.* Sanchez *lib.*8. *de matr. disp.*3. *nu.* 10. & *lib.*4. *moral. cap.*37. *nu.* 41. Layman *lib.*5. *tract.*6. *cap.*10. *n.*17.

Et quod dicitur de Vicario Generali, multò securiùs dici potest de Episcopo. Imò id declaratum esse à Sacra Cardinalium Congregatione, refert Suarez *disp.* 30. *de pœnit. sect.* 2 his verbis. *Si Episcopus in aliquod delictorum, de quibus* in Trident. sess. 24. c. 6. *lapsus sit, sibi licitum sit, ad se absolvendum, proprium Confessarium deputare, cum eadem auctoritate, quam ipse posset ex eodem capite in sibi subditos exercere.* Quæ declaratio sola æquitate nititur: Quia non decet Episcopum pejoris conditionis esse, quàm subditos suos. Ita Sanchez *lib.*2. *moral. cap.*11 *nu.*11. Rodriquez *lib.*1. *reg. qq. quæst.*21. *art.*8. Suarez *loc. cit.* & *tom.*5. *disp.*41. *sect.*2. *n.*9. Layman *lib.*5. *tract.*6. *cap.* 10. *n.* 17. Sayrus *de censu lib.* 7. *cap.*9. *n* 5. Quam Episcopi facultatem extendunt etiam ad dispensationem, ut Episcopus scilicèt possit alteri committere, ut secum in iis dispenset, in quibus ipse cum suis suditis dispensare non prohibetur. Ita Sanchez, Suarez, & Sayrus *ll. cc.* quidquid in contrarium sentiat Alterius *de censur. tom.*2. *disp.*8. *de suspensione c.* 4. *concl.*4. *vers. Quæri potest.* Sed de hoc fusiùs infrà *resol.*34.

An Parochus, vel Guardianus, qui à Superiore suo generalem obtinuit facultatem absolvendi subditos à casibus reservatis, si ipsemet in ejusmodi peccatum incidat, possit Confessario suo potestatem absolvendi seipsum committere.

RESOLUTIO XIX.

NEgat Ludovicus Beja *par.*4. *cap.* 5. Nam quàmvis concedat, si Episcopus Parocho, vel Provincialis Guardiano committat facultatem absolvendi subditos à casibus reservatis, posse Parochum suo Cooperatori, Guardianum Monasterii Confessario ejusmodi potestatis executionem delegare, non ita generatim, sicut ipsis commissa est, sed particulatim in certo casu, velit certam personam absolvendam; quod etiam docet Rodriquez *tom.* 1. *Regul. qq. quæst.* 21. *art.* 9. Dian. *par.* 2. *tract.* 17. *resol.*57. de quo fusiùs infra *resolut.* 36. Negat tamen posse illos in proposito casu committere Confessario suo potestatem absolvendi seipsos. Ratio ipsius est, quia jurisdictio delegata non extenditur ultra personas in delegatione expressas, ut habetur *in cap.*1. *de offic. delegati*, & *notat* Gloss. *in cap.*1. *vers. processus de rescrip. in* 6. Atqui in hac delegatione, seu privilegio exprimuntur tantùm subditi: Ergo non debet extendi ad eorum pastorem, puta Parochum, Guardianum, &c. cui tale privilegium concessum est.

Sed contrarium est probabilius, nempè si Parochus ab Episcopo, Guardianus à Provinciali generalem obtinuit facultatem absolvendi subditos à casibus reservatis, posse eamdem potestatem Confessario suo committere exercendam erga seipsum, si tali absolutione indigeat, excepto, si vel ea consuetudine, vel aliunde constet, aliam esse delegantis voluntatem.

Pro-

Probatur ex declaratione Sacræ Congregationis, præcedenti resolutione relata apud Suarez *disp.* 30. *de pœnit. sect.* 2. & Grazian. *de Benef. par* 2. *cap.* 10. *num.* 13.

Quæ declaratio sola æquitate nititur; quia non decet Episcopum pejoris conditionis esse, quàm subditos suos, ut etiam supra dixi. Hęc autem ratio eodem modo urget, si Episcopus Parocho, v.g. generalem potestatem conferat Parochianos à casibus Episcopalibus absolvendi. Accedit, quòd Episcopus, tribuens Parocho generalem facultatem absolvendi Parochianos à casibus Episcopalibus censeatur auferre reservationem respectu talis Parochiæ. Cùm igitur Parochi jure, seu potiùs consuetudine jus sibi deligendi Confessarium habeant, consequens est, eum absolvi posse ab ejusmodi casu, tanquam qui eo loco Episcopo reservatus non sit. Ita Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 3. *num.* 10. & *lib.* 4. *moral. cap.* 37. *num.* 41. Rodriquez *lib.* 1. *reg. qq. quæst.* 21. *art.* 8. Suarez *cit. sect.* 2. *num.* 15. Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 17. Bonac. *de pœnit. disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 2. *num.* 7.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur, quòd potestas delegata respectu certarum personarum non est extendenda ad alias: Potestas verò delegata respectu omnium subditorum, seu respectu totius communitatis ex quadam æquitate extenditur etiam ad ipsum Pastorem communitatis. Quæ interpretatio meritò fieri potest in re favorabili, cujusmodi est hoc Principis beneficium, quòd casuum reservationem, seu difficultatem absolutionis, veniæque obtinendæ aufert. Vide Layman *cit.*

Confessarius petit ab Episcopo facultatem, ut quidam pœnitens pro una vice à reservatis possit absolvi: Quæritur, an reputandus inclusus ipsa petens.

RESOLUTIO XX.

NEgativè respondet Graffius *in append. ad decisiones aureas lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 27. cui adhærere videtur Mazuchellus *disp.* 1. *quæst.* 2. *diff.* 2. *num.* 8. *vers. Ex modo tamen*, ubi sic habet. *Quoties petens est Sacerdos, videtur concessio intelligenda tantùm de absolutione activa.* Sicque inferre licet, Confessarium petentem in facultate obtenta non comprendi, eò quòd talis concessio intelligenda sit tantùm de absolutione activa, non autem passiva: Et consequenter Confessarium, qui eam facultatem obtinuit, non posse ea pro se uti.

Cœterùm mihi magis placet opinio contraria, quòd in tali facultate ab Episcopo obtenta, censendus sit inclusus ipse petens. Et ratio est, quia talis concessio est gratia, & beneficium Principis, quod latè interpretari convenit, ut scilicèt tam passivè, quàm activè facultas intelligatur concessa, nisi ex modo petendi, & concedendi excludatur petens, quod non fit in proposito casu, cùm petitio fiat sub forma tertiæ personæ, ut constat ex illis terminis, *ut possit absolvi*, æqui parantur enim istis, ut possit facere se absolvere. Secùs verò si diceret, ut eum, hoc est, pœnitentem possim absolvere, tunc enim concessio ex modo petendi limitaretur tantùm ad absolutionem activam: Ideòquè Confessarius petens, ea pro se uti non posset. Ita Card. de Lugo *disp.* 20. *de pœnit. sect.* 8. *num.* 119. Alphonsus de Leone, quem citat, & sequitur Diana *par.* 3. *tract.* 4. *de Sacram. resol.* 142.

An Vagi ligentur reservatione casuum, latâ ab eo Episcopo, in cujus Diœcesi confitentur.

RESOLUTIO XXI.

VAgi dicuntur, qui nullibi certam sedem, & domicilium habent, sed hinc, inde vagantur, carentes omni tàm originis, quàm habitationis domicilio. In quorum numerum venire etiam eos, qui, prius domicilium relinquentes, navigant, vel iter faciunt, quærentes ubi se collocent, docent Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 28. *num.* 4. Reginal. *lib.* 13. *num.* 172.

Ad propositam igitur difficultatem respondet Vgolinus *de off. & potest. Episcopi*

copi par. 2. *cap.* 39. *nu.* 4. cui videtur adhærere Sancius *in select. disp.* 54. *nu.* 34. vagos incidere quidem in casus Summo Pontifici reservatos, si violent leges juris communis, seu Ecclesiæ vniuersalis, non tamen incidere in casus, qui Ordinario loci reservantur: Quia Vagi (ait Vgolin.) non sunt Parochiani: Vnde si in casum aliquem Episcopo reservatum incidant, ejus absolutio non est Episcopo reservata & consequenter per quemcùmque Confessarium possunt absolvi.

Sed resolutio est affirmativa, vagos scilicèt ligari casibus ejus Episcopi, in cujus Diecesi confitentur. Et ratio est, quia licèt Episcopi reservatio nihil operetur circa vagos pœnitentes, operatur tamen circa Confessarios Episcopo reservanti subiectos, quibus ita limitat, ac ligat jurisdictionem, vt vagos à tali delicto absolvere non possunt. Quod impedimentum non provenit ex defectu subiectionis ipsius vagi, sed ex defectu jurisdictionis, quam ligatam, & impeditam Confessarius habet, pro eo tempore, quo vagi confessionem excipit, vt supponitur: Ergo vagi ligantur reservatione casuum, lata ab eo Episcopo, in cujus Diœcesi confitentur: Et sic non poterunt absolvi à Confessariis illius Diecesis, nisi facultatem habeant absolvendi à reservatis: Nam quilibet judicari debet juxta leges loci, in quo reperitur, ut ex communi docet Bonac. *de pænit. disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 5. §. 2. *num.* 11. Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 10.

Nequè id incongruum videri debet: Nam qui fruitur commodo, & incommodum perferre debet: Atqui vagi hoc fruuntur commodo, ut si habeant peccata reservata Episcopo loci, in quo ea patrarunt, possunt absolvi à quolibet Confessario illius Diecesis, in qua eadem confitentur, si ibi non sint reservata, ut infra clariùs patebit: Ergo & hoc incommodum subire debent, ut à quolibet Confessario absolvi non possint ab iis peccatis quæ licèt non sint reservata Episcopo loci, in quo ea commiserunt, tamen reservata sunt Episcopo Diecesis, vbi ea clavibus subijciunt. Ita Card. de Lugo. *disp.* 20. *de pænit. sect.* 5. *numer.* 72. Bonac. *cit.* Layman *cit.* Floron. *de cas. reser. par.* 1. *cap.* 3. §. 4. & 5. Gambarupta *de cas. reser. cap.* 2. *num.* 35. Mazuch. *de cas. reser. disp.* 1. *quæst.* 2. *diff.* 3. *num.* 13.

Addo, cum secundùm veriorem sententiam Suarez 3. *part. tom.* 4. *disp.* 25. *sect.* 2. *num.* 7. ConincK *de Sacram. disp.* 8. *dub.* 8. *num.* 67. Bonac. *tom.* 1. *quæst.* 7. *disp.* 5. *punct.* 2. *n.* 4. Layman. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 7. Tolet. *lib.* 3. *cap.* 13. §. 3 *casus.* proprius vagorum Sacerdos sit Parochus ille, in cujus Parochia pro tempore versantur, cujus rei testimonium est, quòd si vagabundi sacramentis indigeant, Parochus loci ex officio tenetur ea illis ministrare, imò potest illos ad implendum annuæ confessionis præceptum compellere: Idcircò eos dici Parochianos domicilii, sed actualis habitationis; Nam actualis habitatio in hujusmodi hominibus succedit loco domicilij, & consequentur eos obstringi casibus illius Episcopi, in cujus Diœcesi confitentur.

Hinc patet responsio ad rationem Vgolini supra allatam: Nam licèt vagi non sint Parochiani domicilii, sunt tamen Parochiani actualis habitationis, quæ in hujusmodi hominibus succedit loco domicilii, quandoquidem aliud non habent, actualisque habitatio operatur in ipsis quod in alijs operatur domicilium. Vide Suarez *cit. disp.* 25. *sect.* 2. *num.* 7. Vasquez *quæst.* 93. *art.* 2. *dub.* 4. & nouissimè Bassæum *v. Confessarius* 1. *nu.* 15.

Adverte tamen, quòd si Confessarius inferior, sequendo non improbabilem Vgol. & Sanc. sententiam, vagos à casibus reservatis absolvat, absolutio erit valida. Quod verum est, etiamsi opinio illa falsis niteretur fundamentis: Nam, suffragante opinione probabili, Ecclesia supplet jurisdictionis defectum ut supra dictum est *resolutione* 15. & docet. Sanchez. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 22. *n.* 65. Lessius *lib.* 2. *cap.* 39. *dub.* 8. *n.* 68. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *num.* 9.

Vtrum autem, quod asseritur de vagis, resolvendum sit etiam de peregrinis controvertitur inter Doctores: quo fit sequens resolutio.

An

An Peregrinis habentes casus reservatos Episcopo loci, in quo confitentur, possint absolvi à quolibet exposito Confessario si casus illi Episcopo proprii Domicilii non sint reservati.

RESOLUTIO XXII.

PEregrinus, secundùm naturalem vocabuli significationem, dicitur, qui à sua patria peregrè proficitur. Verùm secundùm communem acceptionem, significat illum, qui extra suam patriam devotionis causa Romam v. g. vel ad Ædem Lauretanam, aut ad Divum Antonium de Padua iter suscipit.

Responsio igitur ad propositam difficultatem est negativa, peregrinos scilicèt, cùm in altera Diœcesi justa de causa confitentur, non posse absolvi à reservatis Episcopo loci, nisi ab habente facultatem absolvendi à reservatis in ea Diœcesi. Et ratio est, quia quilibet judicandus est juxta leges, & consuetudines loci, in quo reperitur. Vnde peregrinantes, seu iter agentes, licèt, spectata omnium locorum consuetudine, & ex tacito Parochorum consensu possint incidente necessaria, vel rationabili causa incolarum more confiteri vel Parocho illius loci, ad quem perveniunt, vel alteri Sacerdoti approbato ad confessiones in eo loco audiendas, non obstante, quòd suum domicilium, propriumque Parochum retineant: Nihilominùs si habeant casus Episcopo loci, ubi confitentur, reservatos, non possunt à simplici Confessario absolvi, etiamsi ea peccata in Diœcesi, ubi peregrini domicilium habeant, non sint reservata. Nam in foro sacramentali pœnitens judicari debet secundùm conditionem delictorum, quæ confitetur; itemque absolvi juxta jurisdictionem, quam obtinet Confessarius pro tempore, quo pęnitentis confessionem audi. Cum igitur tunc temporis Confessarius respectu reservatorum ligatam, & impeditam jurisdictinem habeat, ut supponitur, idcircò neminem ab iis directè extra mortis articulum absolvere potest. His addendum, hac de re extare decretum Sacrę Congregationis 19. *Nouemb.* 1616. quod irritam decernit in tali casu absolutionem. Ita Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 18. *quæst.* 2. *n.* 10. Suarez. *disp.* 30. *de penit. sect.* 1. Bonac. *de pænit. disp.* 5. *qu.* 7. *punct.* 5. §. 2. *n.* 11. Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 10. Card. de Lugo *disp.* 20. *de pænit. sect.* 5. *n.* 72. Bassęus *in florib. v. cas. res. n.* 11.

Contrarium tamen videntur sentire Fagundez 2. *Eccles. præcep. lib.* 8. *num.* 21. Graff. *par.* 1. *lib.* 4. *decis. aurea cap.* 2. *nu.* 18. Belloc. *de cas. res. par.* 2. *quæst.* 10. quos sequitur Ioseph de Januario *de cas. res.* 8. *n.* 1. Quorum ratio est, tùm quia peregrinus sicut non incurrit in censuram, latam ab Episcopo loci in quo confitetur, quando peccauit extra ejus Diœcesim; ita neque in reservationem, quæ cum habeat rationem pęnæ, afficere debet tantùm subditos, non peregrinos; Tùm quia reservatio est actus jurisdictionis, se extendens tantùm circa subditos Reservantis, non verò circa non subditos.

Sed prior ratio parùm firma est, quod constat ex discrimine, quod est inter censuram, & reservationem. Nam censura per statutum lata immediatè afficit territorium, illique cohæret, atque idcircò neminem ligat extra territorium peccantem, teste Layman. *lib.* 1. *tract.* 5. *cap.* 4. *n.* 7. *ex communi.* Reservatio verò non afficit territorium, neque in territorio existentes, sed afficit Confessarios, quibus adimit, vel limitat jurisdictionem, ne scilicèt absolvant tali crimine obstrictum. Altera ratio similiter facilè resolvitur: Nam reservatio est quidem actus jurisdictionis, sed talis actus nihil operatur circa pęnitentes, sed tantùm circa Confessarios, quibus limitat jurisdictionem, vt dixi. Et quòd reservatio nihil operetur circa pęnitentes, clarè constat ex eo, quod si Dięcesanus commisso crimine reservato in Dięcesi, deinde se transferat bona fide ad aliam Dięcesim, ubi tale delictum non est reservatum, ibi potest per Confessarium simplicem absolvi; quod non fieret, si reservatio proprii Episcopi aliquod vinculum afferret Dięcesano peccanti.

Addo, quòd cùm jurisdictio Confessarii inferioris in peregrinum ei detur ab Episcopo limitata, & ab ejus voluntate depen-

dependeat, non censetur posteà extra necessitatis casum ampliari ex sola conditione peregrini.

Addit Henriq. *lib.13. cap.25.n.2.* quòd Confessarius inferior potest absolvere pœnitentem, qui violavit legem, cui adnexa est censura, vel commisit delictum reservatum intra Diœcesim, sed in loco exempto. Quod quando id verum sit, mox resoluendum.

Pœnitens intra Diœcesim, sed in loco exempto commisit delictum, cui adnexa est censura, vel Episcopalis reservatio, an à Confessario inferiori possit absolvi.

RESOLUTIO XXIII.

PRo difficultatis resolutione diligenter est aduertendum, quòd duplex datur locus exemptus, alter propriè, & per se exemptus, uti sunt Parœciæ quædam intra fines alicujus Diœcesis sitæ, sed jurisdictioni alterius finitimi Episcopi subiectæ, de quibus. *In c. de divis. Diœces.* Alter impropriè, & per accidens, uti sunt Monasteria Regularium intra Diœcesim sita, quæ licèt à jurisdictione Episcopi sint exempta, eorum tamen exemptio non est per se, sed per accidens, ratione scilicèt Religiosorum, ibi degentium, qui ex privilegio sunt exempti: sicuti constat ex *cap. cum Episcopus de off. ordin. in 6.* His prænotatis.

Dico primò. Pęnitens, qui intra Diœcesim, sed in loco exempto prioris generis, commisit delictum, cui adnexa est censura Episcopo Diœcesis reservata, à Confessario inferiori potest absolui. Ratio est clara; quia censura per statutum ab Episcopo lata ligat tantùm subditos in Diœcesi existentes, ut dictum est pręcedenti resolutione: Nam *extra territorium jus dicenti impunè non paretur*, ut dicitur *l. ult. ff. de jurisd. omnium judicum:* Sed pœnitens, cùm commisit delictum, cui adnexa est censura, non censetur existere intra Diœcesim, quia locus hujusmodi intra Diœcesim exemptus in ordine ad jurisdictionem Episcopi, æquiparatur loco sito extra Dięcesim, teste Syl. V. *excommu. 2. n. 12.* Avila *par. 2. cap.3. disp. 2. dub.5. argum. ex cap.1. de privileg. in 6.* Ergo &c.

Dico secundò. Pænitens, qui commisit delictum reservatum in loco exempto, v. g. in Paręcia intra Dięcesim sita, sed jurisdictioni alterius Episcopi subiecta, si ibi incolarum more, & ex consuetudine ab Eugenio IV. approbata velit confiteri, à Confessario inferiori potest absolui; dummodò inibi etiam tale delictum non sit Episcopo reservatum, de quo vide fusiùs in resolutione sequenti. Si tamen extra illam Paręciam exemptam, sed in Dięcesi confessionem instituat, non potest per Confessarium inferiorem absolui; quia inferior cùm habeat jurisdictionem limitatam, neminem extra necessitatis casum potest absolvere tali reservato crimine obstrictum. Vide præcedentem resolutionem, & D.D. *ibi citatos.*

Dico tertiò. Pęnitens, qui in loco exempto posterioris generis, videlicèt in Monasteriis Regularium commisit delictum, cui adnexa est censura, vel Episcopalis reservatio, per Confessarium inferiorem non potest absolvi. Et ratio est; quia Monasteria, à jurisdictione Episcopi exempta, dicuntur exempta ratione personarum tantùm, hoc est, Religiosorum, ibi degentium. Unde Monasteria hujusmodi non dicuntur esse extra Dięcesim, sed in Dięcesi, *arg. tex. in c. cum Episcopus de offic. Ordin. ubi* hoc nonent D. D. & Gloss. *in clem.1. de foro competenti, verb. aut earum parte* Cagno. *aliis relatis in l. ult. num. 13. ff. de jurisdictione omn. jud. de quo vide* Merollam *tom.2. disp. 4. cap.3 n. 489.* Et hoc patet evidenter; Nam si Religiosi Monasterium deserant, & in aliud causa inhabitandi se recipiant, Monasterium ab ipsis recèns habitatum efficitur exemptum, derelictum verò, & in ipso habitantes remanent subiecti jurisdictioni Episcopi, intra cujus Dięcesim existunt. Præterea Episcopus existens, seu habitans in his Monasteriis exemptis verè dicitur residere in sua Dięcesi, & ideò alternativa gaudet. Gomez *in reg. 8. cancella. gloss.43. q.7. n.108.* Addo, quòd Episcopus si non posset punire delicta à suis subditis in Monasteriis exemptis patra-

ta, hujusmodi delicta remanerent impunita, quod non est dicendum. Ita Suarez *tom.5. in 3.part. disp.5.sect.4.n.6.* ConincK *disp.13. dub.7.n.63.* Salas *de legib. disp.14. sect.6.n.85.* Filliucius *tract.11. cap 5. quest. 9.n.249.* Palaus *tom.1. tra.3. dis.1. pun.24. §5. nu.30.* Merolla *cit.* Joseph de Januar. *de cas. reser. resol.34. nu.22.* Ita etiam à me consultus respondit Reverendiss. Dominus meus Io:Franciscus Montanarus, Collegiatę Ecclesię Sancti Bartholomæi Venetiarum Pręsul, Curięq; Patriarchalis ejusdem Urbis Generalis Vicarius, vir acerrimi judicii, spectatę prudentię, egregięquè doctrinę insignibus decoratus: contra Henriquez, quem citat, & sequitur Layman *tract.4. cap.11.n.5.*

Vtrum Peregrini, & Advenæ possint in aliena Diœcesi à casibus proprio Episcopo reservatis per simplicem Confessarium absolvi.

RESOLUTIO XXIV.

NEgatiuè respondent Sotus *in 4. dist. 18. q.2. art.4.* Graff. *part.1. lib.1. c.13.* Comitolus *in respon. moral. qu.28. nu.2.* Zerula. *in praxi de pœnit. cap.15. quæsito.8.* asserentes, peregrinos, aliosque iter facientes, licèt ex pręsumpta proprii Pastoris licentia, possint in omni loco confiteri peccata sua cuicunque Sacerdoti approbato, tamen hoc illis minimè licere, quoties casuum reservatorum vinculo sint obstricti.

Sed in affirmativam partem resolvitur difficultas, nempe peregrinos, aut iter agentes, innodatos casibus proprio Episcopo reservatis, posse in aliena Diœcesi per quemcunque expositum Confessarium absolvi; dummodò illi casus non sint etiam Episcopo loci, in quo confitentur reservati. Et ratio est, quia peregrinus, seu iter agens eo ipso, quòd in aliena Diœcesi versatur, potest confiteri, & absolvi more incolarum illius Dięcesis, & ita se gerere, ac si subditus esset illius Episcopi.

Quæ doctrina maximè fundatur in consuetudine approbata ab Eugenio IV. teste Diana, & Card. de Lugo infra citandis. Cum igitur in illo Episcopatu peccata illa non sint reservationi obnoxia, potest peregrinus à quocumque Confessario absolvi. Non enim tenetur Confessarius vnius Diœcesis scire casus reservatos in aliena Diœcesi; Sed sufficit, si probè sciat, & servet jus reservans sui Episcopatus. Ita Caiet. *v. absolutio 2.* Nauar. *in man. cap.27. numer.275.* Suarez *disp.30. de pœnit. sect.1. num.4.* Reginal. *in praxi. tom.1. lib.8. cap.5. sect.3. num.96.* Filliuc. *tract.7. cap.7. num.283.* Layman *lib.5. tract.6. cap.10. numer.10.* Dian. *par.2. tract.17. resol.56.* Card. de Lugo. *disp.20. de pœnit. sect.5. num.68.* Joseph de Januar. *de cas. resol.9. n.1.* qui *resol.6. numer.2.* ex eodem fundamento hanc doctrinam extendit ad casum etiam, quo excommunicatus per sententiam generalem ab homine se confert ad locum, ubi talis excommunicatio non est reservata, nam ibi poterit (ait Januar. citans ConincK *disp.14. dub.16. numer.258.*) à quocunque Confessario absolvi. Verùm hæc extensio videtur limitanda ad casum, quo excommunicatus ratione quasi domicilii factus est subditus Episcopo loci, in quo confitetur, vel si alia justa, & rationabilis causa id suadeat. Vide Dian. *par.5. tract.9. resol.8.*

Dixi, dummodò illi casus Episcopo loci non sint reservati: Nam si essent utrique Episcopo, videlicèt Episcopo proprii, domicilii, & Episcopo loci reservati, teneretur pœnitens confessionem instituere apud Sacerdotem potestate absolvendi à reservatis munitum, ut dubio præcedenti resolutum fuit.

Limitant hanc resolutionem Belloc. *de cas. reser. par.1. quæst.2 nu.28.* Floron. *de cas. reser. par.1. cap.3.* Gambar. *cap.2. num.63.* ut procedat, quoties peregrinus, vel iter agens domicilium mutaverit, vel aliud acquisierit, tunc enim aiunt à reservatis per simplicem Confessarium posse absolvi. Secus verò si domicilium non mutaverit, nam eo casu ad proprium Episcopum dicunt esse remittendum.

Sed hanc limitationem meritò refellit Januar. *cit. resol.9. numer.1. & 2.* cui sub-

subscribit Mazuch. *disp. 1. quæst. 3. diff. 11. num. 32.* Nam in hoc casu attendenda est ita tùm Confessarii jurisdictio, quæ si limitata, & impedita non est per reservationem proprii Ordinarii, poterit ea uti, absolvendo peregrinum à casibus in ea Diœcesi non reservatis: Nam peregrinus, vel iter agens in alieno Episcopatu, non ideò ibi confitetur, & absoluitur eo, quòd jus habeat eligendi sibi Confessarium, sed quia eo ipso, quòd versatur in alieno Episcopatu, potest ibi absolvi more incolarum illius Diœcesis, & ita se gerere, ac si esset subditus illius Episcopi, ut supra dictum est, & notavit Bassæus *in florib. cit. v. cas. reserv. num. 9.*

Et hæc resolutio, sicut & præcedens locum habet etiam in aduenis, aliisque iter agentibus, & multò magis in militibus, servis, scolaribus mercatoribus &c. qui sæpè numerò in loco quasi domicilium habent; sicuti docent Bonacina *disp. 5. de pœnit. quæst. 7 punct. 5. §. 2.* Card. de Lugo *disp. 20. de Sacram. pœnit. sect. 5. num. 72.*

Obiicies. Stante hac sententia, possent multi peregrinationem, vel iter suscipere hac sola intentione, ut absolverentur à casibus reservatis: Sed hoc est maximum inconveniens: Ergo &c.

Pro hujusce obiectionis solutione sit sequens resolutio.

An qui peregrinationem, vel iter per aliam Diœcesim suscipit eo animo, ut alteri Sacerdoti tàm reservata, quàm non reservata confiteatur, si ibi confessionem instituat, validè absolutionem recipiat.

RESOLUTIO XXXVII.

Affirmat Basilius Pontius *lib. 5. de matrim. cap. 9. num. 6.* cui adhæret Filliuc. *tract. 7. num. 195.* & subscribunt Diana *par. 3. tract. 9. resol. 28.* Castrus Palaus *tract. 3. de legib. disp. 1. punct. 24. §. 4.* Joseph. de Januar. *de cas. reserv. resol. 9. num. 1.* asserentes, consuetudinem introduxisse, ut iter agentes possint absolvi à Parocho loci, ubi reperiuntur, etiamsi eo animo solùm, ut alteri Sacerdoti confiterentur, propria Parochia exierint. Ratio hujus opinionis est, quia in hoc casu (ajunt relati Doctores) non adest fraus illicita, nec dolus malus, sed utuntur jure suo.

Sed opposita sententia tamquam certa est tenenda, videlicèt peregrinationem, vel iter suscipientes ad hunc finem, ut proprium Parochum evitent, & alteri confiteantur, non validè confiteri, neque absolui à Sacerdote illius loci, ad quem ex industria divertunt: Tùm quia illa non esset necessitas, sed voluntas, & non esset juxta intentionem Pastorum, nec consuetudinem Ecclesiæ, per quam à Summo Pontifice confertur jurisdictio, ad absolvendum iter agentes, qui bona fide, & non in fraudem legis ad aliquem locum perveniunt: Tùm quia fraus, & dolus nemini patrocinari debent: Ideòque obstante ea mala fide, & fraude, non esset valida confessio. Ita Suarez *de pœnit. disp. 25. sect. 2.* Vasquez *quæst 93. art. 2. dub. 4. nu. 4.* ConincK *disp. 8. dub. 8. num 61.* Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 2.* Bonacina *to. 1. disp. 5. quæst. 7. punct. 2. num. 5.* Regin. *lib. 1. num. 74. & 79.* Sylves *v. confess. 1. quæst. 11.* Præpos. *de pœnit. quæst. 7. nu. 56.* Bassæus *in florib. v. confess. 1. num. 6.*

Monuerim tamen, si pœnitens non mala fide, sed sequendo opinionem Pontii, Filliuc. Dianæ, Palai manifestè non improbabilem, à propria Parochia recedens, alteri Sacerdoti confiteatur, ab eoque absolvatur, absolutionem fore validam; Idquè verum arbitror, etsi opinio illa falso niteretur fundamento: Nam concurrente opinione probabili, Ecclesiam supplere jurisdictionis defectum, supra resolutum fuit *dubio 15.* ex Sanchez Less. Bonac. Laym. aliisque Doctoribus *ibi citatis*.

Quid autem in hoc casu possit Confessarius generaliter approbatus, patebit ex sequentis dubii resolutione.

An Confessarius in aliqua Diœcesi generaliter approbatus ad audiendos quoscumque ad se accedentes, possit etiam excipere confessionem eorum, qui ad ipsum accedunt, gratia vitandi proprium Parochum.

RESOLUTIO XXVI.

Responsio est affirmatiua: quia jurisdictio, & subiectio sunt correlatiua Cum ergo in casu proposito Confessarii jurisdictio sit generalis, & absoluta respectu pœnitentium totius Diœcesis, ut supponitur potest eam generaliter, & absolutè in quoscumque pœnitentes illius Dięcesis exercere etiamsi gratia vitandi proprium Parochum ad ipsum accesserint.

Et confirmatur, quia ideò Parochus unius loci non potest subditum alterius Parochi absolvere absque expresso, vel præsumpto ejusdem Parochi consensu, quia ipsius jurisdictio se extendit tantùm ad suas oves, non verò ad oues alterius: Igitur cùm jurisdictio Sacerdotis, de quo in casu, ex concessione Episcopi, qui est Parochus totius Dięcesis, & Pastor totius Dięcesalis Ouilis, se extendat ad omnes oues Dięcesis hoc est, ad omnes Dięcesanos, & subditos illius Episcopi, idcircò potest omnes pęnitentes illius Dięcesis ad se accedentes audire, non obstante, quòd ad ipsum eo animo accesserint, ut proprium Parochum vitarent. Ita Mazuch. *disp.1. quæst.3. diff.11. nu.23. versic. moverim tamen.*

Hinc cernere licet discrimen inter hanc, & præcedentem resolutionem: Nam in præcedenti Sacerdos non habet jurisdictionem nisi juxta consuetudinem siue concessionem Summi Pontificis, qui non censetur concedere Parocho loci, aut alteri in eo loco cum solita limitatione approbato jurisdictionem excipiendi confessionem eorum, qui ad ipsum accedunt in fraudem legis, & contemptum proprii pastoris: In hocce verò casu Sacerdos ex suppositione jurisdictionem illimitatam, & absolutam ab Episcopo obtinet excipiendi omnes pęnitentes illius Diœcesis. Quod cum fiat juxta consensum pastoris totius Dięcesalis Ovilis, consequenter nihil officit validæ absolutioni, quamuis simul pęnitens id pręstet occasione vitandi proprium parochum.

Aduertendum est tamen, quòd, licèt Sacerdos generaliter approbatus possit audire quoscumque pęnitentes propriæ Dięcesis, nihilominùs excipere non potest pęnitentes Dięcesis alienę, quoties ipsi innotuerit, eos ad se accessisse proprii Parochi vitandi causa: sicuti, juxta veram, & communiorem sententiam, dubio superiori resolutum fuit.

An impuberes delinquentes incurrant reservationem tali delicto adnexam.

RESOLUTIO XXVII.

Affirmat universaliter loquendo, Mazuch. *de cas. reserv. disp.1. quæst. 2. diff.4. n.15.* ea nixus ratione, quòd reservatio non sit pęna, sed ablatio jurisdictionis absoluendi ab aliquo delicto, qua dempta, nullus sive pubes, sive impubes absolvi potest.

Veriùs tamen est impuberes ligari quidem reservatione adnexa iis peccatis, quę non sunt carnalia, qualia sunt homicidium, blasphemia &c. ea verò reservatione, quę peccatis carnalibus est adnexa, eos non ligari, quia reseruatio requirit actum completum, & consumatum: Impuberes autem, regulariter loquendo, actum non complent: quę excusationis ratio locum habet etiam in adultis; Et hinc soluitur ratio Mazuch. Ita Graff. *de cas. reserv. lib.1. cap.4. regul.8. n. 38.* Finell. *de cas. reserv. cap.5. n.5.* Floron. *de cas. res. par.1. cap.3. n.30.31.& 32.* Dian. *par.2. tract.1. resol.14.*

Quoties tamen constaret, impuberem, malitia supplente ętatem, habilem esse ad seminandum, existimarem cum Mazuchello innodari etiam ea reservatione, quę peccatis carnalibus est adnexa: quia impubes, recepta habilitate ad seminandum, perinde est in ordine ad reservationem, ac si esset puber: Ideòque censendus est reservanti legi subiectus.

An

An impubes succubus, qui turpiter patitur pubere, ligetur reservatione, vbi nefandum scelus est reservatum.

RESOLUTIO XXVIII.

NEgativè respondet Iacobus de Graf. *to.* 1. *consiliorum lib.* 5. *de adul. conf.* 3. *n.* 13. citans Dianam *par.* 1. *trac.* 15. *resol.* 1. quia peccata carnalia, quæ genitalibus fiunt, non tribuuntur impuberibus, ex *cap.* 1. *de delictis pueror.* quod etiam procedere ajunt, quando impubes succubus turpiter patitur à pubere, qui, licèt ligetur reservatione lata in committentes nefandum sodomiæ scelus, non tamen impubes.

Sed probabiliùs existimo cum Mazuchello *infra citando.* impuberem succubum muliebriaque turpissimè patientem, reservatione innodari, dummodò ex parte puberis incubi sodomiticus actus consumetur. Quia in correlativis dispositum de uno censetur dispositum etiam de altero: Atqui pubes incubus, si actum sodomiticum compleat, & consumet, incurrit reservationem, vbi Sodomia est reservata; Igitur etiam succubus, qui censetur turpem actum complere, ex eo, quòd incubus complet. Ita Mazuch. *de caf. refer. disp.* 1. *quæst.* 2. *diff.* 4. *nu.* 25.

Illud verò caput *de delict. pueror.* intelligi debet de delictis puerorum quoad pœnam, non quoad culpam: Reservatio autem propriè non est pœna, sed negatio jurisdictionis, teste Card. de Lugo *disp.* 20. *de pæn. sect.* 1. *n.* 9. qua dempta, nullus sive pudes sive impubes à consumato delicto reservato potest absolvi.

An Novitii peccantes subiaceant casibus Prælato Monasterii reservatis.

RESOLUTIO XXIX.

AFfirmativam sustinent Peirinus *de priuileg. Minim. super const.* 10. Vrb. VIII. *numer.* 9. Cordub. *in quæst. the. lib.* 1. *quæst.* 30. Tambur. *de jure Abbat. tom.* 2. *dist.* 6. *q.* 6. *num.* 11. Layman *lib.* 4. *trac.* 5. *cap.* 4. *nu.* 4. Fundamentum est, quia Nouiti pro eo tempore sunt commissi jurisdictioni Religionis: Ideòque censetur mutasse domicilium, & territorium, præsertim quòad ea, quæ spectant ad sacramenta necessaria, & consequenter ligari reservatione lata à Superiore monasterii.

Communis tamen sententia est negativa, Novitios scilicèt non subjacere casibus in Religione reservatis: quia licèt Novitii in favorabilibus veniant nomine Religiosorum, non tamen in odiosis. Reservatio autem est odiosa, ideòque ad Professos tantùm est restringenda. Ita Ugol. *de off. & potest. Episc. par.* 2. *cap.* 35. §. 1. *num.* 5. Graff. *in append. ad decis. aure lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 69. Coriol. *de cas. reser. par.* 1. *sect.* 3. *art.* 18. *nu.* 3. & 4. Azor. *par.* 1. *inst. moral. lib.* 12. *cap.* 3. *quæst.* 10. Homob. *de cas. reser. par.* 1. *cap.* 3. *num.* 7. Dian. *par.* 3. *trac.* 2. *resol.* 4. & *par.* 4. *trac.* 4. *resol.* 5. Mazuch. *de cas. reser. disp.* 1. *quæst.* 2. *diff.* 5. *num.* 15.

A quibus verò Confessarijs Novitii sint à reservatis absolvendi, controvertitur inter Doctores: pro quo sit sequens resolutio.

Nouitii, si in casus Episcopo reservatos incidant, à quonam sint absolvendi.

RESOLUTIO XXX.

ALiqui, vt Henriquez *de indulg. cap.* 21. & *de pœnit. cap.* 16. §. 3 Peregrin. *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 20. Cordub. *lib.* 1. *quæst* 30. Suarez *de relig. tom.* 4. *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 11. & alii sustinent, Nouitios casibus Episcopalibus obstrictos, vel per Prelatum monasterii, vel per simplicem Confessarium à suo Prælato deputatum posse absolvi.

Probabilior tamen est sententia contraria, nimirùm Novitios absolvendos esse vel ab Ordinario, vel ab habente facultatem absolvendi à reseruatis ab Ordinario; Quia Nouitii ante professionem, & in ordine ad sacramentalem absolutionem non distinguntur à secularibus.



Unde quemadmodum cœteri seculares, si incidant in Episcopalem reservationem, vel ab ipso, vel ab ejus delegato sunt absolvendi, ita etiam Novitii. Nam unumquodque per quas causas inducitur, per easdem & dissolvitur. Ita Ugol. *de offic. & potest. Episc. par. 2. cap. 35. & 39.* Graff. *in append. ad decis. aure. lib. 1. cap. 7. nu. 69.* Naldus *v. Novitii.* Homob. *de cas. reserv. par. 1. cap. 3. num. 7.* Mazuch. *de cas. reserv. disp. 1. quæst. 2. diff. 5. num. 16.* Dian. *par. 3. tract. 2. resol. 4. & par. 4. tract. 4. resol. 5.*

Cœterùm cùm prior opinio, ob auctoritatem Doctorum eam sustinentium non sit improbabilis, poterit Confessarius Novitiis deputatus se illi conformare in praxi, eosque à casibus Episcopalibus, si in ipsos inciderint, absolvere. Negari enim non potest, in favorabilibus nomine Religiosorum venire etiam Novitios: Unde sicut Professi per simplicem Confessarium possunt absolvi à reservatis Episcopo loci; ita etiam Novitii.

An transgressor Episcopalium constitutionum, quibus adnexa est reservatio, excusetur ab ipsa reservatione, si laboret ignorantia.

RESOLUTIO XXXI.

AFfirmativæ sententiæ videtur adhærere Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 32. num. 17. & 18.* ubi tradit, ignorantiam non crassam, neque affectatam excusare à pœna, & ab eo, quod habet rationem pœnæ: qualis est reservatio ab Episcopo lata. Quam sententiam novissimè, & absolutè tuetur Joseph de Januario *de cas. reserv. resolutione 1. num. 1. & 6.* & probabilem putat Dian. *par. 6. tract. 6. resol. 42.* Quorum ratio est, quia reservatio, quamvis inducta sit ad bonam Ecclesiæ gubernationem; tamen, attenta difficultate, quam inducit obtinendæ absolutionis, rationem pœnæ assumit: & consequenter latæ reservationis ignorantia ab ea incurrenda excusare censetur.

Pro hujusce difficultatis resolutione notandum est primò, quòd ignorantia (omissis aliis distinctionibus) dividitur in ignorantiam juris, & facti: Ignorantia juris, quòd attinet ad hunc locum, dicitur, cùm quis nescit latam esse ab Episcopo legem, seu statutum, quo alicujus delicti absolutionem sibi reservat: Ignorantia verò facti, cùm quis in actu practico ignorat se patrare delictum, in tabella reservationis contentum, illudque involvere eam specialem malitiam, ac deformitatem, cujus intuitu, & in cujus odium lata est reservatio

Secundò notandum, quædam per se, & suapte natura esse mala, ut homicidium, perjurium, incestum: blasphemiam, &c. atque idcircò præceptis divinis, & humanis prohibita. Quædam verò per se mala non esse, sed talia fieri per positivę legis, aut Episcopalis constitutionis prohibitionem: ut festo die laborare, denunciationem legatorum piorum omittere, bona incerta retinere &c. His prænotatis.

Dicò primò. Ignorantia juris, seu latæ reservationis excusat ab ea incurrenda, quoties versatur circa ea, quæ per se mala non sunt, sed talia fiunt per positivæ legis, aut Episcopalis constitutionis prohibitionem. Unde ignarus reservationis tali constitutioni adnexæ, v. g. de denunciandis legatis piis, vel deferendis ad capsam incertis &c. censeri debet à tali reservatione immunis: Nam talis reservatio se habet per modum pœnæ statutæ in transgressores hujusmodi constitutionum. Unde quemadmodum eo casu transgressores Episcopalium constitutionum ob ignorantiam inculpabilem excusantur à culpa; ita & à reservationis pœna, quæ non habet locum, ubi deficit lethalis culpa: & de hoc genere reservationis intelligendus est Sanchez *loc. supra citato.* Ita Ugol. *de off. & potest. Episc. cap. 39. num. 1* Homob. *de cas. reserv. par. 1. c. 3. n. 14.* Hurtad. *in 2. 2. tom. 1. disp. 84. sect. 1. §. 8.* Card. de Lugo *disp. 20. de pœnit. sect. 1. num. 9.* Dian. *cit. par. 6. tract. 6. resol. 42.* Baltæus *in florib. v. ignorantia num. 17. vers. sed dubium.* Mazuch. *de cas. reserv. disp. 1. quæst. 2, num. 19.*

Dico secundò. Ignorantia juris, seu inductæ reservationis non excusat ab ea incurrenda, quoties versatur circa ea, quæ per se, & suapte natura sunt mala, ut homicidium, perjurium, incestus, blasphemia,&c. si quo in loco his delictis reservatio sit adnexa, dummodò specifica reservati criminis malitia sit delinquenti cognita, & perspecta: Tùm quia, cum divina, naturalique lege sint prohibita, & delinquentes contra divina, naturaliaque præcepta se peccare, specificamque actus malitiam, ac circumstantiam non ignorent: Idcircò nequè ab eorum transgressione, neque ab adnexa reservatione possunt excusari. Tùm quia talis reservatio, quæ ab Ecclesia inducitur, ut fideles ob difficultatem obtinendæ absolutionis à quibusdam gravioribus delictis absterreantur, propriè non est pœna penitentis, sed limitatio, seu negatio jurisdictionis Confessarii, qui defectus non tollitur per ignorantiam inductæ reservationis. Quod usus, & praxis tùm Confessariorum, tùm Religionum confirmat, in quibus ignorantia reservationis non tribuit facultatem absolvendi pœnitentem, qui probè cognita delicti malitia, reservationem ejus ignoravit. Siquidem reservatio hujusmodi non statuitur, ut pœna, sed ut medicina. Card. de Lugo *cit. disp.* 20. *de pœnit. sect.* 1. *num.* 9. Dian. *cit. par.* 6. *tract.* 6. *resol.* 42. Homob. *cit. cap.* 3. *num.* 14. Bassæus *cit.*

Dico tertiò. Ignorantia inculpabilis juris, & facti, vel etiam solius facti, seu circumstantiæ, quæ actioni retinenti propriam malitiæ speciem, quam habet ex objecto, adfert novam speciem gravioris malitiæ, in cujus odium præcisè lata est Episcopalis reservatio, excusat à reservatione: non obstante, quòd ignorantia versetur circa actus, qui per se, & suapte natura sunt mali, divinaque, ac naturali lege prohibiti. Sit exemplum. Titius carnaliter cognoscit consanguineam, ignorans circumstantiam consanguinitatis; iste etsi non excusetur à mortali culpa vel fornicationis, vel adulterii, aut stupri, eò quòd voluntariè exerceat actionem, quam cognoscit involvere in se malitiam vel fornicationis, vel adulterii, vel stupri, suapte natura malam, jureque naturali, ac divino prohibitam, excusatur tamen à crimine incestus, ob ignorantiam facti, hoc est, specificæ circumstantiæ, & ex defectu advertentiæ ad malitiam incestus, ad quod flagitium præcisè impediendum lata est illius criminis reservatio: Quæ malitia eo casu Titio non potest imputari ad culpam, utpotè incognita, adeòque involuntaria. Est contra Homobonum, quem citat, & sequitur Lupus *de cas. reserv. par.* 2. *cas.* 2. §.4 *nu.* 23. quorum opinio mihi non probatur.

Idem videre licet in perjurio, seu depositione falsa testis in judicio, quod delictum plerisque locis Episcopali reservationi est obnoxium. Nam si testis intendens iniqua mente deponere falsum in judicio per errorem, & ignorantiam deponat verum; etsi ob pravum affectum delinquat mortaliter contra præceptum naturale divinum, & teneatur etiam ad damnorum refectionem; cum delictum, quod est ita occultum, ut nullo modo probari possit in judicio, perinde sit in ordine ad forum externum, ac si non esset commissum; quo casu accusator dicitur calumniator, & testes dicuntur falsi, & iniqui; Ideòque damna inde provenientia sint resarcienda. Nullam tamen incurrit reservationem ob defectum conditionis, ac circumstantiæ, quam jus reservat requirit, nempè falsitatis tàm materialis, quàm formalis in judicio: Cujus circumstantiæ defectus ad ignorantiam facti reducitur.

Neque refert, quòd in utroque casu reipsa incestus, & perjurii crimen committatur: Nam in priori casu verum est materialiter, & ex natura operis; non verò formaliter, & ex intentione operantis, ex qua actus moralem speciem accipiunt. In posteriori autem verum est affectivè, & ex intentione operantis, non verò effectivè, & ex natura operis, quorum utrumque requiritur ad incidendum in reservationem. Ita colligitur ex Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 16. *num.* 10. Layman *lib.* 1. *tract.* 6. *cap.* 4. Card. de Lugo *disp.* 20. *de pœnit. sect.* 1. *num.* 9. Dian. *cit.*

par.6. tract. 6. resol. 42. & expressè docent Floron. *de cas. reserv. par. cas.* 6. §.1. *nu.* 31. Graff. quem citat, & sequitur Mazuch. *de cas. reserv. disp.* 1. *cap.* 4. *quæst.* 3. *num.* 57. Januar. *de cas. res. resol.* 57. *n.* 2. *in fine*.

Quinam habeat facultatem ordinariam absolvendi à casibus reservatis.

RESOLUTIO XXXII.

RESp. sicut reservandi casus potestatem habent tùm Summus Pontifex in universa Ecclesia, tùm Episcopi in suis Diœcesibus, tùm cœteri Prælati, qui in utroque foro jurisdictionem ordinariam, quasi Episcopalem obtinent, quales sunt Abbates quidam exempti, & Generales, Provincialesque Religionum, quoad sibi subditos Regulares; ita potestatem ordinariam absolvendi à casibus reservatis habet ille, qui reservavit, & Superior ipsius reservantis in sacramentali foro: Nam qui potest ligare, potest etiam soluere: & res per quas causas nascitur, per easdem & dissolvitur.

Præterea eamdem facultatem ordinariam habet successor ejus, qui sibi reservavit, & Capitulum sede vacante, quòd succedit Episcopo non in dignitate, sed in jurisdictione ordinaria Episcopali ita, ut facultatem habeat absoluendi etiam à casibus Sedi Apostolicæ reservatis, si occulti sint, per sacerdotem ad id deputatum: Sicuti docent Abbas in c. Cum olim de majorit. & obedien. q. 5. Rebuf. in praxi benef. par. 1. t. de devol. nu. 58. Suarez disp. 30. de pœnit. sect 2. num. 4. Quarant. Sum. Bullar. v. Capitul. Garzias de Benef. par. 5. c. 7. nu. 41. Barbos. de off. & potest. Epis. par. 2. alleg. 39. nu. 26. Sed de hoc fusiùs infra resol. 118.

Non solùm igitur Episcopus à sibi reservatis absolvere potest, sed Episcopi Superior, videlicèt Papa. Idem dicendum de Generali alicujus Religionis respectu casuum reservatorum Provinciali, & de Provinciali respectu reservatorum Priori, seu Guardiano monasterii. Ita Suarez cit. disp. 30. sect. 1. Filliuc. tract. 7. c. 10. n. 281. & constat ex Trid. sess. 14. cap. 7. & can. 11.

Quinam facultatem delegatam habeant absolvendi à reservatis.

RESOLUTIO XXXIII.

REsponsio est negativa, quia, licèt Archiepiscopus sit Superior Episcoporum Suffraganeorum in dignitate, sive in ordine Hierarchiæ, non tamen in foro sacramenti Pœnitentiæ: Unde cum in Diœcesi Suffraganeorum non habeat jurisdictionem in hoc foro, non potest absolvere eorum subditos, excepto casu visitationis Provinciæ, aut appellationis ad ipsum. In his enim duobus casibus est Episcopi Superior: & consequenter potest Archiepiscopus subditos Suffraganeorum à reservatis vel per se ipsum absolvere, vel absolvendi facultatem aliis delegare. Sed de hoc fusiùs infra resol. 109. Ita Suarez disp. 30. de pęnit. sect. 2. num. 8. Reginal. lib. 1. nu. 33. & 34. Henriq. lib. 6. cap. 7. num. 5. Quarant. Summ. Bullar. v. Archiepiscopi auctoritas auctor. 33.

An Confessarius, cui delegata est facultas absolvendi à casibus Episcopo reservatis, possit eamdem alteri subdelegare.

RESOLUTIO XXXIV.

NEgativè respondent aliqui, quos sequi videtur Alterius de cens. to. 2. dist. 8. de suspens. cap. 3. concl. 4. vers. Quæri potest. ubi ait, quòd Episcopus non potest alteri committere hanc potestatem, ut is cum ipso dispenset, &c.

Resolutio tamen est affirmativa, videlicèt Episcopum, vel Episcopalem auctoritatem habentem, si incidat in casum occultum, Papæ reseruatum, posse absolvi vel à suo Archiepiscopo, si ei se subiiciat, vel à Confessario à se electo, deputando ipsum cum eadem auctoritate, ac facultate, quam ipse habet in suos subditos, & qua posset absolvere, ac dispensare cum suis subditis, si in eosdem casus inciderent. Ita Sayrus in claui regia lib. 7. c. 14. num. 5. Henriq. l. 6. cap. 4. num.

num.1. Suarez t.5. de cens. disp. 41. sect.2. & disp. 20. de pœnit. sect.2. nu.9. Garzias de benefic. par.2.cap.10. n.139. ubi refert, id decisum esse à Sacra Congregatione Concilii, quam declarationem vide supra resolut.18. quibus addo Riccium in praxi fori Eccles. resol. 445. n. 2. Sanchez lib. 2. moral. cap.11. nu. 11. Barbosam de offic. Epis. alleg.39. n.15.

Idem statuitur de Prælato Regulari, quòd & ipse potest committere Confessario ab ipso electo eamdem facultatem, quam ipse habet, ad effectum, ut ipse Prælatus absolvatur, & dispensetur in omnibus, in quibus ipse absolvere, & dispensare potest cum suis subditis. Ratio utriusque resolutionis est, quia Episcopus, vel Prælatus Regularis non debet esse deterioris conditionis, quàm sint eorum subditi: Hi autem non coguntur adire Sedem Apostolicam in casibus occultis Papæ reservatis, sed possunt ab Episcopo, vel ab alio Confessario ab Episcopo deputato absolvi, ut habet Conc. Trident. sess.24. cap. 6. Ergo &c. Ita Suarez, Henriquez, Sanchez, *loc. supr. cit.* Sà *v. Confess. n.16.* Bonac. *de Sacram. disp.5. q.7. punct.5. §. 2. num. 7.* Vide, quæ dixi supra *resol. 19.*

Quinam facultatem delegatam habeant absolvendi à reservatis.

RESOLUTIO XXXV.

RESP. Facultatem delegatam extra tempus Jubilei absolvendi à reservatis habet ille, cui facultas data est à Superiore, puta Papa, Episcopo, Prælato, qui habent ordinariam. Nam Ordinarius potest delegare: Hæc autem delegatio fit vel directè, Sacerdoti concedendo facultatem absolvendi pœnitentes reservatis obstrictos, vel indirectè, dando licentiam pœnitenti eligendi Confessarium, qui ipsum à reservatis absolvat. Qua verò ratione, & forma intelligatur concessa hæc delegata facultas, longiorem requirit explicationem, de qua infra *resolut.37.*

An Confessarius, cui delegata est facultas absolvendi à casibus Episcopo reservatis, possit eamdem alteri subdelegare.

RESOLUTIO XXXVI.

RESPONDEO primò, Confessarium, qui habet delegatam facultatem absolvendi à reservatis, ut ea sit illi in privilegium perpetuum ratione dignitatis, vel officii, posse eamdem alteri subdelegare, non ita generatim, sicut ipsi commissa est, sed particulatim in certo casu, vel ad certam personam absolvendam; quia talis jurisdictio censetur quasi ordinaria. Ita Gloss. *super cap. finali extr. de off. jud. ord.* Felin. *super. dic. cap. finali num.7. vers. Secundo limita.* Covarr. *var. resolutionum l.3. cap.20. num.5.* Sanchez *l.4. mor. c.54. num.27.* Henriq. *lib. 6. cap.7. nu. 3.* Layman *de Sacram. pœnit. tract.6. c.10. numer. 12. versi. Duobus autem modis.* Bassęus *in florib. theol. pract. v. Confessarius 11. num. 7.*

Hinc deducitur, Pœnitentiarios majores in Cathedralibus, & minores etiam in Diœcesibus, qui Vicarii Foranei vocantur, quibus ratione officii committitur facultas generalis absolvendi à reservatis, quandiù tali officio funguntur, quorumue jurisdictio, & officium, mortuo, vel deposito Episcopo non expirat, posse interdum hujusmodi facultatis executionem alteri Confessario subdelegare, non ita generaliter, sicut ipsis commissa est; sed in casu particulari, vel ad certam personam absolvendam. Ita prę ter cit. Doct. Gloss. in cap. cum causam, vers. delegatus de appell. Sanchez loc.cit. lib.3. de matr. disp. 31. num.2. Finell. de cas. reserv. c.11. Beja par.4. casu 5. in fine. Dian. par.2. tr.17. ref. 53. Layman cit. tr. 6. cap.10. num. 12. except. secunda. Bassæus loc.cit. n.7.

Respondeo secundò, etiam Parochos, quibus ab Episcopo delegata est facultas ad vniuersitatem causarum, sive facta est commissio universalis absolvendi suos Parochianos à casibus reservatis cum causæ cognitione, posse hujusmodi potestatis

tis

tis executionem in aliquo casu particulari, si necessitas vel spiritualis utilitas id exigat, suis Coadiutoribus, vel alteri Confessario subdelegare, non obstante, quòd talis facultas illimitata quòad causas, limitationem quòad tempus, vel quòad locum recipiat: quo casu censetur potius subdelegari reservata absolutio, quàm absolvendi à reservatis jurisdictio: hęc tamen assertio intelligenda est, nisi constet aliam esse Superioris delegantis voluntatem. Ita innuunt præcitati Doctores, quibus addo Piascecium in praxi Episcopal. par. 2. c. 4. n. 8. Paleotum in Archiepis. Bonon. par. 7. fol. mihi 513. & expressè docent Rodriq. t. 1. regul. quæst. quæst. 21. art. 9. Beia, Finel. Bassæus locis citatis. Layman cit. num. in fine: ubi tamen excipit, nisi privilegium esset personale, seu specialiter electa esset industria personæ, nempè Parochi, verbi gratia ob ejus doctrinæ, vel prudentiæ prærogativam; Quod est benè notandum.

Et quod dicitur de Parocho, habet locum etiam in Guardiano, vel alio monasterii Superiore, si Provincialis ipsi committat facultatem absolvendi subditos à reservatis, posse illum, si Regularis ab ipso petat, plenam, quam ipse habet, potestatis executionem, monasterii Confessario concedere. Rodriquez, Beia, Bassæus Dian. *ll. cc.*

Respondeo tertiò, Parochum; vel Confessarium simplicem, qui ab Episcopo, vel ejus generali Vicario petiit, & obtinuit facultatem absolvendi aliquem, vel aliquos pro ea vice à quodam delicto, vel delictis reservatis (quo nihil frequentiùs in foro interno cujuslibet Curiæ Episcopalis usu venit) non posse facultatem hujusmodi alteri Confessario demandare. Tùm quia talis concessio est privilegium merè personale, quod alteri concedi non potest: Tùm quia eo casu censetur potiùs delegari reservata absolutio, nudumque ministerium, quàm absolvendi à reservatis jurisdictio. Ita Gloss. *super dicto cap. finali.* Abb. *ibid. n.* 3. Covarr. *var. resol. lib.* 3. *c.* 20. *vers primò deducitur.* Felin. *loc. cit. vers. tertiò limita*. Finellius *cit. n.* 11. Layman. *cit.* Piasc. & Poleot. *ll. cc.*

Hinc patet magnum discrimen esse inter delegare absolutionem à reservatis cum jurisdictione, & delegare nudum absolutionis ministerium: Nam delegare absolutionem à reservatis cum jurisdictione, sive causarum cognitione, est generaliter alicui demandare, ut pro arbitrio suo possit absolvere pænitentes casibus reservatis obstrictos, quotiescumque casus occurrerit, cum facultate arbitrandi pænitentiam, & onus illis imponendi: Et in hoc casu habet locum doctrina supra tradita, quòd delegatus executionem suæ potestatis possit in casu particulari alteri subdelegare. Delegare verò nudum absolutionis ministerium est committere alicui absolutionem à reseruatis in certis casibus ita, ut actum illum exerceat ex commissione, & mandato Superioris delegantis: Subdelegatus verò secundùm formam à delegante præscriptam, pœnitentem absoluat, sicquè nudum absolvendi ministerium exerceat: Et in hoc casu verum est axioma illud, quòd delegatus subdelegare non potest: Quod annotare volui propter minùs peritos Confessarios. Vide, quæ habet Nau. *lib.* 1. *consil. de const. consil.* 1. *quæst. vltim. n.* 89. Felin. *supra dict. cap. final. de off. iud. ord.* Finell. *cit. n.* 11. *in fine.*

Quomodo interpretandæ sint concessiones facultatis absolvendi à casibus reservatis.

RESOLUTIO XXXVII.

Respondent Doctores communiter apud Suarez, & Graff. infra citandos.

Primò. Si Episcopus, vel Prælatus dicat Sacerdoti: concedo tibi facultatem audiendi subditorum meorum confessiones, eosque absolvendi, non censetur concedere facultatem absolvendi à casibus reservatis: quia in generali verbo non intelliguntur specialia concessa. Ita Suarez. *tom.* 4. *de pœnit. disp.* 30. *sect.* 1. *n.* 2. *&* 3. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 2. *n.* 8. Graff. *par.* 1. *decis. aur. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 64. qui ex eodem principio inferunt, si Episcopus dicat se concedere suam auctoritatem,

tem,

tem, non censeri concedere casus reservatos.

Secundò. Si Episcopus concedat aliquem casum reservatum, & posteà generaliter addat, & omnem meam potestatem: tunc concessio censetur extensa ad cæteros casus reservatos non expressos Quia specificatio antecedens explicat generale verbum subsequens. Idemque dicendum, si dicat concedo tibi omnem meam facultatem, excepto tali casu: Quia exceptio firmat regulam, hoc est, generalem concessionem in casibus similibus Suarez, Bonac. *ll.cc.* Graff. *cit. cap.* 3. *n.* 67. Filliuc. *tract.* 7. *n.* 282.

Tertiò. Si Episcopus concedat Parocho generalem licentiam excipiendi confessionem omnium suorum Parochianorum, in ea comprehenditur facultas absolvendi à casibus reservatis: alioquin gratis facta esset concessio. Graff. cit. cap. 3. n. 68.

Quartò. Si Episcopus concedat alicui facultatem absolvendi à casibus reservatis, ea non extenditur ad absolutionem à censuris sibi reservatis: quia à diversis non fit illatio: casus autem, & censura distincta sunt, & in jure reservante Episcoporum non semper sunt coniuncta. Ita Suarez loc. cit. Navar. man. cap. 27. num. 261. Graff. cit. cap. 3. n. 63. Finellius de cas. res. c. 9. n. 2. Quæ omnia procedunt, nisi aliter constet de mente concedentis, quæ in foro pœnitentiæ sufficit: Secùs in foro contentioso, vbi præcisè standum est verbis concessionis. Suarez & Graff. ll.cc. quibus subscribit etiam Mazuchel. disp. 1. quæst. 3. diff. 3. n. 10.

An habens privilegium absolvendi ab omnibus casibus Summo Pontifici reservatis, possit absolvere à casibus in Bulla Cœnæ contentis.

RESOLUTIO XXXVIII.

Affirmativæ sententiæ adhærent Rodriquez, tom. 1. quæst. regu. quæst. 20. art. 9. Dian. par. 1. tract. 5. resol 6. qui cùm putent priuilegiis Mendicantium non derogari per annuam Bullæ Cœnæ publicationem, consequenter docet Religiosos Mendicantes, approbatos secundùm formam juris, absolvere posse sæculares à casibus Bullæ Cœnæ, dummodò sint occulti.

Responsio tamen communis est negativa: Tùm quia in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus, ut habet, *regula iuris in 6.* Si autem quis à Summo Pontifice peteret facultatem absolvendi à casibus in Bulla Cœnæ contentis, eam ipsi non concederet; Quia videmus in communibus privilegiis semper excipi casus hujusce Bullæ: Tùm quia casus, & censuræ Bullæ Cœnæ, sicut juxta usum, & morem Ecclesiæ habent specialem rationem gravitatis; sic etiam reservationis, ratione cujus non censentur comprehendi sub clausula generali: Et ideò, quando conceduntur, semper de illis fit expressa mentio, sicuti stylus Romanæ curiæ testatur, & docet Suarez tom. 5. de censu. dis. 7. sect. 5. n. 11. & disp: 21. sect. 3. Sanchez lib. 2. moral. cap. 12 num. 13. Bonac. tom. 1. disp. 5. quæst. 7. punct. 5. §. 2. num. 14. Vgol. de censu. tab. 1. cap. 10 §. 4. num. 9. Graff. lib. 2. cap. 18. n. 2. Quaranta Sum. Bullar. v. casus. reser. num. 13. ubi etiam affert Decretum Sacræ Congregationis jussu Clem. VIII. editum, quod præcipit sub gravissimis pœnis, ne quis extra mortis articulum prætextu cujuscumque privilegii absolvat à casibus in Bulla Cœnæ contentis: quo decreto stante, ruit omninò contraria opinio. An autem id procedat etiam de privilegio à Tridentino Episcopis concesso, vide infra resolutionem 112.

An habens privilegium à Papa absolvendi ab omnibus casibus etiam in Bulla Cœnæ contentis possit absolvere à casu hæresis.

RESOLUTIO XXXIX.

Affirmativè responderent Rodriquez tom. 1. qq. regul. q. 20. art. 9. Dian. par. 1 tract. 5. resol. 6. qui cùm doceant Mendicantium priuilegiis derogatum non esse per Bullam Cœnæ, eamque extendant etiam ad casum hæresis, & ad exco-

excommunicationem contractam ob hęresim, dummodò sit occulta, consequenter dicerent, quemcumque alium Sacerdotem habentem à Papa privilegium absolvendi à casibus, & censuris etiam in Bulla Cœnæ contentis, vigore talis facultatis posse à casu hæresis, & ab excommunicatione tali delicto adnexa absolvere.

Sed contrarium est verum, & certissimè tenendum. Ratio assignata est præcedenti resolutione, quia in generali concessione non comprehenduntur ea, quæ delegans verisimili conjectura non concessisset: Atqui delictum hæresis adeò peculiarem continet gravitatem, & specialem reservationem, ut juxta morem Ecclesiæ Summus Pontifex facultatem absolvendi ab hæresi concedere non soleat: Ergo &c. Ita Sanchez l.1. moral.cap. 12. Henriq lib.8. de pœnit.cap.16.num.2. Graff. lib. 4. decis. aure. cap. 15. num. 25. Azorius lib.8. inst. moral. cap.10. quæsito 12. & novissimè Thom.Del. Bene de Offic. S.Inquis. par.1.dub.59.n.9.

An qui obtinent privilegium absolvendi ab omnibus casibus, & censuris Papæ reservatis, uti sunt Regulares, aliique Privilegiati, possint etiam absolvere à casibus, qui Ordinariis locorum speciali Edicto reservantur.

RESOLUTIO XL.

QUamvis ex pluribus decretis, & constitutionibus Apostolicis, quæ recensentur in secunda Elucidarii parte post edictum casuum in Diœcesi Brixiensi reservatorum, liquidò constet, nullum Confessarium cujuscumque Ordinis, & instituti à casibus Episcopo reservatis absolvere posse sub pœnis in Pontificiis constitutionibus contentis; nihilominus quia non pauci ex Regularibus hanc veritatem in dubium revocare videntur, idcircò hæc quæstio hìc breviter tractanda est, & rationes examinandæ.

Pro quo supponendum Regulares omnes vel per concessionem, vel participationem, sicut etiam Patres Societatis Jesu gaudere privilegio absolvendi omnes fideles tàm à casibus Episcopo jure communi quam à casibus, censuris, & pœnis Papæ reservatis, iis exceptis, quæ in Bulla Cœnæ continentur. Est ergo questio, an Religiosi prędicti, & alii cum istis communicantes possint vigore suorum privilegiorum absolvere à casibus, quos Episcopus in propria Diœcesi solet in comitiis Synodalibus, aut speciali edicto sibi reservare.

Affirmant, Collector privilegiorum Societatis Jesu tit. Absolutio §.1. Rodriq. tom.1. qq.reg.q.61. art.3.& 13. Dela Crux de stat. rel. l.2. c.6. dub.7. Crousers ad c.7. reg. S Franc. lect.28. fol.769. Ledesma de pœnit. c.11. in fine Sylvius par.1. res. var. v. cas. reserv. Portell. v. cas. res. num. 6. Filliuc. tract.15. c.10. num.223. Vivaldus v. de absolutione nu.27. qui varia amplissimæ formæ refert privilegia, quæ non videntur posse restringi per Episcopos, sicut nec Regularium facultas, nec quòad personas, nec quoad casus, qui Ordinariis reservantur.

Ceterùm absolutè statuendum est, neque Regulares vi suorum privilegiorum, seu Maris magni, neque alios cujuscumque Societatis, quocumque privilegio sint muniti, posse à casibus Episcopo reservatis absolvere, nisi in iis privilegiis expressa fiat mentio casuum Ordinariis reservatorum. Ita Io: Franciscus Leo in thesauro fori Ecclesiastici par.2.cap.20 n. 50. & 51. Chapeavil. de cas. res.c.4. diff.6. Graff. de cas. res.lib.2. c.4. nu.63. Farinac. de hæresi quæst.92. num.36. Nav.in man. c.27. num.261. Gamb. de cas. res. c.2. n. 5. Bassæus in florib. v. cas. res. n.38. Ita Bulla Clem. VIII. 9. Januar. 1601. quæ refertur infra in secunda parte post edictum casuum in Diœcesi Brixien. reservatorum. Ita decretum S. cræ Cong. de mandato Pauli V. emanatum 2. Januarii 1617. apud Tamburinum t.2. disp.13. num.4.& 4. in quo contra Regulares, qui ex eorum privilegiis à casibus etiam Ordinario reservatis absolvebant, absque ejus licentia, innovatur, & confirmatur prædictum Clementis VIII. decretum; & præcipitur ab omnibus Regularibus observari. Ita demum Urbanus VIII. qui ad tollendos,

qui

qui irrepserant, abusus, Regularium priuilegia, quibus à casibus Ordinariis locorum reservatis absolvere præsumebant. volens moderari, declarauit, ut sequitur.

Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, censuit, per privilegiorum confirmationes, quas Regulares à Sede Apostolica post Sacrum Conc. Trident. obtinuerunt, nequaquam reuixisse privilegia, priùs ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis decretis sublata, atque extincta, si quæ habent, absolvendi à casibus Ordinariis reservatis: quemadmodum nec indulta absolvendi à casibus contentis in Bulla, quæ in Die Cœnæ Domini legi consuevit, utpotè sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires, aut robur aquisivisse ex subsequentibus privilegiorum confirmationibus: ac proinde Regulares cujusuis Ordinis Congregationis, Societatis, & instituti, etiam necessariò exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim privilegiorum, aut confirmationum ejusmodi, quas vel hactenùs obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, posse quemquam absolvere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reservatis; ac si secus egerint, absolutiones nullas atque irritas fuisse, ac fore: ab aliis verò casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reservatis, si quam Regulares habeant à Sede Apostolica absolvendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse, iisdem Sacræ Cong. decretis hac de re editis jussu sanct. mem. Clementis VIII.

Quam Sacræ Cong. sententiam Sanctitas Sua ad se relatam approbavit, mandavitq; ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter observari. Romæ 17. Nouembr. 1628.

F. A. Card. S. Onufrii.

Quoniam verò, his decretis, & declarationibus non obstantibus, quidam recentiores antiquata, & reuocata, quòad casus Episcopis reservatos, Mendicantium priuilegia ausi sunt nouiter defendere contrarium docere, falsamque eorum doctrinam in lucem edere. Sanctiss. D.N. Alex. VII. inter cęteras nouissimè damnatas propositiones, hanc ipsam *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum licentia*, tanquam falsam, & scandalosam speciali Decreto emanato Die 2. Octob. 1665. rursùs damnauit, & prohibuit, ne quis ampliùs eam defendat, doceat, tractet, nec de ea publicè, aut priuatim disputet, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, cujus absolutionem extra mortis articulum sibi, & Successoribus suis reservauit.

Ex quibus decretis in suo robore, ac firmitate manentibus, planè constat hodie privilegiatos non posse sine inscitiæ, vel audaciæ nota contrarium in usum deducere; Quòd si deducere præsumant, præter excommunicationis, priuationis officiorum, dignitatum, ac beneficiorum pœnam, ipso facto absque alia declaratione incurrendam, absolutiones contra formam dicti decreti collatas, nullas, & irritas existere. Vide Quarant. v. cas. reser. Graff. cit. Finell. cit. Franc. Leonem in thes. For. Eccles. par. 3. c. 38. n. 174.

Prima Obiectio. Exceptio firmat regulam in aliis, ut dicitur, sed in priuilegiis Regularium fit exceptio tantùm casuum in Bulla Cęnæ: Ergo Regulares vi suorum priuilegiorum absolvere possunt ab omnibus casibus, exceptis in Bulla Cænæ contentis; Ergo etiam à casibus Ordinario reservatis.

Resp. Exceptionem firmare regulam in aliis casibus, nisi sint aliis judicibus reservati, specialemque, & expressam requirant concessionem: hujusmodi sunt casus Episcopo reservati, qui nouam, specialem, & expressam requirunt à Sede Apostolica concessionem.

Secunda Obiectio. Facultas ad majus includit etiam minus, sed priuilegia Regularium se extendunt ad casus Papę reservatos, quod est majus, ergo debent etiam extendi ad casus Ordinario reservatos, quod est minùs.

Resp. Maiorem niti veritate, nisi facultas ad minus sit alteri expressè reservata, & expressam requirat concessionem. Licèt ergo facultas absolvendi à casibus Episcopo reservatis sit quid minus, quàm absolvendi à Papæ reservatis; tamen hæc facultas est Episcopo reservata, & ex-

& expressam requirit mentionem. Unde, seclusis etiam decretis in contrarium Summorum Pontificum, ratio non convinceret.

Tertia Obiectio. In privilegiis Regularium apponitur hæc particula, *etiam*, à quibuscumque casibus licèt enormibus, quę particula videtur addi ad cumulandam Regularium facultatem, ut scilicèt absolvere possint non solùm ab omnibus aliis casibus enormibus, quales sunt Ordinario reservati, sed etiam à Papę reservatis, ergo &c.

Resp. In hisce privilegiis particulam (*etiam.*) non sumi cumulativę, ut scilicet cumulet Regularium facultatem, eamque extendat etiam ad casus Episcopo reservatos, sed sumi expressivè, ut scilicèt exprimat ad quos casus se extendat, videlicèt ad omnes, nisi Ordinario sint reservati, quamuis Papę etiam reservarentur.

Quarta Obiectio. Regulares sunt immediatè delegati Summi Pontificis, à quo immediatè jurisdictionem accipiunt, nec subordinantur Episcopus non potest eorum facultatem quòad casus limitare.

Resp. Regulares esse quidem immediatè delegatos Papę, ab eoque immediatè jurisdictionem accipere, sed tamen limitatam, hoc est, exceptis casibus in Pontificiis decretis expressis, inter quos enumerantur casus Episcopo reservati. Unde quòad illos casus Regulares subduntur Episcopo. Nam Pontifex potest exemptos, & privilegiatos Episcopo subiicere. Et de facto subjecit Clemens VIII. Paulus V. Vrbanus VIII. & novissimè Alex. VII. ut scilicèt non absolvant à casibus, quos Ordinarii sibi reservant, sine ipsorum licentia, ut patet ex supra relatis decretis.

Quinta Obiectio. Facultas privilegiatorum non potest restringi ab Episcopis quòad personas, quia possunt quoscumque, & undecumque ad se venientes independenter ab Episcopis absolvere: Ergo nec quòad casus, cùm par sit utriusque ratio, ut tradunt Filliuc. *tr.* 15. *cap.* 10. *nu.* 223. Portel. *v. casus reservatus*.

Resp. Quòd licèt facultas Privilegiatorum non possit restringi ab Episcopis quòad personas, benè tamen quòad casus sibi reservatos, quia quòad hoc Regulares omnes, etiam exempti, & privilegiati fuerunt à Summis Pontificibus subjecti Episcopis, ut liquidò constat ex supra relatis decretis, & doctè probat Mazuchell. *de cas. reserv. disp.* 1. *quæst.* 3. *diff.* 7. *in fine*.

Quòad auctoritatem Doctorum, oppositum sustinentium. Resp. Eorum opinionem post tot edita Pontificia decreta non ampliùs censeri probabilem, nec eorum auctoritatem quidquam Regularibus suffragari. Nam vel scripserunt ante emanata decreta, vel ea non viderunt, quę si viderunt, quę si vidissent, suam opinionem retractassent, uti fecit Viuald. *l.c. n.* 26. *in fine*.

An regulares privilegiati absolvere saltem possint à censuris, quas Episcopi Diœcesano statuto, vel generali Edicto sibi reservant.

RESOLUTIO XLI.

Non pauci ex Regularibus, concessi religioso eorum Ordini privilegiis nituntur; ideòque asserunt, sub generali Sedis Apostolicę concessione absolvendi à quibuscumque censuris juris, haud dubiè comprehendi etiam censuras, quas Episcopi Diœcesano statuto, vel generali Edicto sibi reseruant. Fundamentum eorum est; Tùm quia talis reseruatio fit tantùm respectu inferiorum, & nequaquam Summi Pontificis, qui ab omnibus censuris Episcopalibus absoluere potest; & consequenter etiam aliis absolvendi facultatem committere. Unde cùm Religiosis Mendicantibus privilegium concessum sit à Paulo III. & Sixto V. absoluendi à quibuscumque censuris, etiam Sedi Apostolicę reservatis, exceptis in Bulla Cœnę contentis, propterea Religiosi privilegiati ab omnibus censuris Episcopalibus pęnitentes suos absolvere possunt. Tùm quia decreta Clementis VIII. & Vrbani pariter VIII. Regularium privilegia restringunt tantùm quòad casus, quos Ordinarii locorum

corum sibi reservarunt; vel in posterum reseruabunt: censura autem non est casus, sed pęna casus, ut docet Nauar. in man c 27. n.262. à diversis autem non fit illatio. Ita Vival. de absol. nu.16. & seq. Regin. l.8.c.5. num.55. Nav. loc. sup. cit. Dian. part.3. tr.2. resol. 13. Becan. de leg. c.6.q.6. n.7.

Cęterùm omninò in contrarium statuenda est resolutio, videlicèt Regulares privilegiatos non posse à censuris Ordinariis locorum diœcesano statuto reservatis absolvere, sub pęnis in prędicto Clementis VIII. decreto contentis. Tùm quia expresè obstat decretum Pauli V. 7. Januarii apud Nald. v. casus, quod ob hanc maximè causam emanavit, teste. Nald. l.c. & Pereg. v. absolutio, ut declararet, in prædicta Clementis prohibitione absolvendi à reservatis Ordinario loci, contineri etiam censuras, eidem Diœcesano statuto reservatas, à quibus privilegiati absolvere non verebantur, prætendentes sub dicti decreti, & ejusdem declarationis prohibitione non esse comprehensas. Tùm quia contrarię sententię Doctores supracitati loquuntur de Regularibus extra Italiam degentibus, & prçcipuè in partibus septentrionalibus, ubi decretum Clementis, & dicta declaratio derogatoria privilegiorum promulgata non est: Ergo saltem in Italia, ubi in suo vigore manet, prędictis censuris irretitus per Regulares absolvi non poterit.

Concludendum itaque est, neminem Regularium, saltem intra Italiam, prętextu privilegiorum, absque Ordinarii facultate à censuris Diœcesano statuto, vel Episcopali edicto reservatis, absolvere posse, sub pęnis in Pontificio Decreto statutis. Ita Gavan. in Enchrid. Episcop. v. casus res. n.2.3. & 4. Nald. l.c. Homob. de cas. reserv. par.1. cap. 1. & 3. Duard. in Bulla Cęnę l.3. n.2. q.1. à nu. 29. usque ad 33. Peregrin. in compendio v. absolutio. Emanuel Roderic resol.3. v. absolutio. Finellius de cas. res. c.6. num.8. Navar. in man. cap.27. n. 212. & alii.

Fœmina in actu confessionis, sive ante, sive post immediatè à confessario solicitata fuit ad turpia: Hæc verò obligationis judicialiter denunciandi solicitantem à posteriori Confessario commonita, ipsa id præstare recusat. Quæritur, an solicitata possit à posteriori confessario saltem Regulari, & privilegiato absolvi; & quam pœnam incurrat, si eam, neglecta denunciatione, absolvere præsumat.

RESOLUTIO XLII.

§. 1. *Variæ constitutiones Summorum Pontificum contra confessarios solicitantes.*

§. 2. *Constitutio posterior Gregorii XV. contra easdem confessarios solicitantes acrior, & extensior.*

§. 3. *Mulier solicitata in terminis Bullæ Gregorianæ tenetur denunciare confessarium solicitantem sub excommunicationis latæ sententiæ pœna.*

§. 4. *Fœmina solicitata si sit contumax in denunciatione facienda, non potest absolvi absque facultate Supremi Tribunalis Sancti Officii.*

§. 5. *Sacra Congregatio Sancti Officii solet aliquando ex justa causa concedere facultatem absolvendi solicitatam ante denunciationem, sed cum duplici conditione.*

§. 6. *Regularium privilegia, Iubileorumquè Bullæ nullum suffragium, quod absolutionem, tribuunt Fœminæ contumaci in denunciatione facienda.*

§. 7. *Priuilegium Iubilei semper intelligitur sine præiudicio tertii.*

§. 8. *Mulier solicitata non tenetur suum consensum exprimere, neque de eo debet interrogari, cum solicitantis ab ea fit, denunciato.*

§. 9. *Confessarius, quicumque, etiam privilegiatus, absolvens extra articulum mortis solicitatam, neglecta denunciatione, ipso facto reservatæ excommunicationis censura innodatur.*

§. 10. *Ad judicialem denunciationem tenentur etiam illi, quibus certò innotescit sacrilega solicitatio.*

§. 11. *Cessante suspicione hæresis, non cessat obli-*

obligatio præceptæ denunciationis.

§. 12. *Effluxo termino in Edicto sancti Officii præfixo, adhuc manet, & urget sub eadem excommunicationis pœna denunciandi obligatio.*

§. 13. *Excusationes, sive limitationes, quibus nonnulli Doctores eximunt fœminas solicitatas ab onere denunciationis.*

§. 14. *Reiicitur horum Doctorum sententia cum singulis limitationibus.*

§. 15. *Opinio rejecta hodie per decretum Alexand. VII. remanet omninò profligata.*

§. 16. *Refertur per extensum hujusmodi decretum.*

§. 17. *Metus gravis in vita, fama, re familiari, fœminam solicitatam à judiciali denunciatione excusat.*

§. 18. *In casu hæresis formalis talis metus regulariter non excusat.*

§. 19. *Denunciatio ad Sanctum Tribunal ante absolutionem necessariò sit præmittenda.*

§. 20. *Author cum distinctione procedit.*

§. 21. *Compendiaria totius quæstionis resolutio, pro Confessariorum praxi.*

§. 1. Ante responsionem prænotandum est, varias à variis Summis Pontificibus editas esse constitutiones in Confessarios, qui pęnitentes ad turpia solicitant, abutentes Sacramentali confessione ut à Paulo IV. & Pio IV. præsertim in Hispaniarum Regnis quas videre licet apud Rodericum à Chuna de Confess. solicitantibus quæst. 2. n. 1. & 23.

§. 2. Anno verò 1612. die 30. Augusti. Gregorius XV. sua constitutione, quæ incipit; Vniversi Dominici: renovans Bullas Prædecessorum suorum, præcipuè Pauli IX. eam non solùm in regnis Hispaniarum, sed in omnibus Christiani Orbis partibus firmiter, & inviolabiliter observari mandavit: onus imponens personis solicitatis (quæcumque illæ sint) denunciandi Confessarios solicitantes; sive solicitatio fiat in actu confessionis Sacramentalis, sive ante, sive post immediatè, vel etiam prætextu confessionis etiam confessione non secuta: etiamsi id fiat extra occasionem confessionis, sed in Confessionario, aut in loco quocumque ubi confessiones sacramentales audiuntur, seu electo ad confessiones audiendas; si Confessarius ibi simulet confessiones audire; sive id fiat ad commitenda turpia cum ipso solicitante, sive cum aliis. Cujus Bullæ expositionem vide apud Roder. à Chuna de Confes. solicitantibus q. 1. & seq. & Carenam in tract. de Offic. Sanctæ Inquisitionis par. 2. tit. 6. §. 5.

§. 3. Ad hanc autem denunciationem faciendam, etsi ex tenore prædictæ Bullæ Gregor. XV. personæ solicitatæ videantur teneri tantùm sub culpa mortali; ex Edicto tamen Sanctę Inquisitionis, quod singulis annis publicari solet, ubi recepta est Sancta Inquisitio, tenentur fœminæ sit solicitatæ judicialiter denunciare Confessarios solicitantes sub excommunicationis latæ sententiæ pęna, ut patet ex illis Edicti verbis. *Che habbino abusato, ò abusino il Sacramento della penitenza contra li decreti, e constitutioni Apostoliche*. Quod praxis tribunalium Sanctæ Inquisitionis confirmat, & docent Suarez, Sanchez, Pegna, Diana, quos citat, & sequitur Carena par. 2. tit. 9. §. 7. num. 25.

§. 4. Hisce prænotatis, responsio ad primum dubium est negativa, pęnitentem scilicet solicitatam, & contumacem in denunciatione facienda, absque facultate supremi Tribunalis Sanctæ Generalis Inquisitionis de Vrbe, non posse nisi ab Episcopo, vel Inquisitore contra hæreticam pravitatem, aut ab eorum delegatis absolui: Quia obstat excommunicationis censura latæ sententiæ in Edicto Sanctæ Inquisitionis lata, & Latoribus reservata, qua innodantur contumaces in denunciatione facienda: quod ex pręnotatis clarè constat, & docent Eman. Roder. tom. 1. quęst. 20. ar. 10. Homob. de exam. Ecclesiast. tract. 7. cap. 7. q. 35. Carena tit. 6. §. 20. n. 114.

§. 5. Imò. nec Episcopus, neque Inquisitor eo casu valent pænitentem sic solicitam absolvere, nisi fiat denunciatio. Quod si concurrat rationabilis causa, quæ à denunciatione excusare videatur, ea priùs debet approbari à Sanctissimo, vel saltem à Sacra Congregatione S. Officij, quæ solet

let Confessario concedere, ut solicitatam absolvat cum duplici conditione: altera, ut cessante impedimento, teneatur solicitantem denunciare: altera, ut Confessarius absolvens sit alius ab eo, qui solicitaverit.

§. 6. Utrum verò Confessarii Regulares, aliique privilegiati vigore privilegiorum, vel saltem tempore Jubilei possint absolvere fęminas solicitatas ab excommunicatione in Edicto contenta, ac proinde eas ab obligatione denunciandi Confessarios solicitantes eximere.

Affirmativam tenent Portel. in dub. regul. v. solicitare n.24. Rodriq. in compendio quæst. regul. resol. 131. n.16.

Sed opposita sententia est omninò vera, & in praxi servanda: Quia solicitationis delictum, etsi non sit casus hæresis formalis, involvit tamen vehementem suspicionem hæresis. In Regularium autem privilegiis, Jubileorumque Bullis semper excipitur casus hæresis, in qua exceptione continetur etiam vehemens suspicio hæresis, teste Roderico à Chuna de Confess. solicitantib. q. 21. n. 11. in fine & Carena supr. cit. quibus subscribit Homob. de exam. Eccles. cit. q. 35.

§. 7. Addo ergo, quòd mulier solicitata, si intra terminum in Edicto præfixum solicitantem non denunciaverit, jam extat irretita excommunicationis reservatæ censura, à qua non potest absolvi, nisi satisfacta parte, hoc est, Tribunali Sancti Officii. Neque relevatur hoc onere denunciandi beneficio Jubilei, quia privilegium Jubilei semper intelligitur sine præjudicio tertii, eò vel maximè, si hoc tertium sit commune bonum Religionis, & Sanctæ Fidei.

§. 8. Neque eximitur ab hac obligatione mulier solicitata ex eo, quòd solicitanti consenserit; quicquid dicat Portel. l.c. n.15. Siquidem fœmina solicitata non tenetur suum consensum explicare, neque de hoc debet examinari, uti de re ad Sanctum Officium non spectante. Ita decisum esse à Sacra Congregatione Sancti Officii de Urbe, refert Carena cit. §. 20. n.112.

§. 9. Quod si Confessarius etiam Regularis, & privilegiatus, neglecta denunciatione, fœminam sic solicitatam extra mortis periculum absolvere præsumat, ipso facto & ipse in eamdem excommunicationis pęnam incurrit, uti constat ex illis Edicti verbis. *E sotto la detta pena di scommunica di lata sentenza, come di sopra, alli medesimi Confessori comandiamo, che non ardischino di assolvere quelli, che troveranno delinquenti.*

Unde patet responsio etiam ad posteriorem quæstionis partem. Ita Carena tit. 9. §.10. n.47. & tit.6. §.20. nu.114. Homob. cit. cap.7. q.22. quos sequitur Januarius de cas. res. 55. n. 12. & 15.

In articulo autem mortis, si Confessarius deprehenderit, solicitatam ex neglecta denunciatione excommunicationis vinculo existere innodatam, commonenda est, se teneri, si convaluerit, tùm ad denunciandum sub pœna reincidentię, tùm ad debitam Sancto Officio præstandam satisfactionem.

§. 10. Ampliatur resolutio, ut non solùm solicitatæ ipsæ denunciare teneantur solicitantes in terminis Bullæ Gregorianæ; sed etiam quicumque alii, quibus certò innotescit sacrilega solicitatio, etsi solicitationem hujusmodi non possint probare, idque sua eadem excommunicationis latæ sententiæ pœna, sicuti constat ex illis Edicti verbis: *Che debbano al Santo Officio, ò all'Ordinario denunciare, e notificare giuridicamente tutti, e ciaschedun di quelli, de quali sappino, ò habbino, ò hauranno notitia, &c. che habbino abusato, ò abusino il Sacramento della Penitenza &c.* Ita Sanch. lib. 1. mor. c.32. n.47. Suarez de fide disp.20. sect.4. n.28. Nazarar. de Blasphem. q.12. num.18. Carena cit. tit.9. §.7. num.24. 27. & 31.

Dixi certò, ut si ex ipsa solicitata, vel alia persona gravi hujusmodi notitiam hauserit. Nam qui audivit à persona fide non digna, vel quæ nihil certi sciat, aut non recordetur, à quo acceperit, non teneri ad denunciandum, docet Dian. par. 1. tract.4. resol.1. Carena cit. §.7. n.31. ex Farinac. de hæresi quæst.185. n.71.

§. 11. Et hæc asserit procedere, etiamsi in aliquo casu cessaret hæresis suspicio. Nam etsi lex fundata in præsumptione, regulariter loquendo, non obliget in foro

foro conscientiæ, si à parte rei præsumptio sit falsa, teste Layman lib.1.tr.4. c. 17. num. 1. & 8. Attamen illa regula non habet locum in hac materia: Siquidem judicium discernendi circa suspicionem hæresis, quæ resultat ex præsumptione Edicti, non competit Confessariis, sed inquisitoribus. Vide Carenam tit. 9. §. 7. nu.37. in fine, & novissimè Thomam Del Bene de Offic. S. inquisitionis par. 1. dubitatione 22.

§.12. Non placet tamen, quod docet Bonac. de obligatione denunciandi disp. 6. punct.2. §. 9. num.... versu modo censura, videlicèt præceptũ in Edicto Sanctę Inquisitionis contentum, elapso termino in Edicto expresso, remanere extinctum. Id enim adversatur communissimæ Doctorum sententiæ. Quia, licèt pręceptum videatur ab homine; tamen quia Tribunal, à quo procedit, perpetuum est; ideò ad instar legis perpetuò durat; sicuti tradunt D. D. de Bulla Cęnæ Domini: Suar. de fide disp.20. sect.4. n. 11. Portel. v. denunciatio n.5. Caren. cit. n.34. Tùm quia ille terminus non præscribitur in Edicto, ad obligationem finiendam, & extinguendam, sed ad præcepti impletionem solicitandam; quod clarè constat ex eo, quòd obligatio denunciandi primariò, & per se oritur ex Bullis Apostolicis, & quàm maximè ex Bulla Gregoriana, quæ nunquam expirat: cujus dispositioni, ac perduranti obligationi superadditur quotannis, seu potiùs renovatur præceptum S. Inquisitionis; sicuti docet Roder. à Chuna de Conf. solicitantibus q. 21. n. 4. & 24. Sanctarellus de hæresi c.46. n. 10. Belloch. de cas. res. par.2. q.9. n.205. Janu. de cas. res. resol. 55. nu.3. Carena cit. tit.6. §.20. n.120. Ita etiam à me consultus respondit Reverendissimus Dominus meus P. Agapitus Ugonus, in hac inclyta Venetiarum Civitate, ac in toto Serenissimo Dominio contra hæreticam pravitatem Inquisitor Generalis, vir doctrina, morum integritate, ac prudentia spectatissimus, Augustissimi Dominicani Ordinis inclytum decus.

§.13. Limitant nonnulli datam resolutionem, ut Confessarius, qui pęnitentem solicitavit in terminis Bullæ Gregorianæ, non sit judicialiter denunciandus Inquisitoribus.

Primò, si sub sigillo secreti naturalis quis sciat Confessarium aliquem in confessione solicitasse. Fagundez in 2. Eccles. præceptum tract. 2. lib. 4. cap. 2. num. 31.

Secundò, secluso etiam naturali secreto, adhuc non sit denunciandus nisi aliqua infamia contra solicitantem præcesserit. Fagund. loc. cit.

Tertiò, si Confessarius solicitans statim se pœniteat, vel postea se emendaverit. Portel. in dub. regul. v. solicit. nu. 9. Bossius de Jubil. dub. 26. n.92. Roderic. à Chuna de Conf. solicitantib. q. 3. nu. 15. Thom. Del Bene de Offic. S. Inquisit. par. 1. dub. 18. n.2.

Quartò, quòd in omni casu ante denunciationem præmittenda sit correctio fraterna, si adsit spes emendationi. Fagund. ll. cit. Jo: de le Crux direct. consc. p.1. præcep.5. q.2. dub. 5. concl.2. Portell. Bossius cit. & plures alii.

§.13. Cœterùm hæ limitationes nullò modo sunt admittendæ. Non prima, tùm quia omne secretum, excepto Sacramentali, est merè humanum, & ex privato pacto, quod non potèst excusare à lege denunciationem præcipiente; ut benè Suarez de fide disp.4. n.17. tùm quia solicitatio in confessione est delictum vergens contra bonum publicum, scilicèt contra Sacramentum pœnitentiæ, & ad illud accedentes, ideòque non obstante quocumque secreto (excepto Sacramentali) etiã jurato, solicitatio hujusmodi ad tribunal Sanctę Inquisitionis est deferenda. Castro Palaus par. 1. tract.4. disput. 9. punct.19. num. 5. Carena par.2. tit.6. §.21. num. 132.

Neque secunda, quia communiter à Doctoribus repellitur, teste Palao cit. punct.10. nu.2. Siquidem raròadmodum incumberet obligatio denunciandi; cum hoc crimen secretissimè committatur; adeò ut à sola solicitata sciatur; sicque non obviaretur malis, quibus Summi Pontifices suis constitutionibus in hac materia consulere voluerunt. Palaus cit. punct. 10. n.3. Bossius de Confes. sol. dub. 26. n.84. Caren. cit. §.21. n.128.

Tertia

Tertia limitatio similiter reiicitur, quia præceptum denunciationis non imponitur præcisè ob emendationem delinquentis, sed quàm maximè ob correctionem publicam, & securitatem boni publici Religionis, ac fidei, in cujus damnum vergit solicitationis delictum; qui finis non obtinetur delinquente emendato, nisi etiam in Sancto Officio ad exemplum aliorum puniatur. Suarez de fide disp.40. sect.6. num.13. Palaus cit. Simancha de cathol. instit. tit. 19. nu. 12. Sancius in select. disp.11. nu. 52. Carena tit.6. §.21. n.129. Dian. par.1 tr.4. resol 3. Bonac. disp.2. q.6. punct.3. & punct.2 n.9. Sà verb. denunciatio.

Quarta denique excusatio communiter à recentioribus reprobatur; Quia duplex est denunciatio altera Evangelica, judicialis altera: Evangelica respicit emendationem delinquentis; ideòque præmittenda est correctio fraterna: Judicialis respicit punitionem, ideòque excludit omnem correctionem. Denunciatio autem, in Edicto S. Inquisitionis pręcepta est judicialis ut benè Dian. cit. par. 1. tract.4. num.2. Palaus loc. cit. n.2. Sancius cit. disp.11. n.56. Carena cit. §.6. nu. 126. Bonac. cit. quęst.6. punct.1. n.10. & novissimè Tho. Del Bene de Offic. S. Inquisit. par.1. dubitat. 17.

Obiicies. Denunciatio in casu solicitationis non potest fieri ad punitionem delinquentis, sed ad illius correctionem, & præservationem boni communis, puta sacramenti Pœnitentiæ, & Religionis: At hic finis ex hypotesi speratur obtineri per correctionem: Ergo non est tunc denunciatio judicialis adhibenda. Major, & minor patent. Consequentia probatur, quia Christus Dominus dixit, delictum proximi manifestandum esse Ecclesiæ, quando proximus correctionem secretam non audit: tùm quia charitas obligat, quòd minori, qua fieri potest jactura, medicina delinquenti adhibeatur.

Respondeo, denunciationem in casu proposito præcipuè faciendam esse ad correctionem delinquentis, & securitatem boni communis, videlicèt sacramenti Pœnitentiæ, & Religionis. Verùm quia ista correctio, & securitas rarò potest obtineri per correctionem fraternam, ut ex diuturno experimento compertum est Inquisitoribus. Idcircò Ecclesia justissimis Inquisitorum Edictis præcipit, ut tàm hæretici, quàm de hęresi suspecti, prætermissa omni correctione fraterna, Ordinariis, & Inquisitoribus denuncientur.

Neque huic præcepto Ecclesiæ adversatur præceptum Christi Domini, de correctione fraterna præmittenda: Tùm quia Christi Domini præceptum est de peccatis quæ contra bonum publicum non vergunt: Tùm quia Christus Dominus loquitur de correctione, quę fit solùm, ut frater emendetur, sicuti constat ex illis verbis: Si te audit, lucratus eris fratrem tuum. At nos loquimur de denunciatione judiciali, quę fit, ut delinquens publicè ad aliorum exemplum, & securitatem boni communis puniatur. Non igitur Inquisitorum Edicta adversantur præcepto Christi Domini; cum non loquatur Christus Dominus de denunciatione judiciali, sed Evangelica. Vide D.Th. 2.2. q. 33. art.7.

§. 15. Et de hisce excusationibus hucusque probabiliter utrinque disceptatum est inter Doctores. Nunc verò opposita sententia excusationes tuens, remanet omninò profligata per decretum Alexandri VII. Anno 1660. Mense Augusto, ejus qui sequitur, tenoris.

§. 16. (Licèt aliàs per constitutionem fel. record. Pauli V. emanatam sub die prima Septembris M.DC.VI. quę incipit. Romanus Pontifex, fuerit districtè prohibitum Superioribus Regularium, ne quovis titulo, vel pretextu pręventionis, aut alio in causis ad Sanctum Officium spectantibus se quoquomodo intromittere, aut immiscere, denunciationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas cognoscere, aut terminare audeant; imò ex ejusdem constitutionis dispositione eisdem fuerit graviter injunctum, ut suos subditos, ac Religiosos, quos labe hęresis infectos, vel de hęresi suspectos noverint, absque alia consultatione cum propriis suę Religionis Superioribus, vel alia quavis persona facienda,

sine mora Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis vicinioribus denuncient. Nihilominus animadvertens Sanctissimus D. N. Alexander VII. ab aliquibus Regularibus in dubium revocari prædictam denunciandi obligationem: adeò ut nedum suos subditos non denuncient, verùm etiam alios ad ipsos pro consilio recurrentes, an debeant Sancto Officio denunciare, quæ audierunt, aut viderunt, ad ipsum sanctum Officium spectantia, ad id faciendum, ut deberent, non obligent imò aliquando eosdem perperam instruant, non teneri nec sub obligatione constitutionum Apostolorum comprehendi: & hanc opinionem erroneis aliquot Doctorum sententiis confirmare tentantes, eosdem in maximum fidei discrimen ab onere denunciandi retrahere conentur. Volens proinde sanctitas sua abusum hujusmodi ex pastoralis officii debito coercere, post maturam facti discussionem, auditis votis Eminentissimorum, & Reverendissimorum D. D. Cardinalium adversùs hereticam pravitatem generalium Inquisitorum, innovans Constitutionem prædictam à felic. record. Paulo V. emanatam, & quatenus opus est, eam declarans: Hoc præsenti decreto distinctè præcipit, & mandat omnibus, & singulis Regularium Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, Prioribus, Guardianis, Rectoribus, Præpositis, aliisque ejusmodi quocumque nomine nuncupatis Superioribus cujuscumque Ordinis, & instituti, sive Mendicantium, sive non Mendicantium, nec non Congregationis, & societatis, Clericum Regularium quorumcumque, etiam societatis Jesu, aliorumque quomodocumque exemptorum, etiamsi essent specialiter, & nominatim exprimendi, ut omninò dictæ Constitutioni in omnibus, & per omnia pareant: & omnes, & quoscumque Religiosos, tàm sibi ipsis subditos, quàm non subditos, cujuscumque dignitatis, gradus, & conditionis existant, hæreticos, vel de hæresi quomodocumque etiam leviter suspectos, deferant, & judicialiter denuncient Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis, & nullatenus in causis ad Sanctum Officium spectantibus audeant se intromittere, neque suos subditos ad Sanctum Officium recurrentes, vel recurrere, aut accedere volentes, molestare, vexare, aut alio quovis modo, sive directè, sive indirectè avertere, retrahere, dissuadere, imò prędictos suos subditos monere debeant, ut ipsi quoque eidem decreto omninò pareant, & alios Christi fideles, etiam Confratres suos ad parendum pariter hortentur, & suadeant, rejectis penitùs hujusmodi opinionibus, atque interpretationibus, quas Sanctitas Sua, cum voto dictorum Eminentissimorum D. D. Cardinalium, tamquam perniciosas, temerarias, & non consistentes, & à mente Sanctitatis Suæ prorsùs alienas, reprobavit, & reprobat. Et quia quandoque etiam eorum subditi deficiunt in eo, quod ipsis implendum incumbit cum Religiosis ejusdem, alteriusve Ordinis, aliisque quibuscumque personis de fide suspectis, cæterisquè petentibus consilium in materiis ad Sanctum Officium spectantibus; ita ut nedum ipsimet denunciationes differant, vel ab ipsis prorsùs abstineant, verùm etiam multoties ab eisdem alios, à se consilium petenter retrahunt malis artibus, vel mendicatis Doctorum opinionibus, vel sub fraternæ correctionis factæ, vel faciendæ, aliove pretextu. Propthereà idem Sanctissimus declaravit præfatos subditos absque ulla participatione, etiamsi nulla petita venia à Superioribus, etiamsi nulla fraterna correctio, vel alia monitio pręmissa fuerit, omninò teneri, & obligatos esse accedere ad denunciandum Ordinariis, vel Inquisitoribus locorum quoscumque etiam Confratres, ac Superiores etiam primarios suos ejusdem Ordinis, & Religionis, quos noverint esse de fide quomodolibet etiam leviter suspectos. Ac propthereà eosdem debere omnes, & quoscumque, etiam alios à se consilium, ut supra, petentes monere, & obligare ad denunciandum, nec posse illos à denunciando sub dictę correctionis fraternę, vel alio quovis prętextu retrahere, aut retardare, & pręfatos omnes tàm Superiores, quàm subditos contrafacientes Sanctitas Sua voluit, & declaravit subiacere omnibus censuris in dicta Con-

Constitutione Pauli V. expressis, nec non privationis quarumcumque Dignitatum, seu Prælaturarum, seu officiorum suorum Ordinum, ac vocis activæ, & passiuæ, perpetuæquè inhabilitatis ab eadem ipso facto, & absque alia de claratione incurrendis, aliisquè Sanctitatis Suæ, & Successorum arbitrio infligendis pœnis, quarum relaxationem, suspensionem, absolutionem, vel dispensationem Sanctitas Sua sibi ipsi, & successoribus suis Romanis Pontificibus tantùm expresè reservavit. Et ne præmissorum prætendi possit ignorantia, idem Sanctissimus mandavit sub iisdem pœnis, ipso facto incurrendis, & ut supra reservatis, ut Superiores omnes præfati in quocumque loco, Conventu, vel Collegio sui Ordinis decretum hoc semel saltem singulis annis Kalendis Martii in publica Mensa, vel aliàs in Capitulo ad hoc specialiter convocato legi teneantur unà cum aliis decretis, & Constitutionibus Apostolicis ad Sanctum Officium Inquisitionis adversus hereticam prauitatem pertinentibus quotannis legi solitis, juxta decretum fel. record. Vrbani VIII. Et insuper iidem Superiores teneantur curare, & efficere, ut hujus decreti exempla aliquo in loco apud eos publico assignentur, & affixa conseruentur, ita ut ab iisdem subditis Religiosis omnibus videri, ac legi commodè queant. Deque hujusmodi lectione, & commonitione publico documento ab iisdem Superioribus Conventus, vel Domus subscripto, vnàque ab aliis duobus Religiosis ejusdem Domus, vel Conventus statim certiorem facere Congregationem Sanctissimæ Inquisitionis in Vrbe, vel locorum Inquisitores, ubi sunt. Statuitque præterea decretum hoc, seu illius exemplum ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in Acie Campi Flore affixum, omnes ubique existentes arctare, & afficere, ac si vnicuique personaliter fuisset intimatum.)

Loco ✠ Sigili.

Io. Lupus S. Romanæ Vniversalis Inquisitionis Not.

§. 17. Ex cujus decreti tenore patet, nullum hodie remanere dubitandi locum de supra allatis, & rejectis à denunciatione judicialiter facienda excusationibus. Potest esse aliqua difficultas de metu graui: Utrùm scilicèt Sanctæ Inquisitionis Edicta obligent personas solicitatas ad judicialiter denunciandum solicitantes, si ex tali denunciatione sibi timeant grauem jacturam in vita, fama, vel re familiari.

Negativa, & communis est Doctorum sententia, fœminas in sacramentali confessione solicitatas excusari à denunciatione judicialiter facienda, si ex tali denunciatione grave damnum metuerint in vita fama, bonis temporalibus sibi, vel marito, vel filis, aut proximis consanguineis.

Quia præcepta Ecclesiastica, quin etiam & divina, non obligant cum tanto rigore. Ita Fagundez in præcep. Decal. tract. 2. lib. 4. cap. 3. n. 31. Roderic. à Chuna de Confess. solicit. q. 19. per totam Sanctarell. de hæres. cap. 11. dub. vnic. n. 19. Portell. in addit. ad dub. regul. verb. solicitare n. Riccius par. 3. decis. 272. n. 1 quibus subscribit Carena in tract. de Offic. Sanctæ Inquis. tit. 9. §. 7. n. 39.

§. 18. Secùs tamen dicendum est in casu hæresis formalis: Quia damnum commune Reipub. hoc est Religionis, & fidei præferri debet bono privato teste Suar. de cens. disp. 6. sect. 3. Becan. in summ. tract. 3. c. 4. n. 5. Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 14. Carena loc. cit. Si tamen damnum commune Reipublicæ non esset ita grave, neque longè præponderaret damno privatæ personæ, etiam in casu hæresis formalis delinquentem non esse judicialiter denunciandum, docet Bonac. de cens. disp. 2. quæst. 6. punct. 1 nu. 5. Pegna 2. par. direct. q. 53. comm. 78. Farin. de hær. quæst. 197. §. 2. n. 53. & novissimè Thom. Del Bene de Offic. S. Inquis. par. dubit. 19. n. 3. ubi ex Barbosa addit, neminem teneri denunciare, vel deponere judicialiter, quando probabiliter timet aliquod grave damnum spirituale, vel temporale, vel inimicitiam capitalem ex revelatione sibi eventuram.

§. 19. Porrò hìc placet adnotare, quod docent Zanar. Rodr. Petrin. Sanctarel.

rel. & alii relati à Diana par.1. tract.4. resolut.27. simpliciter necesse non esse, ut præcepta judicialis denunciatio fiat, antequam pęnitens absolvatur, cùm sufficiat promissio, & propositum denunciandi.

§. 20. Cęterùm mihi videtur distinguendum: Nam vel mulier solicitata non ignoravit obligationem sub censuræ latæ sententiæ pęna in Edicto imposita, & tamen fuit contumax in denunciatione facienda, & tunc præmissa etiam promissione, & proposito, non potest absolvi, neque à Regularibus privilegiatis, neque tempore Jubilei, ut supra probatum est: Vel mulier nescivit hujusmodi obligationem, vel saltem non fuit contumax: & tunc, cùm nullam contraxerit censuram, ut supponitur, præmissa promissione, & proposito denunciandi, poterit absolvi, si tunc commodè non possit fieri denunciatio, & aliàs urgeat aliqua necessitas absolutioni recipiendæ. Extra hos casus consultiùs erit, rem priùs cum Inquisitoribus communicare. Carena tit.6. §.20. num.114. Quòd si verò, dempta præcepti ignorantia, elapsoque rursùs termino in Edicto concesso, non paruerit Sanctæ Inquisitionis præcepto data parendi opportunitate, illicò excommunicationis vinculo manebit innodata. Ita Carena, cui subscribit Reverendissimus, ac Doctissimus P. Agapitus Vgonus hujus Sanctæ Venetæ Inquisitionis Censor Generalis, supra allegatus, hac de re à me consultus.

§.21. Sit igitur pro praxi Confessariorum compendiaria resolutio. Mulieres solicitatæ ex vi edicti Sancti Officii, quod bis, vel saltem semel in anno in singulis Parochiis publicari debet, tenentur sub excommunicationis latæ sententiæ pena Ordinariis locorum, & Inquisitoribus contra hereticam pravitatem reservata, judicialiter denunciare Confessarios solicitantes, etiamsi verba dubia de solicitatione protulerint; etiamsi Confessarius ipse fuerit solicitatus, & consenserit; etiamsi fœminam solicitatam non absolverit; etiamsi solicitata consenserit; etiamsi solicitaverit in ordine ad alios; etiamsi non in confessione, sed ante, vel post illam immediatè; etiamsi non in confessione, &c. sed occasione, vel pretextu confessionis, etiam ipsa confessione non secuta, etiamsi extra occasionem confessionis, sed in confessionario, vel in quocumque loco, ubi confessiones sacramentales audiuntur, seu electo ad confessionem audiendam, si simulet ibi confessionem audire. Ad quam denunciationem tenentur, etiamsi de tali solicitatione nulla precesserit infamia; etiamsi Confessarium statim pœnituerit; vel spes emendationis affulgeat, nullaquè premissa correctione fraterna: Non tamen si metuant sibi, vel marito, aut filiis gravem jacturam in vita, fama, aut bonis temporalibus. Nequè tantùm solicitatę ipsę, sed etiam quicumque alii, quibus certò innotescit solicitationis hujusmodi flagitium, etiamsi sciant sub sigillo naturalis secreti, & juramento; etiamsi delictum plenè probare non possint, obligantur sacrilegum Confessarium judicialiter denunciare: idque sub eadem excommunicatione ipso facto lata, & latoribus reservata.

An facultas obtenta absolvendi pœnitentem à casu reservato extendatur ad alios similes casus, si in eos idem pœnitens post obtentam licentiam prolabatur.

RESOLUTIO XLIII.

Negativè respondent Azor. tom. 1. lib. 5. cap. 23. quest. 2. Floron. de cas. reserv. p. 1. cap. 4. §. 3. num.29. Quia privilegium (ajunt) quod occasionem peccandi præbet, strictam interpretationem meretur; tale est illud, de quo instituitur questio, nam ex eo penitens ansam peccandi arriperet.

Sed in oppositam sententiam inflectit resolutio; pestilentem scilicèt eo casu posse absolvi ab aliis similibus peccatis reservationi obnoxiis, tàm ante petitionem, quàm post concessionem facultatis commissis. Tùm quia petitio, & concessio tacitè intelligitur de iis, & similibus

casi-

casibus, qui post illam concessionem clavibus bona fide subiicientur: tùm quia hujusmodi privilegium, omnibus consideratis, censetur conferre ad salutem animæ; ne peccator sordescat in delictis; quamvis inde per accidens peccandi ansam arripiat: Quod verum est, etsi in petitione expressum fuisset nullum relapsus periculum subesse; quia facultas absolutè concessa est, ut supponitur, & indepedenter à casu relapsus. Ita Sanch. lib. 4. moral. c. 54. num. 10. Filliuc. tract. 8. num. 262. Bonac. de legib. disp. 1. q. 3. punct. 7. §. 1. numer. 11. Finellius de cas. reserv. cap. 9. num. 3. Dian. par. 4. tract. 4. resol. 109. & plures alii apud ipsum.

Limitat tamen hanc resolutionem Card. de Lugo disp. 20. de pœnit. sect. 8. num. 122. ut procedat eo casu, cùm petitio facultatis facta est, & obtenta ab ipsomet pœnitente hujus, vel illius peccati. Secùs si petitio facta sit à Confessario, vel cum expressione hujus, vel illius peccati reservati, v.g. incestus: nam eo casu (ait Lugo cit. num. 128.) concessio non potest extendi ad similia peccata post concessionem commissa.

Verùm quamvis limitatio hęc non displiceat, cùm sit Doctoris non minùs doctrina, quàm dignitate Eminentissimi; nihilominùs à communi sententia, tùm ob rationes allatas, tùm ob auctoritatem Doctorum eam sustinentium, non libenter recedo. Unde sive petitio sit generalis absolvendi à reservatis, sive particularis, & cum expressione peccatorum, in quę pœnitens incidit, sive hæc facta sit à Confessario, sive à pœnitente, concessio à Superiore facta extendi potest ad similia peccata post petitionem commissa; tùm quia talis concessio cùm re vera sit favor, & gratia, consequenter amplianda est, non autem restringenda; tùm quia pœnitens, qui, commissis, v.g. quatuor peccatis incestus, ex oblivione confitetur tantùm tria, potest deinde à delegato pro illis tribus absolvi etiam à quarto inculpabiter oblito, cùm sufficienter pęnitens per seipsum, vel per Confessarium Superiori se præsentasse censendus sit. Ergo sicut facultas delegata extenditur ad peccatum reservatum tempore petitionis oblitum; ita etiam extendenda videtur ad peccatum reservatum post petitionem commissum: sicut rectè notavit Dian. cit. Finel. cit. Mazuchellus disput. 1. quæst. 3. diff. 8. num. 20.

His addendum, quòd pro tempore, quo pęnitens vi facultatis obtentæ potest absolvi ab aliquo delicto, per concessionem illius facultatis sublata videtur illius peccati reservatio; ideòque si rursùs in illud incidat ante absolutionem, non opus sit nova facultate. Vide D.D. suprac. præsertim Sanchez, & Dianam ll.cc.

Si petitio facultatis facta sit cum determinato criminum reservatorum numero v. gr. absolvendi pænitentem à tribus peccatis incestus, an talis concessio extendi possit ad quartum, & quintum incestus delictum, post petitionem commissum.

RESOLUTIO XLIV.

Hic casus quamvis differat à superiori quia in eo petitio, & concessio facta est sine expressione numerica peccati, in hoc autem petitio supponitur facta cum expressione determinati numeri criminum reservatorum; ideòque diverso modo de utroque ratiocinandum esset.

Nihilominùs probabiliter dici potest, ob easdem rationes concessionem facultatis in hoc casu non differre à facultate in dub. præcedenti concessa. Unde sicut qui fuit absolutus ab habente facultatem ordinariam, vel delegatam circa casus reservatos, remanet indirectè absolutus etiam à peccatis reservatis inculpabiliter oblitis, eo quòd mens Superioris præsumitur non excludere peccata similia oblita; sicque saltem reservationem tollere: ita in casu proposito mens superioris pręsumitur pro ea vice velle pœnitenti indulgere, ut optatam obtineat peccatorum remissionem, sicque talis concessio ad peccata post obtentam facultatem commissa potest extendi. Ita Diana par. 4. tract. 4. miscel. resol. 110. cui astipulatur Mazuch. de cas. res. disp. 1. q. 3. diff. 9. nu. 22. Quod verum est, nisi aliter de men-

te concedentis colligatur. Vide Bonacinam de legib. disp. 1. quæst. 3. punct. 7. §. 1. num. 11.

Quid autem in casu petitionis absolvendi à censura, spectat ad obviam resolutionem.

An facultas in casu particulari concessa absolvendi aliquem à censura, vel dispensandi in irregularitate ad similem censuram, vel irregularitatem sit extendenda.

RESOLUTIO XLV.

Responsio est affirmativa ob jam allatas rationes: quia concessio hujusmodi, cùm sit favor, & gratia, ad unicam censuram, vel irregularitatem non est restringenda, eò vel maximè si verba petitionis, & concessionis sint generalia absolvendi, vel dispensandi cum pœnitente tali censura, vel irregularitate innodato. Unde si Confessario petenti facultatem absolvendi, verbi gratia, matrem, quæ infantem in lecto detinuit sine præscripta cunarum cautione, respondeat Superior se illam concedere, vi illius concessionis potest illam absolvere etiamsi post obtentam facultatem rursùs infantem in lecto sine debita cautione detinuerit.

Similiter si Confessarius petat à Superiore facultatem dispensandi cum Sacerdote super irregularitate occultè contracta ex eo, quòd in excommunicatione scienter, & spontè celebraverit, superiorque eam illi concedat, potest Confessarius uti tali facultate, etiam post illam concessionē si Sacerdos rursus in excommunicatione celebrasset. Nam eo ipso, quòd Superior concedit facultatem dispensandi, intelligendus est illam concedere toties, quoties contraxerit: quod dicitur, nisi ex circumstantiis, aut verbis concessionis colligatur facultatem esse restrictam ad casum enarratum. Vide Dian. par. 4. tract. 4. resol. 110. qui plures citat Doctores.

Hęc tamen resolutio in duobus casibus limitari debet. Primò in casu excommunicationis ob Clerici percussionem contractæ in quo fieri debet judicium de levitate, vel gravitate percussionis. Secundò in casu excommunicationis ob procurationem abortus fœtus animati, effectu secuto; pro quo vinculo tollendo, requiritur specialis Confessarii deputatio, ut videbimus in *Secunda parte*. In his igitur duobus casibus facultas inferiori concessa pro beneficio absolutionis non extenditur ad casus similes: neque Superior illam concedens intelligendus est toties, quoties pęnitens inciderit, & in his casibus videtur habere locum doctrina. Card. de Lugo disp. 20. de Sacram. pœnit. sect. 8. num. 122. & 123. qui etiam num. 128. rectè monet, quòd prudenter aget Confessarius, si in simili casu petat ad cautelam facultatem pro omnibus, quæ tempore absolutionis repererit, nec petitionem ad peccata, quę sibi innotescunt iam esse commissa, restringat.

An quando facultas absolvendi à casibus, & censuris reservatis conceditur cum hac formula, pro hac vice tantùm, *adhuc extendi possit ad casus vel censuras similes post petitionem contractas.*

RESOLUTIO XLVI.

Negativè respondet Bellochius de cas. res. par. 1. q. 2. nu. 19. Mancinus de cas. reserv. pract. 3. dub. 43. asserentes hæc verba, *pro hac vice tantùm*, referri ad peccata tempore petitionis commissa, non verò ad peccata similia in futurum committenda; ut sit sensus, *pro hac vice tantùm*, hoc est, pro absolutione horum peccatorum, quibus asseritur pęnitentem nunc obtineri obstrictum, optareque absolvi.

Sed resolutio difficultatis est affirmativa facultatem scilicèt in proposito casu concessam adhuc extendi ad casus, vel censuras similes post petitionem contractas, non obstante illa formula, cum qua communiter in casibus contingentibus facultas delegari solet, idque optimè probant supra relatæ rationes: Nam facultas hu-

hujusmodi per hoc, quòd sub illis terminis sit concessa, non amittit rationem gratiæ, & privilegii; constat autem privilegium respicere tùm tempus præsens, tùm futurum: Tùm quia Confessarius adhùc *pro hac vice*, pœnitentem non absolvit: Igitur potest eum absolvere, cùm verba legis intelligenda sint cum effectu. Ita Graff. in append. decis. aur. lib. 1. c. 7. num. 50. Dian par. 4. tract. 4. resol. 110. Pellizzar. tract. de privil. cap. 2. sect. 1. q. 13. Mazuch. de cas. reser. disp. 1. q. 3. diff. 8. num. 22.

Neque verum videtur, quòd illa verba *pro hac vice*, respiciant tantùm peccata tunc commissa, sed respiciunt unicam absolutionem ab illis, & similibus peccatis, quæ tempore absolutionis bona fide clavibus subiicientur.

Imò Graff. cit. c. 5. num. 50. sustinet, si pœnitens post absolutionem, sed ante communionem incidat in aliud simile peccatum reservatum, posse eum à delegato absolvi, non obstante, quòd facultas sibi delegata sit cum hac formula *pro hac vice*. Verùm hæc Graff. doctrina extra Jubilei tempus non videtur in recepta.

Dices. Si hoc esset verum, posset pœnitens ad plures annos differre usum obtentæ facultatis, & sic respectu illius talis casus non esset reservatus, quia semper vigeret eadem facultas, pro recipienda absolutione illorum, & similium peccatorum usque ad punctum temporis, quo vellet uti obtenta facultate: hoc autem videtur inconveniens: Ergo &c. Pro hujusce obiectionis solutione sit sequens resolutio.

Quænam sit in materia reservationis, concessioneque facultatis horum verborum, pro hac vice tantùm, *intelligentia*.

RESOLUTIO XLVII.

Respondeo. Si facultas à Superiore concessa absolvendi pœnitentem à casu, seu censura reservata, vel suaptè natura, vel ex concedentis intentione talis sit, ut determinetur, ac restringatur ad casum in petitione concessum, ut accidit in casu, v.gr. percussionis Clerici, vel abortus fœtus animati, tunc pęnitens potest differre usum talis facultatis etiam ad multos annos; nam illa facultas semper vigebit usque ad confessionem peccati in petitione enarrati; illaque particula, *pro hac vice*, poterit tunc verificari. Ita Card. de Lugo disp. 20. de Sacr. pœnit. sect. 8. n. 126.

Si verò facultas absolvendi à casu, vel censura reservata ratione subiectę materię talis sit, quæ ad casus, & censuras similes extendi possit, non potest pœnitens longissimè differre usum hujusmodi concessionis, sed uti debet obtenta facultate, instituendo confessionem delicti intra tale tempus, quo moraliter loquendo verificari possint illa verba *pro hac vice*: alioquin absolutio non poterit dici collata virtute illius concessionis, quæ tandiu perdurare non censetur. Vide Card. Lugum cit. cui subscribit Mazuc. disp. 1. q. 3. diff. 10.

Quamnam verò temporis moram in posteriori casu importent illa verba, *pro hac vice*, nullus Doctor, quem ego viderim, id definit, sed omnes resoluunt id pendere ex prudente judicio Confessarii, & ex circumstantiis occurrentis necessitatis. Probabiliter tamen dici potest usum talis facultatis cessante legitimo impedimento, ultra viginti dies, vel integrum mensem, post obtentam facultatem, differri non posse. Ita consulere, *Doctissimi viri spectatissimæ Societatis Iesu*, hac de re à me consulti.

An Parochus habens jurisdictionem delegatam circa casus reservatos possit ab iis absolvere suum subditum extra Diœcesim.

RESOLUTIO XLVIII.

Negant Syluest. v. Conf. 1. quæsito 14. Hostien. in Summ. de pœnit. & remissione numer. 14. Zerula de Sacram. pœnit. cap. 16. quæsito 3. nam, quamvis concedant Parochum, aliosque jurisdictionem ordinariam habentes, posse suos sub-

ſubditos abſoluere extra Diœcem, eò quòd talis juriſdictio, quò ad forum internum, reſpicit perſonas, non locum; unde eam ubique etiam extra Diœceſim poſſunt in ſubditos exercere, id tamen negant de habentibus juriſdictionem delegatam, eos ſcilicèt poſſe hujuſmodi facultatem exercere extra Diçceſim illius Superioris, qui eam ſibi delegavit. Cumque Parochi reſpectu reſervatorum habeant tantùm facultatem delegatam, conſequenter negant Parochos poſſe ſuos ſubditos à reſervatis abſolvere extra Diçceſim.

Çeterùm cum communi Doctorum ſententia reſoluendum eſt, Parochum poſſe extra Diçceſim à reſervatis abſoluere ſibi ſubditum: Nam facultas abſolvendi à reſervatis eò uſque extenditur, quòuſque extenditur juriſdictio abſol uendi à peccatis, atqui juriſdictio abſoluendi à peccatis in Parocho reſpectu Parochiani extenditur extra Diçceſim: Ergo etiam facultas abſoluendi à reſervatis: Major non indiget probatione, cùm nulla diſparitatis ratio afferri poſſit, teſte Graff. & Floron. loco inf. cit. minor etiam patet, quia juriſdictio voluntaria; hoc eſt, quę abſque ſtrepitu, & figura judicii exercetur, poteſt extra proprium territorium, & Diçceſim exerceri, ut fatentur etiam Doctores contrariæ ſententiæ: talis eſt abſolutio à reſervatis in foro ſacramentali. Ita Suar. diſp. 25. de pęnit. ſect. 1. num. 17. Sanch. de matrim. diſp. 19. num. 8. Reginal. lib. 1. numer. 93. Graff. lib. 1. deciſ. aure. cap. 13. num. 43. Floron. de caſ. reſer. par. 1. c. 3. §. 5. num. 1. Lupus de caſ. reſ. par. 1. diſt. 10. art. 1. diff. 1. Dian. par. 3. tract. 4. de Sacram. reſol. 44.

Dixi juriſdictionem voluntariam, quæ ſcilicèt exercetur in ſubditos volentes; ut excludatur juriſdictio contentioſa, quæ verſatur inter partes contendentes cum ſtrepitu, & figura judicii, hæc enim non poteſt exerceri extra territorium: ne alter videatur invadere juriſdictionem alienam, Sanch. loc. cit. n. 7. Layman lib. 1. tract. 4. c. 5. n. 4.

Quid autem, ſi Parochus facultatem habeat limitatam cum hac clauſula, *in Parochia tantùm*, mox dicam.

An Parochus, cui conceſſa eſt facultas abſolvendi à reſervatis cum hac clauſula, in ſua Parochia, *valeat ſuum Parochianum abſolvere extra Parochiam*.

RESOLUTIO XLIX.

Negativè reſponderet Bonac. diſp. 5. de pœnit. q. 7. punct. 2. nam cùm ibi aſſerat, Confeſſarium, qui in aliqua Diœceſi obtinuit facultatem generalem abſolvendi à reſervatis quoſcumque ad ſe accedentes cum hac clauſula *in Diœceſi tantùm* non poſſe eoſdem Diçceſanos ab iiſdem abſolvere extra Diœceſim, con ſequenter diceret etiam, Parochum, cui conceſſa eſt facultas generalis abſolvendi à reſervatis cum hac clauſula, *in ſua Parochia tantùm*, vel *in ſua Parochia*, nequaquam abſolvere poſſe à reſervatis ſuum Parochianum extra Parochiam, & multò minùs extra Diœceſim.

Nihilominùs probabiliter dici poteſt, quòd Parochus in caſu propoſito non obſtante illa clauſula, *in ſua Parochia*, poſſit Parochianum à reſervatis abſolvere, non ſolùm extra Parochiam, ſed etiam extra Diœceſim: nam illa clauſula *in Parochia* non cenſetur facultatem Parocho conceſſam limitare quòad locum, ſed tantùm quòad perſonas, ut ſenſus ſit, *in ſua Parochia*, hoc eſt, in ſuos Parochianos, ſeu in ſubditos ſuæ Parochiæ. Et probatur, quia uſus illius delegatæ facultatis eſt actus juriſdictionis voluntariæ, juriſdictio autem voluntaria immediatè, & per ſe reſpicit perſonas, non locum, hoc eſt, Parochianos, non Parochiam niſi demonſtrativè, nimirùm ad demonſtrandos pœnitentes, in quos debeat exerceri. Ergo Parochus poteſt illa facultate uti in ſuos Parochianos tum extra Diœceſim: eſt enim par ratio utriuſque.

Confirmatur, quia tam latè patet in Parocho, in quo caſu facultas delegata generalis abſolvendi à reſervatis ſuos Parochianos, quàm juriſdictio ordinaria, quam habet ratione Beneficii, quę etiam

etiam limitatur ad Parochiam: atque hanc potest Parochus exercere in subditos extra Diœcesim, sicuti dubio præcedenti resolutum fuit: Ergo etiam facultatem delegatam extra Parochiam, non obstante illa clausula, in Parochia: quam existimo non esse sumendam limitativè, sed demonstrativè: ita ut per eam particulam facultas non limitetur finibus Parochię, sed demonstrativè, seu conditione Parochianorum. Ita Sanchez lib. 2. moral. cap. 11. num. 16. & 17. Reginal. lib. 1. num. 93. Dian. par. 3. de Sacram. resol. 144.

Et hæc resolutio procedit, etiamsi facultas delegata esset cum hac clausula, in Parochia tantùm; Nam ex ea adhuc non sufficienter inferretur facultatem limitari ad Parochiam, sed tantùm ad subditos suæ Parochiæ. Ita Sanch. cit. lib. 2. moral. cap. 11. num. 16. & 17. Layman lib. 1. tract. 5. par. 1. cap. 4. num. 8. Dian. cit. & par. 7. tract. 2. resolut. 8. & 9. in simili de Episcopo in sua Diœcesi. Quibus addo Mazuch. de cas. reser. disp. 1. quæst. 3. diff. 13. numer. 39. in simili de Confessario, cui delegata sit facultas absolvendi, à reservatis quoscumque ad se accedentes hac clausula, in Diœcesi tantùm: Nam ea non obstante, posset à reservatis absolvere (ait Mazuchellus) Diœcesanos Episcopi concedentis extra Diœcesim, eò quòd per illam clausulam non censeatur limitari facultas ad locum, puta ad Diœcesim, sed tantùm ad personas, hoc est, ad Diœcesanos.

An Parochus, qui ab Ordinario facultatem obtinuit absolvendi à reservatis quoscumque ad se recurrentes in sua Parochiali Ecclesia, audita priùs integra sacramentali confessione, possit omnes tàm Parochianos, quàm non Parochianos ad suam Ecclesiam concurrentes audire, & à reservatis absolvere.

RESOLUTIO L.

Affirmat absolutè Basilius Pontius lib. 5. de matrim. cap. 9. num. 6. cui subscribit Diana par. 3. tract. 6. resolut. 28. asserentes consuetudinem introduxisse, ut tàm iter agentes per propriam Diœcesim, quàm exeuntes à propria Parochia, ad aliamque se transferentes, possint absolvi à Parocho loci, ad quem recurrunt, etiamsi ad ipsum accesserint causa subtrahendi se à jurisdictione proprii Parochi. Quod cum sustineant de absolutione à peccatis non reservatis, circa quæ Parochus ratione beneficii videtur habere jurisdictionem ad suas oves limitatam, multò magis sustinebunt de absolutione à reservatis, circa quæ ex suppositione obtinet Parochus ab Ordinario facultatem absolvendi omnes ad se recurrentes in sua Ecclesia.

Negat verò simpliciter Mazuchellus de cas. reser. disp. 1. quæst. 3. diff. 14. num. 43. contendens Parochum in prædicto casu nullo modo posse pęnitentes alieno Parocho subiectos audire, & à reservatis absolvere. Ratio ejus est, quia sicut jurisdictio ordinaria Parochi se extendit tantùm ad suas oves, non verò ad oves alterius Pastoris; ita etiam facultas delegata absolvendi à reservatis, quę amplior (ait Mazuch.) non confertur Parocho in prædicto casu, quàm habeat ratione Beneficii. Et suam sententiam confirmat auctoritate Eminentiss. Cæsaris Montii, olim Mediolani Archiepiscopi, quem refert ita statuisse in Dięcesana Synodo Mediol. 32. cap. 10.

Verùm distinctio mihi videtur adhibenda, quam etiam supra resolut. 24. adhibui. Nam vel Parochianus unius oppidi ad Parochum alterius oppidi recurrit in odium, & contemptum sui Pastoris, ideòque mala fide, & in fraudem legis, & tunc vera censenda est Mazuchelli sententia: Nam constat ad rectam Ecclesiæ gubernationem constitutum esse, ut fideles omnes confiteantur proprio Sacerdoti, vel alieno de licentia saltem interpretativa proprii. Neque Ordinarius præsumitur eo casu concedere Parocho facultatem absolvendi à reservatis eos, qui in contemptum proprii Pastoris, & in fraudem legis ad ipsum recurrunt: Ideòque pęnitens eo casu videtur non posse ab eo Parocho audiri, neque à reservatis absolvi.

Si

Si verò Parochianus unius loci recurrat ad Parochum alterius Paræciæ, non ut se subtrahat à jurisdictione, neque in contemptum proprii Pastoris, sed ob aliquam rationabilem causam, vel quia frequens undique populus concurrit ad illam Ecclesiam, vel quia in ea celebratur solemne festum, vel quia Parochus illius Ecclesiæ est vir eximia doctrina & probitate, cui pœnitentes cum majori devotione, & fructu confiteri solent, vel demum quia proprius Sacerdos facultate caret circa reservata, ad Superiorem autem facilis non sit accessus, & tunc magis placet Pontii, & Dianæ opinio: Tùm quia in iis casibus censetur concurrere implicita proprii Parochi licentia: Tùm quia usus, & consuetudo scita, & approbata ab Episcopis, & Parochis jam obtinuit, ut Parochiani unius oppidi se transferant ad Parochum alterius loci, ab eoque audiantur, & tam à reservatis, quàm non reservatis absolvantur. Ita Suarez de pœnitent. disp. 25. sect. 2. Vasquez q. 93. art. 2. dub. 4. num. 4. Bonac. tom. dis. 5. q. 7. punct. 2. num. 5. ConincK de sacram. disp. 8. dub. 8. num. 61. Azor. par. 1. lib. 5. c. 19. vers. nulla consuetudo, Filliuc. tr. 7. num. 195. Bassæus v. cas. reser. num. 9. & v. Confessarius 1. n. 16.

Munus igitur erit Parochi, qui pęnitentes jurisdictioni alterius Parochi subjectos ad se concurrisse animaduertit, sciscitari ab ipsis, quo consilio, & fine ad ipsum accesserint: quòd si in odium, & contemptum proprii Pastoris ad se concurrisse deprehenderit, eos ad proprium Parochum remittat, ad debitamque obedientiam, & honorem illi præstandum inducat. Si verò ob aliquam ex supra dictis, vel ob aliam rationabilem causam eos ad se accessisse cognoverit, eosdem audire, & à reservatis vi facultatis obtentæ absolvere poterit.

Neque ratio Mazuchelli convincit: Nam dato, quòd Parochus ille ampliorem non obtineret facultatem, quàm habeat ratione Beneficii, tamen sicut jurisdictio ejus ordinaria in multis casibus se extendere potest ad oves alterius Pastoris, ut probatum est supra resol. 24. ita etiam jurisdictio delegata.

Addo falsum videri, quòd facultas delegata in proposito casu non sit amplior, quàm ordinaria: Nam ordinaria, quam habet Parochus ratione Beneficii, se extendit tantùm ad suos Parochianos, non item ad oves alterius Pastoris, nisi ex licentia saltem tacita ipsius: facultas verò sibi ab Episcopo delegata extenditur ad omnes ad se recurrentes in sua Parochiali Ecclesia, quandiù Parochiale beneficium retinuerit, juxtà supradicta. Imò potestas delegata aliquando se extendere potest ad omnes Dięcesanos, si ita colligatur ex verbis concessionis, vel constet de mente concedentis. Nam Episcopus est Pastor, & Parochus totius Dięcesis, ipsique integrum est concedere cuilibet Parocho, vel Confessario facultatem absolvendi à reservatis omnes Dięcesanos independenter à voluntate, & consensu Parochorum sicuti docent Reginal. lib. 3. nu. 46. & 67. Zerola in praxi Sacram. pęnit. cap. 15. quæst. 3. Bonacina de pęnit. disp. 5. quęst. 7. punct. 4. §. 1. num. 17. & alii apud ipsum.

Quòad statutum verò Dięcesanum sub Cæsare Montio, tunc Mediolani Archiepiscopo conditum, quòd affertur à Mazuchello: Dico illud in Dięcesi tantùm Mediolanensi habere locum, si à Successoribus fuerit confirmatum: In aliis autem Dięcesibus, etiam intra Provinciæ Mediolanensis ambitum existentibus, nihil ponderis obtinere.

Quinimò, cum sententia Pontii, & Dianæ supra relata non sit improbabilis, ideò si Parochus inhærendo illorum opinioni, subditos alterius Parochi, ad se recurrentes absolvat, absolutio erit valida, etiamsi ex intentione vitandi proprii Parochi ipsum adierint. Vide, quæ supra dixi resolutione 15. & 24.

An

An Pœnitentiarii possint extra Sacramentalem confessionem pœnitentes à censuris reservatis absolvere.

RESOLUTIO LI.

PRo difficultatis resolutione præmittendum est primò, Pœnitentiariorum duplex esse genus. Alii in Cathedralibus constituti, quibus conceditur facultas absolvendi à casibus, & censuris Episcopo reservatis, ut sit illis in privilegium perpetuum ratione dignitatis, qui & propterea dicuntur Pœnitentiarii majores; Alii sunt Pœnitentiarii minores in Diœcesibus deputati, quibus ratione officii delegatur facultas absolvendi à casibus, & censuris reservatis pęnitentes eorum Vicariæ subiectos, qui Pœnitentiarii alio nomine Vicarii Foranei nuncupantur, de quibus in c.1. de offic.ord.in 6.& Glos. ibi in ver. Foranei, & Clem.2. in fin. ubi etiam Glos. de rescrip. qui licèt ad certam partem Diœcesis deputentur, non tamen faciunt unum, & idem consistorium cum Episcopo, ut faciunt Vicarii Generales: Ideòque ab ipsis appellatur ad Episcopum constituentem Fran. Leo. in thesfori Eccl. par.1. c.10. n.6.

Præmittendum secundò, aliud esse forum conscientiæ, aliud forum Sacramenti pęnitentiæ: Nam forum pęnitentiæ dicitur in quo sub sacramentali sigillo fit peccatorum confessio, & impenditur sacramentalis absolutio: Forum verò conscientiæ, in quo fit quidem occultum animæ judicium, sed non sub sacramentali sigillo, neque impenditur sacramentalis, sed tantùm judicialis absolutio. Quamvis etsi, aliquibus videntibus, detur absolutio, quoties tamen confertur sine testibus, & forma judicii, adhuc dicitur in foro conscientiæ impensa, ad distinctionem ejus absolutionis, quæ in foro externo datur sicuti rectè docent Navar. l.5. consil. de sent. excom. consil.15. Sanchez lib.8. de matr. disp 34. num.29. Avila de censu. par.2. cap.7. disput. 3. dub. 3. ConincK de Sacrament. disp.14. dub.16. num. 252.

Hinc patet longè deviare à veritate, qui putant idem esse dicere in foro conscientię tantùm, & in foro sacramenti pęnitentiæ: Nam per illa verba in foro conscientiæ significatur tantùm, eam absolutionem nihil prodesse pro foro externo, sicuti benè Navar. cit. consil. 15. His præmissis.

Dico primò, Pœnitentiarios prioris generis, qui sunt constituti in Cathedralibus, posse extra sacramentalem confessionem pęnitentes à censuris reservatis absolvere. Et ratio est, tùm quia facultas Pęnitentiariorum in Cathedralibus absolvendi à censuris censetur ordinaria, ideòque ad utrumque forum tùm conscientiæ, tùm pœnitentię est extendenda. Privilegium enim eorum dignitati adnexum latam interpretationem meretur. Tùm quia censura, etsi culpam supponat, in se tamen culpa non est, sed pęna, & ut pœna ex natura sua non requirit absolutionem in Sacramento pęnitentię, neque ab ea dependet: quod verum, est etiamsi delegata sit facultas absolvendi in confessione sacramentali; id enim fit ex peculiari forma delegationis, & non ex vi censuræ, cùm censura ex solo præcepto Ecclesiastico remitti debeat, & remittatur, antequàm fiat Sacramentum. Ita Navar. cit. lib.5. consil.11. nu.2. de privil. edit.2. Avila de cens. par.2.cap. 7. disp.3. Suarez de legib.lib.8. n.15.& 16. Sanchez cit. ConincK cit. Laym.lib.5. tr. 6. cap.10. n.21. Dian. 3. par. tract.2. res. 9. & par.4. tract.4. resol.8. & par.5. tract. 9. resol.4.

Dico secundò, etiam Pęnitentiarios posterioris generis in Dięcesibus constitutos, qui Vicarii Foranei vocantur, posse pęnitentes ad ipsos recurrentes, extra sacramentalem confessionem à censuris reservatis absolvere.

Probatur assertio, quia Vicarii Foranei habent facultatem sibi delegatam absolvendi à peccatis, & censuris reservatis, ut supponitur: sed peccata tantùm sunt materia sacramenti pęnitentiæ, & non censura, teste D.Tho. 3.par. q.84. art.2. Ergo possunt Vicarii Foranei à peccatis in confessione, à censuris verò extra confessionem absolvere.

Con-

Confirmatur primò, quia privilegium, sive gratia à Principe concessa interpretanda est secundùm naturam rei, quæ conceditur teste Layman l.c. Atqui absolutio à censuris non dependet à peccatis, potest enim quis absolvi à censuris in conscientiæ foro, ut interim non absolvatur à peccatis. Ergo &c. Vide Laym. & Avilam ll. cc. qui ex eodem fundamento resolvunt, etiam Parochos eodem modo ab excommunicatione nemini reservata absolvere posse.

Confirmatur secundò, quia quando alicui concessa est aliqua facultas, quæ divisionem patitur, tunc potest ille uti tali facultate quòad unam partem, & non quòad aliam. Sed Vicariis Foranei conceditur facultas absolvendi à casibus, & censuris reservatis disiunctivè, non verò à casibus cum censuris copulativè, quod supponitur ex formula delegatæ facultatis: Ergo ipsis integrum est absolvere à censuris tantùm in foro conscientiæ, & non à peccatis in confessione. Ita Doctores supracitati, qui licèt non distinguant de Pœnitentiariis prioris, & posterioris generis; rationes tamen, quæ ab ipsis adducuntur, pro omnibus æquè militant.

Dices primò. Facultas concessa Penitentiariis se extendit tantùm ad forum internum, non ad externum: Sed si Penitentiarii possent à censuris absolvere extra confessionem sacramentalem, eorum absolutio esset in foro externo: Ergo &c.

Resp. minorem falsam esse: Nam talis absolutio non esset in foro externo, sed interno, non penitentiæ, sed conscientiç. Vide supra prænotatum secundum, & D.D. ibi cit.

Dices secundò. In facultate, quæ Penitentiariis ab Episcopo conceditur absolvendi à casibus, & censuris reservatis: solet apponi hæc clausula, in sacramentali tamen eorum confessione: Ergo facultas videtur ipsis restricta, ut absolvant intra confessionem, non extra.

Resp. quòd illa clausula refertur ad absolutionem à peccatis reservatis, non verò à censuris, sicuti tradit Sanchez cit. disp. 34. n. 30. Unde quamvis non possint absolvere à reservatis extra confessionem possunt tamen à censuris.

Neque dices, quòd clausula illa debet referri ad omnia præcedentia, & sic tàm ad censuras, quàm peccata.

Resp. enim, regulam illam procedere, quando omnium præcedentium eadem est ratio: constat autem non eamdem, sed diversam esse rationem peccatorum, & censurarum Navar. lib. 5. consil. tit. de sim. consil. 92. num. 4. Sanchez cit. qui tamen lib. 3. de matrim. disp. 5. num. 2. excipit, nisi clausula illa posset apposita per ablativum absolutum, nempè audita sacramentali confessione, vel auditis eorum confessionibus: putat enim, clausulam illam importare conditionem qua non servata, absolutio irrita existat, quæ Sanc. exceptio notari debet à Pœnitentiariis.

An possit Superior, auditis solis peccatis reservatis, ab iis sacramentaliter absolvere, mittendo Pœnitentem ad inferiorem pro non servatis.

RESOLUTIO LII.

Affirmativè respondet Caiet. v. confessio conditione 10. Navar. de pœnit. dist. 5. in c. consideret §. cautus n. 12. & 18. Vgol. de offic. & post Episc. c. 40. §. 1. sustinentes absolutè Superiorem posse validè, & licitè, auditis solis peccatis reservatis, ab eis sacramentalem absolutionem impendere, reliqua verò non reservata inferiori committere: asserunt q; ita consuetudine receptum esse, & præcipuè Romæ.

Communis tamen, & vera sententia est, & omninò in praxi servanda, Superiorem absque justa causa, & urgente necessitate non posse audire solam reservatorum confessionem, ab eisque sacramentaliter absolvere, remittendo pœnitentem pro absolutione reliquorum ad inferiorem Sacerdotem. Et ratio est, tùm quia integritas confessionis tàm faciendç à penitente, quàm audiendæ ab eo, qui fungitur Officio Confessarii est de jure di-

divino, ut definit Concil. Trid. sess. 14. c. 5. Sed in hoc non potest dispensari, nisi intercedat justa causa: Ergo nec licèt dimidiare confessionem, nisi ex hujusmodi necessitatis causa; Tùm quia, seclusa reservatione, non potest Superior in sacramentali foro graviora tantùm peccata audire, ab illisque pęnitentem absolvere; pro absolutione verò criminum leviorum ad inferiorem remittere: Ergo neque inducta reservatione: Reservatio enim Superiori reservanti majorem potestatem non tribuit. Ita Suar. de pęnit. disp. 31. sect. 1. num. 3. Vasquez quęst. 91. art. 3. dub. 10. num. 2. Valen. to. 4. disp. 7. quęst. 11. par. Reginal. lib. 8. n. 77. Filliuc. tract. 7. cap. 10. num. 300. & 301. Fagundez par. 2. lib. 8. cap. 3. numer. 3. Coriol. de cas. reserv. par. 1. sect. 1. art. 10. Bonac. to. 1. dis. 5. q. 7. punct. 5. §. 3. n. 2. Card. de Lugo disp. 20. de Sacram. pęnit. sect 6. num. 58.

Consuetudinem autem contrariam, si quę olim Romę viguit, nunc certè sublatam esse, colligitur ex Sylves. v. confession. 1. quęsito 16. prӕterquàm in casibus Papӕ reservatis, quibus adnexa est censura, quӕ tolli potest, remittendo pœnitentem ad inferiorem, ut ab ipso absolvatur à peccatis: Verùm ejusmodi absolutionem constat non esse sacramentalem.

Quòd si quis contendat, adhuc eam Romę vigere, id erit in casu, quo justa causa id suadet; Sicut etiam potest alibi vigere, concurrente eadem justa causa. Quod si secùs alicubi usu receptum esset, talis praxis corrigenda foret: cùm nulla consuetudo possit introduci, quӕ vim habeat abrogandi jus divinum: sicuti docet Card. de Lugo loc. cit. nu. 77. Quęnam autem hoc loco habenda sit justa, & rationabilis causa.

Quęnam justa causa, vel sufficiens necessitas censenda sit, ut Pœnitentem Superior quòad reservata sacramentaliter absolvere possit, pro non reservatis verò ad inferiorem mittere.

RESOLUTIO LIII.

NOnnulli opinantur assiduam Superiorum occupationem, negotiorum multitudinem, dolorem capitis, aliamque similem corporis indispositionem sufficientem pręberę causam audiendi sola reservata, absolutionem verò non reservatorum committendi Confessario inferiori.

Verùm cùm Superior in tali casu possit, vel solam reservationem auferre, vel facultatem absolvendi alteri delegare, vel si audivit omnia peccata, tàm reservata, quàm non reservata, dum profert illa verba absolvo te, intentionem habere absolvendi etiam à non reservatis: Idcircò hę pro justis causis non admittuntur à Suarez to. 4. de pęnit. disp. 31. sect. 1. Valen. tom. 4. disp. 7. q. 11. Filliuc. tract. 7. n. 262. Fagundez pręcep. 2. lib. 8. c. 3. num. 3.

Justa igitur causa, sufficiensque ad id faciendum censetur necessitas, si nimirùm desit Sacerdos, cui Superior possit pęnitentem reservata habentem, committere, & ex parte illius urgeat moralis necessitas confessionem non differendi, Superior autem gravioribus occupetur, taleque delictum inferioris judicio committere non judicet expedire. Quibus adde, si pęnitens iustas rationes habeat integrè non confitendi. Extra hos casus peccare videtur Prelatus, si auditis solis reservatis, sacramentaliter absolvat, remittendo pęnitentem pro non reservatis ad inferiorem: Quia agit contra proprietatem Sacramenti Pęnitentiӕ, ex Christi institutione, ac prӕcepto omnium mortalium peccatorum confessionem postulantis, quatenus ea moraliter fieri potest. Ita Suarez Filliuc. Valent. Fagundez ll. cc. quibus adde Reginal. lib. 8. num. 77. Coriol. de cas. reserv. par. 1. sect.

sect.1. art.10. Bassæ v. cas. reser. num. 20. vers. Prædicta. Finellium de cas. reserv. cap.10. Card. de Lugo disp.20. de pœnit. sect. 78.

Verùmtamen si Superior sufficientem causam non habens, audiret dimidiam confessionem tantùm, quamvis malè ageret, nihilominùs verum conficeret Sacramentum dummodo pęnitens bona fide procederet, essetque sufficienter dispositus, quo casu absolutio directè caderet super audita, indirectè verò super alia, quæ ob moralem impossibilitatem audiri non potuerunt. Ita Suarez citat. disp.31. sect.1. num.9. Filliuc. cit. n. 302. Layman lib.5. tract.9. cap.12. num.8. Bonac. de pœnit. disp.5. quęst.7. punct.5. §. 3. num.2. Reginal. cit. qui notat, etiam Confessarium habentem facultatem delegatam, posse hoc modo absolvere, si similis necessitatis casus occurrat; Imò & reservationem auferre absque sacramentali absolutione, si ab Episcopo facultatem habeat, sicuti docet etiam Bonac. loc. cit. ConincK disp.8. dub. 12. nu. 84. Henriquez.

An Pœnitens, qui à Superiore obtinuit absolutionem reservatorum, teneatur deinde inferiori Sacerdoti peccata, tàm reservata jam semel confessa, quàm non reservata manifestare.

RESOLUTIO LIV.

AFfirmativam tenent Sà v. absolutio Henriquez lib.5. cap.4. nu.4. Reginaldus lib.8. num. 92. Finellius cap. 10. quia confessio peccatorum integrè facienda est, & Christus Dominus præcepit omnia peccata uni, eidemque Sacerdoti manifestari.

Sed licèt hæc sententia sit probabilis, probabilior tamen videtur sententia contraria, quæ docet pœnitentem eo casu sufficienter satisfacere integritati confessionis, si reliqua tantùm mortalia peccata inferiori confiteatur. Ratio est, tùm quia peccata semel legitimè clavibus submissa, & directè remissa, nulla lege sunt iterum clavibus subiicienda: Atqui reservata illa crimina legitimè sunt clavibus submissa, & directè remissa: Ergo &c. Tùm quia in omni alio casu, in quo pęnitens materialiter dimidiat confessionem, vel propter oblivionem mortaliter non culpabilem, vel propter aliam rationabilem causam, sive ex parte pœnitentis, sive ex parte Ministri provenientem, non cogitur ampliùs confiteri peccata, quę illo modo in confessione aperuit, & à quibus per se, & simpliciter fuit absolutus: Ergo idem dici debet in hoc casu.

Confirmatur, quia pœnitens coram Deo & Ecclesia fuit directè absolutus ab habente facultatem absolvendi à reservatis. Ergo non tenetur ea rursùs inferiori Confessario aperire. Ita Suarez disp. 31. de pęnit. sect.1. num.10. Vasquez qu. 10. art.3. dub.10. num. 3. ConincK disp.8. de Sacram. dub.12. n.80. Bonac. de pęnit. disp.5. qu.7. punct. 4. §.3. n.4. Laym. lib. 5. tract.4. cap.12. n.8. Card. de Lugo disp. 20. de pęnit. sect.6. n.82.

Ad fundamentum contrariæ sententię Resp. omnia peccata uni Sacerdoti explicanda esse ordinariè, & per se, non item in casu extraordinario, & per accidens, sicuti cernere est in eo, qui unum, aut plura peccata confiteri oblitus est.

An quando Pœnitens absolvitur à reservatis per Superiorem, à non reservatis verò per inferiorem, duplex recipiat Sacramentum.

RESOLUTIO LV.

NEgativam sententiam tenet Sylvest. v. confessio 1. n.19. & alii, asserentes, hujusmodi absolutionem non esse sacramentalem.

Sed contrarium est sustinendum, videlicèt quoties pęnitens à reservatis tantùm absolvitur per Superiorem, ex tali confessione, & absolutione verum perfici sacramentum, distinctum ab eo, quod posteà ab inferiore confertur, sicque duplex recipere sacramentum. Ratio reso-

resolutionis est, quia utraque confessio, tàm reseruatorum apud Superiorem, quàm non reservatorum apud inferiorem est integra formaliter, & in utramque vera cadit absolutio: Ergo sicut duplex instituitur confessio, & duplex impenditur absolutio, ita duplex constituitur Sacramentum.

Et confirmatur, quia in utraque confessione concurrunt omnia ad constituendum Sacramentum requisita, nempè sufficiens materia ex parte pęnitentis, & sufficiens jurisdictio ex parte absoluentis cum intentione absoluendi: Ergo &c. Ita Suarez disp.31. de pęnit. sect.1. numer. 9. Valentia tom.4. disp.7.q.11. Filliuc.tract. 7.cap.10. nu.302. Tolet. lib.3. cap.8.nu.5. Card.de Lugo dis.20.de pęnit. sect.6.n.82. qui rectè notat pænitentem in priori confessione directè absolui à reservatis, indirectè autem à non reservatis, in posteriori verò directè tantùm à non reseruatis,& tam in priori, quàm posteriori confessione recipere gratiam contra Navar. de pænit. dist. 5. in cap. consideret §. cautus num. 19. arbitrantem gratiam conferri solùm in secunda absolutione, eò quòd existimet ex utraque absolutione unum perfici Sacramentum: Sed reiicitur ab omnibus.

An Confessarius simplex, si peccatum aliquod intelligat esse reservatum, possit Pœnitentem absolvere, remittendo illum ad Superiorem pro reservatis.

RESOLUTIO LVI.

Affirmativam sententiam, præter Doctores antiquos apud Suarez; citatos, ex recentioribus tenent Navar. de pęnit. dist.5. §.cautus n.12.13.& seq. Sà v. absolutio nu.24. Valen. to.4. disp.7. q. 11. punct.1. Sayrus de pęn. cap.16. n.7. Tolet. lib.3. cap.8. n.5. Joseph de Jan. de cas. res. resol.7.n.2. & alii, asserentes pęnitentem in proposito casu per inferiorem Confessarium absolui posse, dummodo is intelligat manerę obligatum ad se præsentandum opportuno tempore Prælato, pro absolutione reservatorum, idque facere proponat. Quę sententia eo nititur fundamento, quòd licèt absolutio per se remittat culpam, & ideò necesse sit, vel tollat omnem mortalem culpam, vel nullam; tamen non est necesse, ut per se tollat omne peccatum, sed potest quædam, hoc est, non reservata directè, & per se auferre, reliqua verò, hoc est, reservata indirectè, & per accidens.

Difficultas tamen in negativam partem resoluitur, nempè Confessarium qui caret facultate absoluendi à reservatis, non posse, præciso necessitatis casu, absoluere pænitentem reservatis,& non reservatis obstrictum, sed debere eum priùs ad Superiorem mittere, vel ab eodem facultatem absoluendi obtinere. Et ratio est, tùm quia confessio est accusatio coram legitimo judice, qui potestatem habeat de integra causa cognoscendi: confessio autem reservatorum facta inferiori non est accusatio coram legitimo judice, quoties pęnitens, præcisa necessitate confitetur sacerdoti, facultate circa reservata carenti: Ergo &c. Tùm quia sicut confessio non est dimidianda sine justa causa; ita nec absolutio: Atqui in tali casu absolutio directa dimidiaretur sine justa causa, ut supponitur: Ergo &c. Ita significat Concilium Tridentinum sect. 14. c. 7. & docent Suarez perperam citatus à Januario pro sententia contraria, disp.31. sect.2. n.3. Vasq. 3.par. q.91. art.3. dub.10. Layman lib.5. tr.6. cap. 12. n.9. Finell. de cas.res. cap.10. n. 6. ConincK disp. 8. dub. 13. n.103. Filliuc.tract.7.n.303. Dian.par. 3.tr.4. resol.58.

His addendum, quòd Confessarius simplex si posset, secluso necessitatis casu absoluere pænitentem reservatis, & non reseruatis obstrictum, posset etiam Sacerdos simplex absoluère habentem venialia,& mortalia: sed hoc non permittitur Sacerdoti simplici, præciso mortis articulo, quia illi deest jurisdictio supra mortalia: Ergo nec Confessario simplici, extra prementis necessitatis casum, eò quòd similiter illi desit jurisdictio supra reseruata: eadem enim utrinque militat ratio. Ita Doctores supra relati ll. cc.

Neque dicas cum Januar. loc.cit.num. 11. quòd absoluere à venialibus tantùm,

quo mortalibus verò pœnitentem mittere ad Sacerdotem jurisdictione prædictum, usui Ecclesię repugnat, non ita verò absolvere à non reservatis, & pro reservatis mittere ad Superiorem.

Resp. enim in posteriori casu non repugnare usui Ecclesiæ, quando premit aliqua necessitas: secùs si nulla iusta causa concurrat, teste ConincK cit. dub. 13. numer. 107. de quo in resolutione sequenti.

Advertendum tamen est, quòd si pænitens, absque rationabili causa, vel vrgente necessitate, à reservatis per inferiorem absolvatur, absolutio erit valida, dummodo ex parte pænitentis concurrat bona fides, & debita dispositio, confessioque in integritate non deficiat, ex parte verò Confessarii adsit intentio absolvendi ab iis, à quibus potest. Quod patet ex eo, quia si pænitens bona fide confiteatur reservata Sacerdoti inferiori, vel inferior putet peccatum non esse reservatum, profectò in tali casu subsistit absolutio, & tamen bona fides non supplet jurisdictionis defectum: Ergo idem dicendum, quamuis mala fide inferior à reservatis absolvat. Bonitas enim, vel malitia Confessarii non derogat validitati Sacramenti, dummodo non desit intentio ministri. Ita Suar. loc. supr. cit. n.6. Reginal. lib. 8. n.81. quos sequitur Mazuch. de cas. res. disp. 1. quæst. 3. diff. 17. n.59.

An Necessitas gravis præbere possit justam causam inferiori Confessario absolvendi Pænitentem casibus reservatis obstrictum, antequam ad Superiorem pro benificio absolutionis accedat.

RESOLUTIO LVI.

Ante responsionem præmittendum, quòd talis necessitas, præter periculum famæ, vel bonorum jacturæ potest esse præceptum implendi annuam confessionem, vel communionem, vel sacrum faciendi, ita vt confessio, communio, vel sacrum omitti non possit sine graui scandalo, vel infamia, & pro tunc aditus ad Superiorem non pateat. Est ergo difficultas, an, pręmente hujusmodi necessitate inferior Sacerdos absolvere possit pœnitentem, reservatis obstrictum.

Negant ex antiquis Ricardus in 4. dist. 17. art. 2. q.8. Adrianus q.4. de confessione Durand. in 4. dist. 17. q. 15. ex recentioribus Filliuc. tract. 4. cap.8. n. 213. Sancius in selectis disp. 32. n. 10. Dian. par. 2. tract. 14. res. 65. contendentes, pænitentem in his casibus non posse ab inferiori absolvi. Concedunt tamen isti Doctores posse tunc hominem accedere ad communionem, vel ad faciendum sacrum, elicito priùs contritionis actu, perinde ac si copiam Confessarii non haberet Horum fundamentum, est quia inferior non est legitimus judex illius, qui casibus reservatis innodatur.

His tamen non obstantibus, resolutio est affirmativa, pænitentem scilicèt in proposito casu posse ab inferiori Confessario absolvi, dummodò vnà cum reservatis alia etiam peccata mortalia, si quæ habet, vel saltem aliqua venialia clavibus subiiciat; absolutioneque directè tunc cadet super non reservata (quamuis tantùm venialia sint) indirectè super reservata cum onere, ut ea sola Superiori postea confiteatur, directèque ab eis absolvatur. Et ratio est, quia ad valorem Sacramenti non est simpliciter necessaria jurisdictio super omnia mortalia, quibus re ipsa pænitens obstrictus erit sed quoties servatur integritas formalis, sufficit ad valorem Sacramenti jurisdictio circa aliqua peccata. Ergo inferior Sacerdos, absolvendo in prædictis casibus, sacramentalem impertiet absolutionem, quæ saltem indirectè peccata reseruata tollet. Ita Nauar. in cap. consideret 4. cautus n. 10. dist. 5. de pęnit. Suar. tom. 4. disp. 31. sect. 3. n. 6. Valent. tom. 4. disp. 7. quęst. 11. punct. 1. ConincK disp. de Sacram. dub. 13. Regin. lib. 8. n. 82. Bonac. de pęnit. dis. 5. quęst. 7. punct. 5. §. 4. n. 6. & 9. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 12. n. 10. Bassęus v. cas. res. n.16. Card. de Lugo da Sacr. Euchar. dis. 14. sect. 5. qui censent in pręd ictis casibus satiùs esse confiteri, & absolvi, quàm ad communionem accedere sine confessione, cùm non minùs difficiliter eliciatur, quàm cognoscatur contritio. Vide ConincK. loc. cit. n. 45.

Imò

Imò Layman loc. cit. num.2. cui subſcribit Baſſæus loc. cit. num. 18. probabiliter docet, ſi pęnitens ad inferiorem accederet, vel quia bona fide putavit tale peccatum non eſſe reſervationi obnoxium, vel poſſe à tali Confeſſario abſolvi cum onere comparendi poſtea coram Superiore; abſolutionem illi denegandam non eſſe, modò pęnitens præter reſervatum alia etiam peccata clavibus ſubiiciat: Tùm quia aliqualis neceſſitas urget, egro enim animo pęnitens eo caſu ſine abſolutione diſcedet, cum ex ſua parte benè diſpoſitus ſit: Tùm quia graves Doctores relati reſolutione ſuperiori, docent abſolutè id fieri poſſe, quorum probabili opinioni Sacerdos inferior poteſt ſe conformare.

Dices. Si Confeſſarius inferior, præciſo mortis articulo, poſſet abſolvere pęnitentem directè à non reſervatis, indirectè verò à reſervatis, poſſet etiam Sacerdos ſimplex pęnitentem in neceſſitate communicandi, vel celebrandi conſtitutum abſolvere directè à venialibus, & indirectè à mortalibus: ſed uſus, & praxis Eccleſiæ hoc non admittit: Ergo nec illud.

Reſp. quòd non eſt par ratio, tùm quia in priori caſu favet uſus Eccleſiæ, & auctoritas Doctorum, & conſequenter abſolutio non eſt illicita: in poſteriori verò uſus Eccleſię repugnat, teſte ConincK cit. dub.13. num.107. & conſequenter videtur illicita: Tùm quia ſimplex Sacerdos caret omni poteſtate circa pęnitentis perſonam, & fortè etiam circa peccata mortalia, & venialia, ut innuit Suarez diſp.20. de pęnit. ſect.6. n.9. Confeſſarius verò inferior, non obſtante reſervatione, in caſu neceſſitatis adhuc retinet poteſtatem circa pęnitentis perſonam, non reſervata, & reſervata habentem. Januar. de caſ.reſ. reſol.7. n.5.

An Pœnitens, ſi præter peccata non reſervata, habeat etiam reſervatum, cui ſit adnexa excommunicatio, validè poſſit, premente neceſſitate, ab inferiori Confeſſario abſolvi.

RESOLUTIO LVIII.

Negant Sylu. v.confeſſio 1. q.2. caſu 5. Sotus in 4.diſt.22. q.1. ar.1. Vaſq. tom.4. tract. de excomm. dub. 4. num. 8. Tolet.lib.3.cap.8.§.tertius caſus. Quorum fundamentum eſt, quia reliqua Sacramenta in conferente ſolùm requirunt poteſtatem Ordinis, quæ ab Eccleſia impediri non poteſt: Sacramentum autem pœnitentiæ, præter poteſtatem Ordinis, requirit etiam poteſtatem juriſdictionis, quę ab Eccleſia impeditur, & ſubtrahitur inferiori Confeſſario reſpectu excommunicati: Ideòque excommunicatus in caſu propoſito validè per inferiorem abſolui non poteſt.

His tamen non obſtantibus, affirmativæ ſententiæ ſubſcribo, videlicèt abſolutionem in propoſito caſu excommunicato impenſam validam & firmam exiſtere Sacramentumque habere ſuum effectum ita, ut neceſſe non ſit confeſſionem iterari, ſed ſufficere poſtea abſolutionem ab excommunicatione obtinere. Et ratio eſt, quia excommunicatio per ſe non reddit perſonam inhabilem ad recipiendum pœnitentię Sacramentum, neque irritat illud, ſi ex parte ſuſcipientis concurrat bona fides, debitaque diſpoſitio, & ex parte miniſtri adſit tum juriſdictio, quæ profectò in caſu propoſito non deficit. Nam quamvis excommunicatio privet hominem juriſdictione activa in alios, ſi excommunicatus denunciatus ſit, & non toleratus, non tamen privat ſubiectione paſſiva ad alios ſibi Superiores, hoc eſt, alii non privantur juriſdictione in ipſum: Aliòquin excommunicatio eſſet pœna non pœnitentis excommunicati, ſed Confeſſarii abſolventis. Ita Nav. in man. cap.9. numer.4. Suarez de cenſu. diſput.10. ſect 3. num.9. ConincK diſp.8. dub.12. num.104. Tolet. lib. 3. tract.4. de Sacram. reſol.78. Baſſęus in floribus the.

pract. v. cas. res. num.18. vers. nihilominus. Card. de Sacram. Euchar. disp.14. sect. 5. 614. Joseph de Januar. de cas. res. resol. 4 num.2. & 7.

Ex quorum doctrina, pro praxi tùm hujus, tùm superioris resolutionis colligitur, pœnitentem casibus reservatis obstrictum, urgente communicandi, vel celebrandi necessitate, ad vitandam infamiam, aliudvè grave incommodum, si nequeat Superiorem adire, posse.

Primò, omnia peccata tàm reservata, quàm non reservata inferiori Confessario confiteri, ab ipsoque directè à non reservatis, indirectè à reservatis, ut dixi, absolui. Suarez tom.4. disp.31. sect.3. n. 6. ConincK cit. disp. 8. dub.13. nu.107. Layman l.5. tract.6. cap.12. n.10.

Secundò, si nolit inferiori Sacerdoti confiteri, posse contritionis actum elicere, sicque communicare, vel sacrum facere, nulla præmissa confessione, perinde ac si Confessarii copiam non haberet Filliuc. tom.1. tract.4. cap.8. num.213 Dian. par.3. tract.5. res.68. Bassæus v. cas. res. nu. 17. vers. Porrò.

Tertiò, si peccata reservata habeant adnexam excommunicationem, adhuc integrum esse pęnitenti apud inferiorem Sacerdotem confessionem instituere. Suarez, & ConincK ll.cc. Dian. par.3. tr.4. de Sacram. res.104. Bassæus cit. qui hanc regulam tradunt: Quæcumque causa sufficit, ut excommunicatus cum sola contritione possit ante absolutionem ad communionem, vel celebrationem accedere, sufficit etiam, ut possit inferiori confiteri.

Quartò, si hoc etiam nolit, in ejus potestate positum esse, elicito priùs contritionis actu, communionem sumere, vel Missam celebrare. Tambur. de jure Abb. to.2. dis.13. q.8. num.12. ConincK cit. dub.13. num.107. Bassæus cit. Dian. cit. par.3. tr. 5. res.68. Filliuc. to.1. tract.4. cap.7. num. 213. Card. de Lugo loc. cit.

Utrum autem pœnitens confiteri tantùm possit peccata non reservata, reticereque reservata, solutio pendet ex sequenti.

An Pœnitens, si urgente communicandi, vel celebrandi necessitate velit Confessario simplici confiteri, teneatur illi omnia peccata tàm reservata, quàm non reservata aperire.

RESOLUTIO LIX.

Negativè respondent Ugol. de offic. & potest. Episc. cap.4. §.1. Filliuc. par.3. in institutione pro confessionibus excipiendis cap. 2. art. 5. quibus subscribit Mazuch. de cas. reser. disp.1. quæst. 3. diff.22. nu.79. & adhærere videtur Dian. par.3. tract.4. resolut.104. Fundamentum est, tùm quia peccata reservata non sunt materia hujus confessionis: Ergo possunt reticeri: Tùm quia pœnitens non tenetur idem peccatum duobus confiteri: sicut igitur Confessarius simplex non potest à reservatis absolvere, quia caret jurisdictione; ita nec reservata cognoscere.

Communior tamen, probabilior, & securior est sententia contraria, pœnitentem scilicèt, vel Sacerdotem in proposito casu teneri omnia peccata tàm reservata, quàm non reservata Confessario inferiori aperire. Et ratio est, tùm quia Confessario debet innotescere dispositio pœnitentis, ratione cujus dispositionis indagandæ, Confessarius habet jus cognoscendi omnia pœnitentis peccata: Tùm quia confessio debet esse integra non solùm formaliter, sed etiam materialiter, hoc est, omnium peccatorum, quorum pœnitens conscientiam habet; nisi legitimum impedimentum excuset: cujusmodi non censetur defectus facultatis in Confessario directè absoluendi à reservatis, vel ne pęnitens bis confiteri teneatur reservatum: præponderat enim tùm obligatio seruandi integritatem confessionis, quæ est de jure divino, tùm jus rectè cognoscendi pęnitentis statum, ut si fortè spiritualis ipsius ægritudo pro tali tempore aliquo indigeat remedio, id ei per Confessarium, qui officio fungitur tùm judicis, tùm Medici, præbeatùr. Quomodo autem Confessarius id præstabit, si morbus sibi non innotescat,

vel

vel vulnus non detegatur? Ita D.Tho.3. par. q.8. ar.3.& in 4.dist.17.q.3. ar.4.Suar. disp.31. de pęnit. sect.3. num.8. ConincK disp.7. de pęnit. dub. 9. num. 86. Reginal. lib.6. num. 150. Tamb. de jure Abb tom. 2. disp.13. q.9. num.4. Vega to.1. cap.11.n. 273. Henriq. lib 6. cap.15. num.4 Bonac. de pęnit. disp. 5. q.7. punct. 5. § 3. num. 9. Layman lib.5. tract.6. cap.12. num. 11. & alii plures.

Adverte tamen, quòd licèt asseramus, consultiùs, securiùsque pęnitentem acturum in tali casu, si inferiori Sacerdoti omnia peccata tàm reservata, quàm non reservata confiteatur, non ideò tamen dicimus, absolutionem eo casu à non reservatis tantùm impensam, nullam, & irritam existere, quidquid dicat Jacobus Mancinus de cas.reser. prat.4. dub. 29. & alii apud ipsum. Multa enim censentur improbabilia, quibus tamen si quis bona fide adhæreat, eò quòd alicui probato Doctori videntur probabilia, vel probabiliora, ea firma, & valida existunt, teste Navar. in man. cap.27 n.288. Sanc. lib.1. moral. cap.9. nu. 7.9. & 10. Quod accidit etiam in hoc casu, quia adsunt omnia ad validam absolutionem requisita, nempè sufficiens materia cum bona fide ex parte penitentis, & jurisdictio cum intentione absolvendi ex parte Confessarii: Tùm quia ita sentiunt graves Auctores supracitati, quorum probabili opinioni potest pęnitens se conformare in praxi. Vide Suarez, Bonac. Reginal. Layman ll. cc.

An inferior Sacerdos possit Pœnitentiam à Superiore pro reservatis imposi tam commutare.

RESOLUTIO LX.

NEgativæ sententię adhęrent Navar. in man. cap.26. nu. 22. Suarez disp. 38. de pęnit. sect.10. n.14. Sà v.satisfactio num.5. ConincK dis. 10. dub. 12. nu. 101. Layman lib.5. tract.9 cap.15. nu.16. Bassæus v. satisfactio n. 8. Quorum ratio est, quia Confessarius, qui non potest ferre judicium circa aliqua peccata, neque potest commutare pęnitentiam pro illis peccatis impositam: Atqui Confessarius simplex, citra casum magnæ necessitatis, non potest ferre judicium circa peccata reservata: Ergo neque mutare pęnitentiam à Superiore pro reservatis injunctam.

His tamen non obstantibus, responsio est affirmativa, inferiorem scilicèt Sacerdotem posse, concurrente juxta causa, pęnitentiam pro reservatis injunctam commutare. Et ratio est, tùm quia sicut per absolutionem casuum reservatorum illa peccata desinunt esse reservatorum, ita desinit esse reservata pœnitentia, pro illis imposita: Ergo nihil obstat, quominùs ab inferiore, juxta intercedente causa, commutari possit: Tùm quia Superior præsumitur consentire in id, quod pœnitentis saluti censetur expedire: Ergo si necessitas premat, vel utilitas suadeat, ut pœnitentia commutetur, quilibet Confessarius eam poterit commutare.

Prætereà, sicut postquàm Summus Pontifex votum reservatum in aliud commutavit, quilibet Confessarius in Jubileo, vel Episcopus, exigente causa, potest materiam subrogatam voto reservato in aliam commutare, sicuti docent Sylu. v.votum 4.q.8. Sanchez l.8. de matr. disp.9.n.20. Sà v.votum n.ultim. Ita etiam Confessarius simplex pęnitentiam, quam superior pro reservatis imposuit, in aliam commutare non prohibetur: militat enim utrinque eadem ratio. Ita Valent. t. 4. disp.7. q.14. punct.4. lib.7.n.91. Filliuc. tract.8. c.2. q.7. Bonac. de pœnit.disp.5.q. 5. sect.3. punct.3. nu. 6. Sancius in selectis disp.14. num.13. Diana par. 2. tract.1. res. 53. Homob. de cas. reseru. par. 1. pagina mihi 115. Lupus de cas.reser. pa.1. dist. 2. diff. unic. n.2. Mazuch. de cas. res. disp.1 q.3. diff.23. nu.85.

Advertat tamen prudens Confessarius, quòd ad hanc commutationem faciendam, pręterquàm quòd requiritur juxta causa, puta pęnitentis utilitas, vel necessitas, aut magna difficultas, in adimplenda pænitentia, non debet se nimis indulgentem præbere, in minuenda, vel commutanda pęnitentia, ne pænitentes ansam indæ arripiant non implendi pœnitentias.

An commutatio pœnitentiæ possit fieri extra Sacramentalem Confessionem.

RESOLUTIO LXI.

Affirmant Valentia tom. 2. disp. 7. quæst. 14. punct. 4. Navar. in man. cap. 26. num. 22. Sà v. satisfactio numer. 5. suamque assertionem extendunt ad pœnitentiam non solùm præservativam, sed etiam satisfactoriam: Quorum Doctorum sententiam probabilem putat Diana par. 2. tract. 1. resol. 53. & par. 3. tr. 4 resol. 53. & 137. & adhæret Tolet. lib. 3. cap. 11. num. 12.

Verùm communis Doctorum sententia est negativa, nimirum pœnitentiæ commutationem nullatenus posse fieri extra sacramentalem confessionem. Nam usus, & praxis. Ecclesiæ sicut probat Confessarium ex juxta causa posse mitigare, diminuere, ac commutare pœnitentiam à se, vel ab alio Confessario æquali, aut etiam à Superiore, & pro reservatis injunctam, ut superiori dubio resolutum fuit, ita idem usus, & praxis ostendit hujusmodi commutationem in sacramentali confessione esse faciendam.

Confirmatur, quia satisfactio est pars Sacramenti, si non essentialis, saltem integralis, & est actus jurisdictionis clavium in foro sacramentali; ideòque non potest fieri extra confessionem: Quod verum est saltem, si talis commutatio diù post sacramentalem absolutionem differatur. Ita Reginal. lib. 7. num. 88. Filliuc. tract. 8. cap. 2. quæst. 7. Layman lib. 5 tract. 6. cap. 15. num. 19. ConincK disp. 10. de Sacram. num. 99. Bonac. disp. 5. de pœnit. quæst. 5. sect. 3. punct. 3. Bassæus v. satisfactio numer. 7. Cardin. de Lugo disp. 25. de pœnit. sect. 6. num. 114. & alii.

Dixi, si diù post confessionem commutatio differatur: Nam si pęnitens rediret intra unum, aut alterum diem, posset pœnitentia ab eodem Confessario extra sacramentalem confessionem commutari, quia tunc moraliter rem æstimando, censetur idem judicium, sicuti docent Suarez tom. 4. disp. 38. de pęnit. sect. 10. ConincK cit. n. 99.

Secus, si interposito tempore longiore, v.g. quatuor, vel sex dierum intervallo, pęnitentiæ commutatio postulatur: quia tali casu pęnitentiæ impositio, seu commutatio, ob temporis intervallum, non censetur gerere ordinem ad absolutum confessionis judicium, ideòque nec pertinere ad forum Sacramenti pœnitentiæ, rectè notavit Layman cit. nu. 16.

Adverte tamen, datam resolutionem procedere tantùm de pœnitentia satisfactoria, quæ sit pars integralis Sacramenti, non verò de medicinali, seu præservativa, quæ à quolibet Confessario, juxta exigente causa, tam intra, quàm extra confessionem commutari, minui, suspendi, vel tolli poterit, teste Jo. Valerio de differ. utriusque fori v. Judex differ. 23. n. 5. Dian. par. 3. tract. 15. resol. 54.

Porrò licet data resolutio sat solido nitatur fundamento, nihilominus cùm sententia contraria, ob auctori autem Doctorum eam sustinentium, non sit improbabilis, idcircò licebit Confessario cuiquam se illi conformare in praxi, sicuti advertit Layman loc. cit. Beja par. 3. casu 1. Vival. de satisfactione n. 37.

Rectè demùm notat Bonac. disp. 5. de pœnit. quæst. 5. sect. 3. punct. 3. num. 5. & monet Card. de Lugo cit. num. 114. pœnitentiam præservativam, regulariter commutandam esse in aliam præservativam. Imò si pœnitentia ea præservativa non tantùm pro futura, sed prorsus pœnitenti necessaria videretur, ad evitanda recidivi pericula, tunc sicut pœnitens ipse non posset licitè ejusdem commutationem petere, ita nec alter Confessarius licitè in aliam commutare, & multo minùs eam penitùs auferre.

An

An pro facienda commutatione pœnitentiæ necessaria sit confessio eorum peccatorum, pro quibus fuit imposita.

RESOLUTIO LXII.

CErtum est apud omnes, audita eorumdem peccatorum confessione, integrum esse cuilibet Confessario non solùm commutare, sed etiam diminuere pęnitentiam ab alio impositam sicuti secundus Judex in munere succedens potest vel mutare sententiam, vel mitigare pœnam à priori Judice decretam. Difficultas est, an id etiam Confessario liceat, quamvis confessionem peccatorum, pro quibus ea pęnitentia fuit imposita, non audiat.

Negant Suar. disp.38. de pœnit. sect.10. n.4. ConincK de Sacram. disp.10. dub.12. concl.3. nu. 101. Vasquez q. 94. de pœnit. art.2. dub. 2. numer.7. qui gravi censura carpit, & improbilitatis damnat opinionem contrariam.

Verùm ab opposita sententia, vt potè communiori non est recedendum, nempè ad hanc commutationem faciendam non necessario requiri, quòd pęnitens iterum confiteatur omnia, & singula peccata, pro quibus ea pęnitentia fuit imposita. Rationem assignat Dian. par. 2. tract. 15. resol. 53. Tùm quia præsens Confessarius potest de tota simul causa pęnitentis juxta præsentem dispositionem judicare, provt magis ipsi pęnitenti expedire judicaverit: Tùm quia onus nimis grave imponeretur, si pro obtinenda commutatione pęnitentiæ cogeretur præteritas confessiones iterare, eaque rursùs subiicere clavibus peccata, à quibus rectè fuit absolutus.

Addo, quòd valdè rarò in his casibus Confessarii pęnitentibus indulgerent, si longas, integras, ac remotas confessiones audire cogerentur. Ita Navar. in man. cap.26. num.22. Valen. tom.4. disp.7. qu. 13. punct.4. Tolet. lib.3. cap. 11. num. 12. Sà verb. satisfactio num.5. Fernandez in exam. theol. moral. par.3. cap.6 §.7. num. 30. Vival. in candel. aur. de satisfact. n.31. Laym. lib.5. tract.6. cap.16. num.16. vers. Porrò Beja par.3. casu 1. Bassæus v. satisfact. n.7. Dian. loc. cit. & par.3. tr.4. resol. 33. & par.5. tract. 8. resol.37. quibus addo Mazuch. de cas. res. disp.1. q.3. diff.23. nu. 81. qui inferius vers. Secundò, fatetur multoties opinionem hanc ad praxim deduxisse.

An pœnitens possit propria auctoritate pœnitentiam à Confessario sibi injunctum in opus æquale, aut in melius commutare.

RESOLUTIO LIII.

AFfirmativè respondent Cœlestinus in compend. theol. mor. tract. 1. c. 24. num.8. Portel. in dub. reg. v. Pęnitentia Sacram. n.6. addit. quos citat, & sequitur Diana par.3. tract.4. resol.53. & par.5. tract.14. res. 73. Quorum ratio est, quia quoties quis abundantionem solutionem offert pro debito, ad quam ex lege tenetur, is non censetur violare legem, sed abundantiùs implere: Atqui hoc ipsum præstat pęnitens in proposito casu. Ergo &c.

Præterea sicuti quilibet potest opus voto promissum in evidenter melius commutare, ita etiam pęnitentiam à Confessario sibi impositam. Et hæc sententia non videtur improbabilis, teste Basseo v. satisfactio. n.10.

His tamen non obstantibus, resolutio est negativa, & sustinenda, pęnitentem non posse propria auctoritate pęnitentiam in opus melius commutare. Et ratio est, quia commutatio pœnitentiæ est actus judicii, & jurisdictionis sacramentalis, quem Confessarius, tamquam Superior in pęnitentem exercet; pœnitens autem non potest in seipsum judicii, & jurisdictionis actum exercere, cùm nullus sit sibi superior. Ergo &c. Ita Henriquez lib.5. cap.20 nu. 5. Turrianus in select. par.2. disp.31. dub. 62. Sanch. lib. 3. moral cap.11. n. 36. ConincK de Sacram. disp.19. dub.12. n.13. Reginal. l. 7. cap.8. num. 85.

Hoc verò certum est apud omnes, quòd, facta per Confessarium pęnitentię com-

commutatione, adhuc liberum sit pęnitenti eligere, quam pęnitentiam maluerit, primam videlicèt, aut secundam: Quia talis commutatio facta est in favorem pœnitentis, pęnitens autem potest cedere juri, ac fauori suo. Ita Suarez disp. 38. de pęnit. sect. 10. nu. 7. Reginal. cit. cap. 8.

Utrum autem pęnitens propria auctoritate substitutere sibi alium possit, qui loco ipsius pęnitentiam adimpleat: Sciat lector hujusmodi quęstionem ampliùs non posse tractari, nisi impugnativè, ad quam impugnandam, satis sit scire, eam novissimè in Congregatione generali Sanctę Romanę, & universalis Inquisitionis 2. Octobr. 1665. à Sanctissimo D. N. Alex. VII. damnatam fuisse tamquam falsam, & scandalosam sub pęna excommunicationis latę sententię, cujus absolutionem sibi, ac successoribus reservauit.

An qui opus pænitentiæ in statu peccati mortalis implet, præcepto Confessarii satisfaciat, fructumquè satisfactionis acquirat.

RESOLUTIO LXIV.

AFfirmant Vasquez 3. par. quęst. 94. art. 2. dub. 5. n. 10. Sancius in select. dis. 16. n. 5. quorum sententię tanquam probabili quoàd vtramque partem subscribit Diana par. 5. tract. 13. resol. 38. Hujus sententię fundamentum est, quia satisfactio sacramentalis (ajunt) non operatur remissionem pęnę temporalis media infusione gratię, sed per modum impetrationis, videlicèt impetrando eam remissionem à Deo, cui impetrationis non obstat status peccati mortalis; nam peccator multa potest à Deo impetrare, & de facto impetrat.

Cęterùm longè probabilior est sententia, quę docet pęnitentem, qui opus bonum à Confessario sibi injunctum implet in statu peccati mortalis, pręcepto quidem Confessarii satisfacere, nullum tamen satisfactionis fructum, sive remissionem pęnę obtinere. Ratio prioris partis est, quia ille dicitur pręceptum, & obligationem implere, qui facit id, quod sibi pręceptum est, pęnitens autem implendo pęnitentiam in statu peccati mortalis facit, quod sibi pręceptum est. Accedit quòd in pręceptis humanis sufficit pręstare rem pręceptam secundùm substantiam modus autem operandi cadere non solet sub pręceptum. Sanchez lib. 1. moral. c. 13. n. 9. & 12. & Layman lib. 1. tract. 4. cap. 4. num. 7. Ratio posterioris est, quia peccatum mortale nondum remissum est ob ex, & impedimentum ad remissionem pęnę. Et quomodo dignum remissione pęnę temporalis peccator se reddet, si hic, & nunc, ob mortalem reatum, dignus est ęterna pœna? Ita Suarez de pœnit. disp. 38. sect. 8. Valent. tom. 4. disp. 7. quęst. 14. part. 3. Tolet. lib. 3. cap. 11. Nau. in man. cap. 3 nu. 6. Reginal. lib. 7. nu. 9. & 84. Filliuc. tract. 8. n. 57. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 15. n. 15.

Vtrum autem eo casu satisfactio, sublato obice, sortiamur suum effectum, spectat ad dubium sequens.

An pænitentia Sacramentalis facta in statu peccati mortalis sortiatur suum effectum, remoto obice culpæ lethalis.

RESOLUTIO LXV.

AFfirmatiuam tenent Cajetan. tom. 1. opusc. tract. 6. q. 2. Medina cod. de confes. q. 42. in fine Beje par. 3. casu 3. Tolet. lib. 3. c. 11. quorum sententiam valdè probabilem vocat Laym. lib. 5. tract. 6. c. 15. Versic. Cęterùm, & adhęret Bassęus v. satisfactio n. 16. quia satisfactio est pars Sacramenti, non potest autem esse pars Sacramenti, quin efficiat aliquid ex opere operato; cum autem non efficiat gratiam ob peccatum mortale, quod est obex ad gratiam, restat, ut debeat efficere remissionem pęnę, remoto obice, hoc est, recepto statu gratię.

Verùm communior, & probabilior est sententia contraria, nempè pęnitentiam factam in statu peccati mortalis nihil prodesse coram Deo ex condigno ad remissionem pęnę, etiamsi postea tollatur obex peccati mortalis per novam pęnitentiam, & infusionem gratię. Ratio est eui-

evidens, quia remissio pœnæ temporalis est effectus secundarius Sacramenti pęnitentiæ, qui necessariò dependet à persistentia effectus principalis, quæ est infusio gratiæ sanctificantis: Ergo sublato effectu principali, hoc est, gratia sanctificante per subsequens mortale peccatum, tollitur etiam effectus secundarius, nempè remissio pœnæ temporalis; Sicque ejusmodi pęnitentiæ opus prodesse non potest ad remissionem pœnæ.

Confirmatur, quia ad hoc ut opus coram Deo sit meritorium ex condigno, quinque conditiones sunt necessariæ, ut passim docent Theologi. Primò ut opus sit moraliter bonum. Secundò ut sit voluntarium, & liberum. Tertiò ut fiat ab homine viatore. Quartò ut homo viator, qui opus bonum pręstat sit gratus,& amicus Deo, sive existat in gratia, & amicitia Dei. Quintò ut intercedat acceptatio, & promissio ex parte Dei, de compensatione retribuenda. Quarum si una desit, opus non est meritorium ex condigno sed tantùm ex congruo,quod propriè rationem meriti non habet, neque de eo quidquam certi affirmari potest, cùm ex Dei liberalitate, ac misericordia dependeat.

Cum igitur in proposito casu deficiat quarta conditio, eò quòd operans in statu peccati mortalis existat; idcircò talis satisfactio nihil proderit coram Deo ad pœnæ remissionem, nihil suffragante, quòd postea removeatur ob ex peccati mortalis per novam infusionem gratiæ. Nam opus factum in statu peccati mortalis est opus mortuum coram Deo: Ergo, remoto postea obice, hoc est, recuperata gratia, opus pęnitentiæ nihil proderit ad remissionem pœnę, nam opera mortua non reviviscunt, recuperata gratia, sed solùm opera mortificata, nempe quæ facta fuerunt in gratia,sed ob superveniens mortale peccatum remanserunt mortificata. Ita Suarez cit. disp.38. sect.8. num.5. Vasquez 3.par. qu.94. num.2. dub. 5. Valent. tom.4. disp.4. qu.14. Sà v. satisfactio num.7. Henriq. lib.5. cap.20. num.7. Reginal. lib.7. num.9. & 10. Dian. par.4. tr. 13. resol.38.

An pœnitens, qui fuit absolutus ab habente facultatem ordinariam, vel delegatam circa peccata reservata, remaneat absolutus etiam à reservatis oblitis.

RESOLUTIO LXVI.

NEgativam sustinet Vasquez qu. 91. art.3. dub.5. num.18. qui falsitatis damnat contrariam sententiam: Nam peccata aliqua esse reservationi obnoxia, nihil aliud est (ait Vasquez) quàm illorum esse reservatum Superiori judicium; proindeque in tali casu sicut oblitorum nullum à Superiore fit judicium; ita nulla tollitur reservatio.

Communior tamen est, & probabilior sententia contraria, nimirùm quando pęnitens fuit absolutus ab habente facultatem ordinariam, vel delegatam circa casus reservatos, verè remanere absolutum etiam à peccatis reservatis, quæ superiori per oblivionem confiteri prætermisit; ita ut ea postmodùm cuilibet Confessario confiteri possit, ab eoque beneficium absolutionis obtinere, quia sicuti censura, cujus pœnitens absolutionem petere in confessione sit oblitus, tollitur per generalem Superioris absolutionem, quæ communiter ante absolutionem à peccatis pręmitti solet,sicuti ex communi docet Card. de Lugo disp. 16. de pęnit. sect.15. ita etiam reservatio peccatorum, quæ pęnitens ex oblivione subiicere clavibus omisit,tollitur per formam consuetam,& absolutam, Ego te absoluo &c. Ita Navar. in man. cap.26. n.13. Henriq. lib. 6. cap.16. n.5. Sà v. cas. res. nu.7. ConincK disp.8. dub.12. num.98. Dian. par.4. tract. 4. res.124. Card. de Lugo disp.20. de pęn. sect. 7.

Limitat hanc resolutionem Suar. dis. 31. de pęnit. sect.4. n.14. ut tunc procedat, quando pęnitens confitetur Superiori ob eum finem; ut etiam à reservatis absolvatur: secùs si absque tali intentione: pro cujus difficultatis solutione ponitur sequens resolutio.

An

An Pœnitens, qui bona fide confitetur Superiori, sed ex oblivione non petit expressè absolutionem à reservatis, remaneat ab illis absolutus.

RESOLUTIO LXVII.

AD hoc dubium negatiuè respondet Suarez disp. 31. sect. 4. n. 14. sustinens pœnitentem, qui confitetur superiori sine expressa intentione obtinendi absolutionem reservatorum, non remanere à reservatis oblitis absolutum, eò quòd non adsisufficiens voluntatis manifestatio; nec superior censeatur absolvere secundum plenitudinem suæ potestatis.

Cæterùm probabilior est opinio contraria, pœnitentem scilicèt eo casu remanere directè absolutum à reservatis oblitis, etiamsi expressè ab illis absolutionem non petat. Et ratio est, quia licèt pœnitens absolutionem reservatorum explicitè non petat, censetur tamen, & præsumitur interpretativè petere: atque ideò ad superiorem accessisse, ut ab omnibus in quæ inciderit, peccatis, quantum fieri potest, absolvatur. Quare superior etiam censetur hìc, & nunc si non explicitè, saltem implicitè velle pœnitentem liberare ab omnibus illis peccatis quibus ille obstringitur, & à quibus secundum plenitudinem suæ potestatis potest eum absolvere, proindequè saltem peccatorum oblitorum reservationem auferre, ita ut pœnitens postmodum ea cuicumque approbato confiteri, ab eoquè absolvi valeat. Ita Sylue. v. confessio. 1. queſt. 4. Nauar. in cap. consideret. §. cautus de pœnit. dist. 5. n. 31. ConincK de Sacram. disp. 8. dub. 12. n. 25. Bassæus in florib. v. casus res. n. 28. Henriq. lib. 6. c. 16. nu. 5. Joseph de Januar. de cas. res resol. 11. n. 2. Card. de Lugo disp. 20. de Sacr. pœnit. sect. 7. n. 83. & 116. Dian. par. 1. tract. 11. resol 19.

Dices. Si hęc doctrina procedetet, frustraretur finis legis reservantis, qui est bonum commune, nimirùm opportunum remedium præstare, proportionatamquè delicto pęnam, ac pęnitentiam imponere.

Resp. Quòd subditus non tenetur ad finem legis, seu pręcepit, sed tantùm ad impletionem pręcepti, sive entitatem pręceptam, ut optimè probat Salas de legib. tract. 15. disp. 9. nu. 33. circa finem. Quòd autem superior sit instructus de tali delicto, & quòd subdito imponat proportionatam delicto pœnitentiam, hoc spectat ad finem legis reservantis, non ad impletionem ejusdem legis: Quod patet in iejunante tempore pręcepti, non ob fręnandam carnem, sed ob auaritiam, vel aliam causam; Is enim pręcepto satisfacit etsi finem pręcepti non assequatur. Vide Card. de Lugo loc. cit. qui tamen rectè monet, consultius, securiusq; esse in tali casu, ut pęnitens confessionem faciens coram Superiore, expressè petat absolutionem à casibus, & censuris reservatis, si qua fortè obstrictus sit, sibiquè memorię non occurrat.

An per confessionem reservatorum inualidè coram Superiore factam, tolatur reservatio.

RESOLUTIO LXVIII.

REsponsio communis Doctorum est affirmativa: Tum quia pęnitens ex eo quòd coram superiore comparavit, eiquè peccatum integrè apervit, ipseque superior convenientem medicinam, & satisfationem imposuit, cēsetur suę obligationi satisfecisse, quantum ad reservationem spectat: tum quia superior absolvens intendit absolvere, quantum potest: ergo censetur saltem reservationem tollere. Demum quia actus agentium si non valent eo modo, quo fiunt, valent eo modo quo fieri possunt: cum ergo illa absolutio non valeat quoad remissionem culpę videtur saltem valere quo ad ablationem reservationis. Ita Syluest. v. confessio. 1. quæs. 19. Suarez. tom. 4. disp. 31. de pęnit. sect. 4. n. 9. Tamb. de jure Abbate tom. 2. disp. 13. queſt. 10. n. 6. Filliuc. tract. 7. cap. 10. n. 311. Bonac. disp. 5. de pęnit. queſt. 7. punct. 5. §. 5. n. 9. Dian. par. 1. tract. 11. resol. 18. Card. de Lugo disp. 20. de Sacram. pęnit. sect. 7. n. 106.

Quæ resolutio vera est, quamvis confessio fuerit. invalida culpabiliter, puta ex de-

ex defectu discusionis conscientiæ, vel requisiti doloris, vel integritatis confessionis, aut etiam ex malitia; dummodo pœnitens sufficienter peccatum reservatum in confessione aperuerit, superiorque absolutionis formam protulerit. Vide Card. de Lugo loc. cit.

Limitant nonnulli hanc doctrinam, ut non procedat, quoties confessio invalidè facta est Confessario, habenti tantùm facultatem delegatam; Quod an verum sit, mox examinandum.

An Pœnitens, qui invalidè confessionem coram Confessario, habente tantùm facultatem delegatam, adhuc liber manet à reservatione.

RESOLUTIO LXIX.

NEgativè respondent liqui apud Dianam par 1. tract. 11. resol. 18. quibus adhæret Filliuc. tract. 7. cap. 10. n. 311. ubi asserit confessionem invalidè factam delegato, qui non habet potestatem absolvendi à reservatis, nisi Sacramentaliter, nullam, & irritam existere etiam quòad ablationem reservationis: Sicquè peccata adhuc reservationi obnoxia manere.

Sententia tamen opposita videtur satis probabilis, & tuta in praxi, imò indubitata, quando casus est tantùm reservatus ratione adnexę censurę; Quia excommunicatio potest tólli, licent invalida existat ratio Sacramenti. Et ratio est, tùm quia non sunt unum, & idem absolutio ab onere reservationis, & absolutio sacramentalis, & prior, hoc est, ab onere reservationis, non dependet à posteriori, nimirùm à validitate Sacramenti, quia pœnitens ex eò, quòd comparuit coram Delegato, ipsique peccatum aperuit, debita recepta pęnitentia, censetur satisfecisse menti reservantis, & fini reservationis.

Accedit, quòd ita sentiunt multi, & graves Doctores, quorum probabili opinioni possùnt pęnitentes se conformare in praxi, eo vel maximè si superiores id sciant, & taceant. Ita Henriq. l. 7. cap. 11. Tabiena v. confessio 2. §. 16. ConincK disp. 8. dub. 12. n. 91. Bonac. disp. 5. de pęnit. q. 7. punct. 5. §. 5. num. 9. Mazuch. de cas. reser. disp. 1. qu. 3. diff. 23. numer. 90. Dian. par. 1. tract. 11. resol. 18. & par. 4. tr. 4. resol. 24.

In facultate absolvendi à reservatis apposita est hæc clausula integra confessione audita: *An dato, quòd confessio defectu integritatis sit invalida, pœnitens liber maneat à reservatione.*

RESOLUTIO LXX.

REsponsio est affirmativa: Et ratio est, quia clausula illa, integra confessione audita, censetur apposita, ut consulatur integritati confessionis, quæ sæpenumerò absque juxta causa dimidiatur. Nam Confessarii non pauci reperiuntur, qui pęnitentes à reservatis absoluunt, remittendo eos ad inferiorem pro non reservatis.. Ut igitur tollatur hujusmodi Confessariorum usus, seu potiùs abusus, addi solet illa clausula, ut sciant Confessarii, quoties à reservatis volunt absolvere, se teneri integram peccatorum confessionem audire. Ex quo tamen non licet inferre ad validitatem absolutionis quòad tollendam reservationem, necessariam esse integritatem confessionis ex parte pœnitentis, sed benè integritatem absolutionis ex parte Confessarii, cui cum facultas absolvendi à reservatis delegata sit cum essentiali conditione integram audiendi confessionem, non potest eam dimidiare. Quod verò illa clausula, integra confessione audita, importet conditionem essentialem, cum sit per ablatiuum absolutum apposita, docet Sanchez lib. 3. de matrim. disp 5. num. 2. Suarez lib. 5. de legib. cap. 31. num. 9. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 14. num. 7.

Sit igitur resolutio. Si pęnitens peccatum aliquod mortale in confessione scienter, & sine juxta causa reticeat, licèt tali confessio defectu integritatis sit invalida quòad rationem Sacramenti, ob malitiam pęnitentis, eris tamen valida quòad rationem reservationis ex parte Con-

Confessarii, qui directè intendit absolvere quantum potest, sicque pęnitentem liberare à reservatione. Ita Mazuch. de cas. reser. disp. 11. qu. 3. diff. 25. numer. 92. cui astipulatur amicissimus Dominus meus Antonius Guertinus, Cathedralis Basilicę Bergomen. Canonicus, vir non minùs morum integritate, quàm universæ doctrinæ fulgore spectatissimus, hac de re Venetiis à me consultus.

An Pœnitenti per se, vel per alium facultatem à Superiore petenti, ut possit à reservatis absolvi, teneatur Superior concedere.

RESOLUTIO LXXI.

NEgativam sententiam sustinent absolutè Navar. in cap. placuit de pœnit. dist. 6. num. 149. & 150. Victoria in Sum. Quorum ratio est, quia Judex alicujus causæ nulli injuriam facit, si per se velit judicium ferre, neque tenetur illud alteri committere, si ipse sit legitimus, & idoneus Judex: Atqui Superior in hac causa se habet, ut legitimus Judex: Ergo &c.

Contrarium docent Suarez disp. 30. de pœnit. sect. 4. num. 3. Reginal. lib. 8. num. 43. ConincK disput. 8. de Sacram. dub. 14. & alii. Horum fundamentum est, quia jurisdictio non est data Superiori propter auctoritatem, vel utilitatem ejus, sed propter bonum ipsius pęnitentis: Ergo quoties pęnitens non vult confiteri Superiori ob aliquam causam, vel etiam ob solam voluntatem, ortam ex intrinseca difficultate confessionis, tenetur Superior facultatem concedere.

Cęterùm distinctio videtur adhibenda Nàm si difficultas ex erubescentia procedens probabiliter sit pœnitenti pro futura, tanquam frænum, quo à peccato retrahatur, vel si talis concessio futura sit occasio scandali, vel recidiui, Superior non tenetur facultatem concedere. Si verò difficultas proveniat ab extrinseco, ut si pęnitens ex tali concessione meritò grave damnum, vel nocumentum timeat sibi ab ipsomet Superiore inferendum, vel aliàs Superior non sit idoneus ad ferendum judicium in tali causa, vel quia sit ignarus, aut improbus, tunc Superior tenetur ex justitia facultatem concedere: quia non potest justè cogere pęnitentem, ut gravis alicujus incommodi, seu nocumenti periculo se exponat. Ita Dian. par. 3. tract. 2. res. 126. Filliuc. tract. 7. c. 10. qu. 7. num. 291. Cor. de cas. res. par. 1. sect. 1. art. 17. Bassæus v. cas. reser. num. 19.

Quid autem, si superior facultatem injustè deneget, sequens resolutio ostendet.

Si Superior neget Pœnitentem à reservatis absolvere, aut alteri facultatem concedere, an possit Pœnitens ab inferiori Confessario absolvi.

RESOLUTIO LXXII.

AFfirmativè responderent Sylvest. v. confessio 1. qu. 6. Navar. in cap. placuit de pęnit. dist. 6. num. 144. Tolet. lib. 3. cap. 13 num. 11. & alii apud Fagundez præcep. 3. lib. 3. cap. 9. num. 17. Nam cùm sustineant posse subditum confiteri Sacerdoti alieno, si proprius injustè neget eum absolvere, vel licentiam confitendi alieno concedere; consequenter idem assererent de pęnitente, quem superior neque vellet à reservatis absolvere, neque alteri causam committere: eadem enim utrinque militat ratio, teste Diana par. 3. tract. 4. resolut. 79. Et ratio est, tùm quia pęnitens eo casu censetur sufficienter superiori se præsentare: Tùm quia sic jure petita licentia præsumitur jure concessa, defectusque Superioris negantis suppleri à Summo Pontifice, sive jure Ecclesiastico universali, ita ut saltem tollatur reservatio, & consequenter à quolibet Confessario possit absolvi.

Contraria tamen sententia est communis, & vera. Et ratio est, quia superior vel justè denegat pęnitentem absolvere, aut facultatem alteri committere, vel injustè: si justè, v.g. quia pęnitens non pręsumitur rectè dispositus, vel quia recidivi occasionem non vult deserere, aut debi-

debitam satisfactionem præstare, & tunc planum est reservationem non tolli. Si verò injustè, quia sine justa causa superior pœnitentem absolvere, vel facultatem alteri concedere negat, & tunc similiter reservatio non tollitur: quia nequitia superioris negantis pœnitenti absolutionem, vel facultatem, ut alteri confiteatur, non tribuit ei jus, ut ab alio possit absolui. Quamvis igitur superior malè agat, denegando, tamen denegatio illa vim, & firmitatem retinet: sicque adhuc durat reservatio, cum reservatio nihil aliud sit, quàm jurisdictionis negatio. Pœnitens igitur in hoc casu cogeretur vel rursùs requirere superiorem, vel adire alium Prælatum ampliori potestate præditum, vel si urgeret necessitas, inferiori Sacerdoti confiteri juxta supradicta resolutione 57. Ita Suarez disp. 31. de pœnit. sect. 4. num. 7. Præpositus de pœnit. quæst. 7. dub. 8. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 13. nu. 3. vers. quintò Rodriq. tom. 1. reg. qq. q. 20. art. 30. Filliuc. tract. 7. c. 10. num. 310. Dian. par. 3. tract. 4. res. 79. Fagundez præcepto 3. lib. 3. cap. 6. num. 17. qui tamen primam sententiam probabilem putat in casu, quo superior semel, atque iterum requisitus injustè negaret pœnitentem à reservatis absolvere, aut alteri facultatem concedere.

An lex reservans, Edicto Episcopali lata, mortuo Episcopo, expiret.

RESOLUTIO LXXIII.

Negativè respondet Præpositus in addit. ad 3. par. q. 9. de res. casuum dub. 16. quem citat, & sequitur Mazuch. de cas. res. disp. 1. qu. 3. diff. 29. num. 106. Horum ratio est, quia reservatio propriè non est pœna, sed negatio, seu limitatio jurisdictionis, quæ non censetur ampliari, neque restitui per mortem Episcopi, idque procedere ajunt, tàm quando reservatio casuum inducta est à jure, seu per constitutiones Synodales, quæ durant post mortem Episcopi; quàm si lata sit ab homine, sive Edicto Episcopali.

Cæterùm hanc sententiam reiicit communis, & vera opinio, teste Diana par. 4. tract. 4. resolut. 108. quoties reservatio Edicto Episcopali inducta est: Quia lex quælibet ab homine lata cessat, mortuo conditore: hujusmodi est lex reservans, Edicto Episcopali lata: Nam casus à jure non feruntur per Edictum, sed per statutum, seu constitutionem Synodalem, neque reservantur præcisè Episcopo reservanti, sed sedi Episcopali saltem implicitè: At reservans casum de quo movetur difficultas, lata est per Edictum, & præcisè reservatio fit Episcopo, nulla facta mentione Sedis Episcopalis, seu Episcopi successoris, ut supponitur. Ergo assumit naturam legis ab homine, & consequenter expirat mortuo conditore, vel reservante, ita ut nulla casuum reservatio maneat in Diœcesi, quòadusque super his per Capitulum, seu Vicarium Capitularem provideatur. Ita Graff. de cas. res. lib. 1. cap. 4. n. 47. Hom. in commen. Exam. Eccles. tract. 5. qu. 41. Ugol. de offic. & potest. Epis. par. 2. cap. 40. nu. 1. Guantus in Enchir. Eis. ver. cas. res. nu. 16. Piasecius in praxi Epis. par. 2. cap. 1. art. 3. n. 21. Lupus de cas. res. par. 1. dist. 2. art. 1. diff. 1. num. 3. & 4. Diana cit. par. 4. tract. 4. resol. 108. Trullench. in Bull. Cruc. lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 2. num. 6. apud ipsum Dianam l. c. Quaranta Sum. Bullar. v. cas. reseru. post summarium.

Dixi, quoties reservatio casuum Edicto seu Decreto Episcopali inducta est: Nam quando casus reservantur per statutum Diœcesanum, vel in constitutionibus Synodalibus reperiuntur inserti, tunc reservatio casuum est à jure, & consequenter vim, & firmitatem retinet etiam post mortem Episcopi: Nam statuta, & constitutiones Synodales semper durant, donec à Successoribus revocentur; vel per contrarium usum legitimè præscriptum abrogentur. Ita Ugolinus, Homob. & Graff. ll. cc. Vide etiam Navar. in man. cap. 27. nu. 259. Quaranta loc. cit.

Dices. Reservatio est jurisdictionis negatio: sed hæc non restituitur per solam mortem Episcopi: Ergo &c.

Respondeo, reservationem casuum Edicto Episcopali latam, esse dispositionem

nem legis ab homine, ut probatum est, quæ suapte natura expirat per mortem Episcopi. Sicut ergo in proposito casu expirat dispositio legis reservantis; ita etiam expirat negatio jurisdictionis, & consequenter suapte natura ampliatur, & restituitur antea negata jurisdictio.

Aduerte tamen, quòd si qui casus, vel jure communi, vel Conciliorum Provincialium essent Episcopo reservati, eorum reservatio non expiraret morte Episcopi: Ideòque Confessariis inferioribus integrum non esset, Episcopali sede vacante ab iisdem casibus absolvere.

An quilibet Sacerdos etiam excommunicatus, suspensus, irregularis, degradatus, & hæreticus in mortis articulo possit absolvere ab omnibus casibus, & censuris etiam Summo Pontifici reservatis.

RESOLUTIO LXXIV.

Responsio est affirmativa, & certissima quemlibet Sacerdotem, quacumque censura, vel culpa innodatum, posse in articulo mortis quoslibet pænitentes, nullo excepto, ab omnibus casibus, & censuris reservatis per se, & directè absolvere, quando non patet aditus ad Superiorem, cui hujusmodi casus, & censuræ sunt reservatæ. Ita declarauit Conc. Trid. sess. 14. c. 7. & docent communiter D. D. Suarez. disp. 26. de pen. sect. 4. nu. 5. Sanchez lib. 2. moral. c. 13. Molina de just. disp. 63. n. 7. Layman lib. 5. tract. 6. c. 12. n. 13. Diana par. 4. res. 2345. Card. de Lugo disp. 18. de Sacrament. pænit. sect. 2. quidquid in contrarium dicant Medina, & Covarr. de Sacerdote excommunicato, non tolerato. Ita Sot. Nav. & Ledesma de heret. Nam in tanta necessitate animarumq; discrimine, ne quid earum saluti deesset, Ecclesia voluit perpetua consuetudine Sacerdotibus plenissimam jurisdictionem concedere, sicuti doctè tradit Card. de Lugo cit. disp. 18. sect. 2. qui disp. 20. de peni. sect. 10. n. 211. rectè notat in omni, & quacumque reservatione censeri semper exceptum mortis articulum: Ita, ut idem Summus Pontifex si non invalidè, saltem illicitè possit reservare sibi casus pro tali articulo. Inferiores verò Prælati non solùm illicitè, sed etiam inualidè, quia jurisdictio à Summo Pontifice, vel jure Ecclesiast. universali amplissimè Sacerdotibus data pro mortis articulo à Prelato inferiori nec auferri, nec limitari potest.

Rectè tamen aduertit Layman libr. 5. tract. 6. cap. 12. nu. 13. hominem in mortis articulo constitutum nullius culpæ argui posse, si hæretico Sacerdoti, tametsi nullum perversionis periculum timeat, tamen ob hæresim detestationem sacramentalem confiteri recuset: modò speret se de peccatis suis contritum esse.

Vtrùm verò Sacerdos, simplex id prestare possit, quamuis adsit approbatus, controvertitur inter Doctores. Pro quo dubio sit sequens resolutio.

An Sacerdos simplex possit in articulo mortis, etiam præsente Parocho, vel alio Sacerdote approbato, à casibus, & censuris reservatis absolvere.

RESOLUTIO LXXV.

Affirmativam tenent Sylue. v. Confessor. 2. qu. 20. Finellius de cas. reser. c. 7. in fine Sayr. decis. 21. de pœnit. c. 11. n. 4. Sà v. absolutio n. 4. Rodriq. tom. 1. sum. c. 59. concl. 3. Barbos. de potest. Episc. par. 2. alleg. 25. n. 51. quos sequitur Dian. par. 4. tract. 4. resol. 161. Quorum fundamentum est, quia Concil. Trid. sess. 14. c. 7. sine ulla limitatione declarat, omnes Sacerdotes posse in articulo mortis ab omnibus peccatis, & censuris absolvere. Quod adeò verum arbitrantur, ut subdant, quemcumque Sacerdotem hanc potestatem habere, etiamsi excommunicatus, non toleratus, suspensus, interdictus, irregularis, imò hereticus, vel degradatus existat, eò quòd verè sint Sacerdotes, & necessitas pœnitentis eos à peccato indignæ administrationis excusat, non obstante, quòd Parochus, vel alius approbatus Sacerdos sit præsens.

Cæterùm communior, & longè probabilior est sententia, quæ sustinet, si Confessarius ordinaria, vel delegata jurisdictione-

ctione prædituss adſit, vel advocari poſſit, Sacerdotem ſimplicem, vel juriſdictione carentem abſolvere non poſſe in mortis articulo oonſtitutum. Et probatur tùm ex reſponſione Greg. XIII. apud Molinam de juſt. diſp. 63. nu. 2. tùm ex cap. Presb. 26. q. 6. ſumpto ex Conc. Carthaginenſi 3. can. 32. Presbyter, inconſulto Epiſcopo, non reconciliet pœnitentem, niſi, abſente Epiſcopo, extrema neceſſitas cogat. Vnde etiam ratio ſumitur. Nam Sacerdos ſimplex poteſtatem habet abſolvendi à quibuſcumque peccatis in mortis articulo jure extraordinario, ob cauſam neceſſitatis: nimirùm ne hac occaſione (ut Triden. ait) aliquis pereat, puta, ſi abſolutio denegetur. Ergo ceſſante neceſſitate, ceſſat hęc extraordinaria poteſtas per regulam, quam tradit Abbas in cap. Cum venerabilis, de conſenſu in fine: Cùm aliquid conceditur propter neceſſitatem, durat conſſio, quatenus urget neceſſitas.

Et cur, obſecro, Eccleſia permittet, ut morituris, qui maximè ſpirituali inſtructione, & auxilio indigent, non proprij Paſtores, aut ab his commiſſionem habentes, ſed quicumq; etiam imperiti, non idonei neq; approbbati Sacerdotes Sacramentum pœnitentiæ miniſtrent; Ita ex communi Couar. c. alma p. 1. §. 11. concl. 8. Zambr. c. 4. dub. 4. n. 3. & ſeq. Gutier. l. 2. can. 99. c. 29. n. 5. Valen. t. 4. diſp. 7. q. 10. punct. 2. Mol. de iuſt. diſp. 63. n. 2. Suar. t. 4. diſp. 26. ſect. 4. n. 4. Sanc. lib. 2. mor. c. 13. n. 7. ConincK de Sacr. diſp. 8. dub. 11. n. 92. Layman l. 5. tract. 6. c. 12. n. 14. Fagund. pręcep. 2. lib. 7. c. 1. n. 19. Card. de Lugo diſp. 18. de pęn. ſect. 2. n. 24. Bon. de pęn. diſp. 5. q. 7. punct. 1. n. 10. & plures alij.

Non placet tamen, quod aliqui docent, Sacerdotem ſimplicem (dummodo non ſit excommunicatus vitandus, de quo infra in prædicto caſu non tantùm illicitè, ſed etiam inualide abſolvere. Nam in caſu probabilis opinionis, qualis eſt oppoſita, adhuc improbabilitatis non damnata, Eccleſiam ſupplere juriſdictionis defectum, docet ipſemet Sanc. lib. 3. de matrim. diſp. 22. n. 65. & lib. 1. mor. c. 9. n. 35. Leſſius lib. 2. c. 29. dub. 8. num. 68. & nos pluries diximus in ſuperioribus reſolutionibus. Unde Sacerdos ſimplex in tali caſu ſaltem validè abſolvit.

An in mortis articulo, ſi adſit commoditas adeundi Sacerdotem ſuperiorem, ſiue Prælatum, neceſſarium ſit ad ipſum recurrere pro abſolutione à caſibus, & cenſuris ipſi reſervatis.

RESOLUTIO LXXVI.

Reſponſio eſt affirmativa, Superiorem ſcilicèt, ad quem jure ordinario à reſervatis, & cenſuris ſpectat abſolutio, adeundum eſſe, quoties ipſe ſit paratus ad audiendum pœnitentem in articulo mortis conſtitutum. Quia juriſdictio in articulo mortis cuilibet Sacerdoti concesſa abſolvendi infirmum à caſibus, & cenſuris reſervatis, ſemper intelligitur ſi deſit copia Superioris, cui jure ordinario reſervetur abſolutio. Quod clarà conſtat ex cap. eos qui de ſent. excom. in 6. & Extrau. 1. §. decernimus, ubi ſtatuitur, quòd nullus in articulo mortis poſſit abſolvere à caſibus, & cenſuris reſervatis ſi facilis ſit recurſus ad Superiorem, ad quem de jure ſpectat abſolutio. Ita Suar. de pęnit. diſp. 30. ſect. 3. n. 1. Sanchez lib. 2. moral c. 13. num. 8. Layman lib. 5. cap. 6. c. 12 n. 14 Fagund. præcep. 2. lib. 7. c. 1. n. 19. Zambranus cap. 4. dub. 4. n. 13. Card. de Lugo diſp. 18. de pænit. ſect. 2. nu. 24. Bonacina diſp. 5. de pænit. q. 7. punct. 1. num. 10.

Dixi quoties Superior ſit paratus ad audiendum pænitentem in articulo mortis conſtitutum, quia ſi conſtaret Superiorem, aut nolle, aut non poſſe infirmum audire, vel ſubeſſet dubium de opportunitate Superioris, Sacerdos ſimplex debere illum abſolvere, ne ſalus ſpirituali infirmi periculo exponatur. Vide Sanchez, & Zambranum ll. cc.

An

An Parochus, vel alius Confessarius inferior possit in articulo mortis constitutum à casibus, & censuris Papæ reservatis absolvere, si adsit commoditas adeundi Episcopum.

RESOLUTIO LXXVII.

NEgativè respondent aliqui, ut Cordub. in summ. qu. 18. punct. 2. dicto. 1. Zambr. de cas. art. mortis c. 4. dub. 4. numer. 54. apud Layman lib. 1. tract. 5. par. 2. c. 6. nu. 5. asserentes eo casu recurrendum esse ad Episcopum, modò adsit opportunitas illum adeundi: Quia licèt Episcopus jure ordinario non possit à casibus Papæ reservatis absoluere, tamen imminente mortis articulo, in quo Summus Pontifex non potest adiri, potestas Papæ devoluitur ad Episcopum: ideòque ad ipsum tali casu, si non jure ordinario, saltem jure devolutivo videtur spectare à casibus Papalibus absolutio, juxta regulam communiter receptam: Quòd casus Papalis, superveniente impedimento adeundi Papam, fit Episcopalis.

Oppositum docent Sylu. vers. absolutio 1. num. 8. Mol. de just. disp. 68. num. 2. Suar. tom. 4. disp. 30. sect. 3. num. 4. Laym. loc. cit. sustinentes Parocho, vel alteri Confessario inferiori integrum esse pœnitentem in articulo mortis existentem à casibus Papæ reservatis absoluere, neque opus esse ad Episcopum recurrere, etiamsi facilis ad ipsum pateat accessus: quia per legem reservantem à Summo Pontifice latam, nullum jus acquiritur Episcopo: In mortis autem articulo, ut ait Trid. sess. 14. c. 7. cessat omnis reseruatio, quando deest copia reseruantis. Unde in tali casu (ajunt) æqualem potestatem habent Episcopus, Parochus, & expositus Sacerdos, quòad casus, & censuras Papæ reseruatas.

Verùm cum Sanchez, Card. de Lugo, Henriqu. Thom. Del Bene locis infra citandis, distinctio est adhibenda: Nam vel casus Papæ reseruati sunt occulti, seu non famosi, vel sunt notorii, & famosi. Si primùm hoc est, si sunt occulti, pro illorum absolutione in articulo mortis ad Episcopum necessariò est recurrendum, si opportunus ad ipsum sit accessus, nullique periculo salus spiritualis morituri exponatur. Et ratio est, quia casus Papæ reservati quando sunt occulti, spectant ad jurisdictionem ordinariam Episcopi, ut constat ex Trident. sess. 24. cap. 6.

Si verò hujusmodi casus sunt notorii, aut ad forum contentiosum deducti, tunc, pro illorum absolutione non est opus adire Episcopum, etiamsi commodus ad ipsum sit accessus: Quia non omnes casus Episcopo conceduntur, sed casus occulti hæresi excepta, & enormi percussione Clerici, ut constat ex cap. noscitur. Unde in articulo mortis circa casus notorios Papæ reservatos æqualem potestatem habent Episcopus, Parochus, & Confessarius simplex: Ideòque æqualiter quilibet eorum potest pœnitentem in articulo mortis constitutum absolvere. Ita Sanch. lib. 2 moral. cap. 13. nu. 9. Card. de Lugo disp. 18. de pœnit. sect. 2. num 33. Molin. de just. disp. 63. num. 3. Tho. Del Bene de Off. S. Inquis. p. 1. dub. 63. nu. 24.

Addo, pœnitentem in eodem articulo mortis neque teneri per procuratorem, seu per litteras ad Papam recurrere; etiamsi posset, pro absolutione à casibus illi reservatis. Quia quando pœnitens non potest personaliter Superiorem adire, neque tenetur per procuratorem sed censetur legitimè impeditus: Ideòque potest in articulo mortis ab inferiori Confessario absolui. Ita communiter Doctores apud Sanchez & Card. de Lugo ll. cc. contra Zambr. cit. dub. 4. num. 15. & Bonac. de censur. disp 1. q. 3. punc. 3. num. 5.

Ad rationem verò pro priori sententia, quòd scilicèt casus Papales, superveniente impedimento, fiant Episcopales: Respondeo illam regulam locum non habere in articulo mortis, in quo parem potestatem habent Episcopus, Parochus, & expositus Sacerdos: Sed procedere tantùm, cùm moralis impossibilitas supervenit, quominùs pœnitens Sum-

Summum Pontificem adire possit: Tunc enim absolvendi facultas per accidens devolvitur ad Episcopum: sicuti benè docet Layman lib. 5. tract. 6. cap. 12. nu. 15.

Excipe tamen ab hac doctrina, nisi in jure specialis commissio reperiatur facta Episcopis, ut in casu percussionis Clerici, juxta cap. si quis suadente, 17. & cap. noscitur, de sentent. excommun. Nam eo casu si ad Summum Pontificem non pateret recursus, absolutio ab excommunicationis censura speciali commissione spectaret ad Episcopum: sicuti docet Covarr. cap. alma par. 1. §. 11. num. 8. Suarez de censur. disp. 22. sect. 1. num. 92. Sanchez cit. cap. 13. num. 9. Quod statutum ad alios casus non est extendendum.

Ex supradictis infertur, quòd sicut Episcopus in articulo mortis non est præferendus Parocho, quòad casus, & censuras Papæ reservatas, ita nec Parochus Confessario simplici, quia in tali casu sunt pares; sicut etiam pares sunt Sacerdos simplex, & qui in aliena Diœcesi est Parochus, vel approbatus, quia respectu illius pœnitentis uterque est approbatus tantùm pro articulo mortis: Unde uterque possunt, nullo servato ordine, pęnitentem absolvere. Ita Suarez disp. 26. de pęnit. sect. 4. n. 4. Sanch. cit. c. 13. nu. 9. Card. de Lugo disp. 18. de pęnit. sect. 2. n. 37.

Utrùm autem idem statuendum de Sacerdote excommunicato, & non excommunicato, difficultas mox resolvetur.

An Sacerdos excommunicatus in articulo mortis possit à casibus, & censuris reservatis absolvere, si adsit Sacerdos simplex & non expositus.

RESOLUTIO LXXVIII.

ANte responsionem præmittenda est distinctio: Nam vel Sacerdos est excommunicatus denunciatus, ideòque non toleratus, sed vitandus, vel est excommunicatus, non denunciatus, ideòque toleratus, & non vitandus.

Respondeo igitur, si Sacerdos sit excommunicatus denunciatus, & non toleratus, eum neque licitè, neque validè in articulo mortis absolvere, si adsit, vel facilè advocari possit Sacerdos toleratus, etiam simplex, & non expositus; Quia Sacerdos non toleratus omni omnino jurisdictione in pœnitentiæ foro privatus existit, excepto extremæ necessitatis casu, quæ necessitas cùm cesset in tali casu, eò quòd adsit, vel facilè advocari possit Sacerdos jurisdictione præditus: Idcircò neque licitè, neque validè absolvit: constat ex cap. ad probandum de re judic. & cap. de supplen. Prælat. neglig. in 6. & docet Navar. in man. cap. 27. num. 36. Suarez disp. 26. de pœnit. sect. 4. num. 4. Sanchez lib. 2. mor. c. 13. num. 7. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 12. num. 14. vers. Porrò Bonac. de cens. disp. 2. qu. 2. punct. 5. Avila p. 2. disp. 6. cap. 6. dub. 6.

Si verò Sacerdos sit excommunicatus non denunciatus, sed toleratus, etsi non licitè, tamen validè absolvit: quia eo ipso, quòd est toleratus, retinet jurisdictionis usum, omniaque ejus acta sunt valida, alioquin non benè consultum esset saluti animarum, & multa scandala, & incommoda sequerentur, si acta per excommunicatum toleratum non essent valida. Quamvis igitur Sacerdos toleratus graviter peccet, sine urgente necessitate se ingerens in actibus jurisdictionis, cùm Concilium Constantiense nullum excommunicatis favorem præstare intendat, gesta tamen ejus sunt valida: & consequenter absolutio in proposito casu ab excommunicato tolerato collata erit valida. Ita ConincK de Sacr. disp. 8. dub. 10. num. 89. Filliuc. lib. 12. n. 144. Tolet. lib. 1. c. 13. num. 7. Layman cit. num. 14. Bonac. loc. cit. num. 3. Nav. cit. c. 27. num. 21. Finellius de cas. reser. c. 8. num. 4.

An absolutus in articulo mortis à censuris reservatis teneatur, cessante impedimento, comparere coram Superiore cui absolutio erat reservata.

RESOLUTIO LXXIX.

NEgat Marchantius in tribunal. to.1. tract.2. titul. 4. qu.7. concl. 7. apud Bassæum v. excommun. 5. num. 7. contendens, tunc solùm onus comparendi coram superiore imponendum esse pœnitenti, quando censuræ, à quibus in mortis articulo per simplicem Confessarium fuit absolutus, ad forum contentiosum erant deductæ, idque tùm ratione obedientiæ, quæ ob contumaciam superiori exhibenda est in exteriori foro: Tùm ob satisfactionem, si quæ fortè parti læsæ præstanda sit, & in hoc sensu docet, intelligendum esse cap. eos, qui de sent. excomm. in sexto cui Marchantii sententiæ adhæret Claudius Millardus apud Dian. par. 5. tract. 14. resolut.59. & probabilem putat Cœlestinus apud Bassæum ll. cc. quando censura non est notoria, vel ad forum contentiosum deducta, sed omninò occulta, vel duobus tantùm, aut tribus innotescit. Vide etiam Josephum de Januario de cas. reser. resol. 13. numer. 89. & 12. qui novissimè hanc eamdem sententiam conatus est defendere.

Verùm quidquid sit de hac nova sententia, cujus judicium aliis relinquo, resolutio est affirmativa, communis, & certa: nempè absolutum in mortis articulo à censuris tàm occultis, quàm notoriis, aut ad forum contentiosum deductis, per Confessarium, qui aliàs non poterat absolvere si convalescat, remanere obstrictum onere se prçsentandi illi superiori, qui jure ordinario poterat illum absolvere: non ut iterum absolvatur, cùm verè fuerit absolutus, sed ut mandatum ejus recipiat, seque obedientem ostendat ad recipiendam debitam medicinam, convenientemque satisfactionem præstandam, si superior ipse majorem censuerit imponendam. Ita decernitur in cit. cap. eos, qui de sent. excomm. cujus optimus interpres usus, & praxis Ecclesiæ est, & sustinet communis hucusque Doctorum opinio. Navar. in man. cap. 27. num. 44. Suar. de cens. disp.22. sect.1. num. 62. & de pçnit. disp.30. sect.3. num.6. Henriqu. lib.6. cap. 6. num. 6. Avila de cens. par. 2. c.7. disp.3. dub.4. Sanchez lib.2. moral. c. 13. num.32. Layman lib.5. tr.6. c.12. n.15. Bonac. de cens. disp.1. qu.3. punct.3. n.11. Franc. Leo in thes. for. Eccles. par.3. cap. 38. nu. 163.

Addo, quòd Confessarius eo casu non potest pœnitentem censura etiam occulta, sed reservata innodatum, absolvere, nisi priùs ab eo juramentum exigat se præsentandi, cessante impedimento coram superiore, à quo de jure absolvendus erat, sub reincidentiæ pœna. Vide infra resol. 90. ubi fusiùs hæc materia expenditur.

Advertit tamen Sanch. & Layman ll. cc. posse pœnitentem eximi ab hac obligatione comparendi coram superiore, cui jure ordinario absolutio à tali censura reservata est, si adeat Confessarium habentem facultatem delegatam absolvendi ab illa censura extra mortis articulum, absolutionem obtineat, absque onere se prçsentandi superiori; Nam prior absolutio non obstat, quominùs pçnitens possit novam absolutionem absolutam obtinere, quod etiam docet Henriq. lib. 6. c. 10. n. 5. litt. G.

Intra quod temporis spatium absolutus in articulo mortis à censuris reservatis teneatur, cessante impedimento, Superiori se præsentare, ne in eamdem censuram reincidat.

RESOLUTIO LXXX.

REspondent aliqui, ut Card. de Lugo disp.15. de Euchar. sect.7. absolutum in articulo mortis ab excommunicatione reservata cum obligatione se præsentandi Superiori, cùm primùm commodè potest, non reincidere, si intra triduum datæ commoditatis se præsentet. Unde consequenter asserere videtur, si ultra triduum, cessante legitimo impedimento, se præsentare intermit-

mittat, illicò in eamdem excommunicationem incidere, juxta cap. eos, qui de sent. excom. in sext.

Cęterùm hæc tridui limitatio nimis stricta, duraque videtur, pręsertim in hęc materia, ubi ad reincidendum in censuram, juxta communiorem Doctorum sententiam, requiritur nova, eaque mortalis culpa, & contumacia. Quare magis placet sententia, quæ docet absolutum in articulo mortis à censura reservata cum onere præsentationis, obligari ad se præsentandum quàm primùm commodè potest, modico aliquo tempore concesso, post cessationem impedimenti, ad hoc, ut possit sibi consulere de necessariis. Quod modicum tempus præscribendum est prudentis arbitrio, habita ratione temporis, loci, personæ, aliarumque circumstantiarum. Unde probabiliter dici potest quoties abest negligentia, & fraus, novaque mortalis culpa, & contumacia (etiamsi longiùs triduo protrahatur præsentatio) numquam habere locum reincidentię pęnam: Quia hęc reincidentia est nova contractio censuræ, quæ pręrequirit novum fundamentum, quod est culpa, eaque mortalis secundùm omnium Doctorum consensum. Sayr. in thes. to.1.lib.3. cap. 28. in fine. Sanchez lib.2. moral. c. 13. n. 28. Bonac. de censur. disput.1. quęst. 3. punct. 3. num.16. Henriquez lib. 13. cap. 28. num.2. ConincK disp.14. dub.16. nu. 216. Et ita in contingentia facti Brixiæ ego tenui, meumque judicium probavit Reverendissim. Dominus meus Carolus Antonius Luciagus Curię Episcopali Brixiens. General. Vicarius, Præsul nobilitate Generis, integritate vitæ, ac dignitatum insignibus pręclarus, omniumque virtutum, ac doctrinarum prærogativa decoratus.

An non tantum in articulo mortis, sed etiam in probabili mortis periculo possit quilibet Sacerdos à casibus, & censuris reservatis absolvere.

RESOLUTIO LXXXI.

NEgativè respondet Sotus in 4. dist. 18. quęst. 4. artic. 4. cui subscribit Valentia tom.4. disp.7. quęst. 10. punct. 2. Graff. par. 1. lib. 1. cap.23. num.84. & adhæret Hurtadus apud Dianam par. 3. tr. 4. de Sacram. resolut. 71. quia valdè differt articulus mortis à periculo mortis: Nam articulus mortis tunc adesse dicitur, cùm mors est ita proxima, ut videatur inevitabilis, & moraliter certa, & quasi instare ultimus vitæ spiritus; Periculum verò, cùm in tali casu mors hominibus solet frequenter accidere. Unde dispositum de uno non censetur dispositum etiam de altero. Proinde cùm jura expresè loquantur de vero mortis articulo, ea non videntur extendenda ad simplex mortis periculum.

Difficultas tamen resolvitur in contrarium, videlicèt per mortis articulum, quo omnes Sacerdotes ex Ecclesiæ concessione absolvere possunt, non esse intelligendum quasi ultimum vitę spiritum, sed quodvis etiam probabile mortis periculum: & consequenter privilegium cuicumque Sacerdoti concessum absolvendi ab omnibus casibus, & censuris reservatis pęnitentem in articulo mortis constitutum, extendi etiam ad eum, qui in propinquo, & probabili mortis periculo versatur: Ideòque sicut in mortis articulo potest quilibet Sacerdos absolvere ab omnibus casibus, & censuris reservatis, sic etiam in probabili mortis periculo. Ita Suarez disp. 26. de pœnit. sect.4. num.3. Vasqu. de pęnit. qu. 93. art.1. dub.5. num.2. Molina de justitia disp.93. num.6. Sanch. lib. 2. moral. cap. 13. num.7. Navar. in man. cap. 29. nu. 31. Reginal. lib.9. num. 10. Sayr. lib. 2. thes. cap.20. num.28. Finell. de cas. reser. cap. 8. num.8. Sancius in select. disp. 22. num. 5. Bonac. de pęnit. disp. 5. q.7. punct. 1. nu. 10.

Layman lib. 5. tract. 6. cap. 12. n. 13. Dian. loc. cit. Card. de Lugo disp. 18. de pœnit. sect. 2. num. 20. qui doctissimè probat articulum mortis, & periculum mortis pro eodem accipi à Romanis Pontificibus, & sacris canonibus, necnon à plerisque Doctoribus, tàm Theologis, quàm jurisperitis: Et jure meritò. Nam cùm Confessarii plerique morborum inexperti sint, nesciantque distinguere articulum à periculo mortis, ferè semper in dubio versarentur, num infirmum, tamquàm in articulo mortis constitutum, absolvere sibi liceret: sicque sæpiùs infirmus damnationis periculo exponeretur.

Addo ex Sancio cit. disput. 22. num. 5. quem sequitur Bassæus v. absolutio num. 31. absolutionem à casibus, & censuris reservatis impendi posse à prima die lethalis ægritudinis, v.g. doloris laterum pleuritidis, &c. Quam sententiam sic extensam cùm Venetiis in Congregatione Doctorum virorum ego sustinuissem, eam tamquàm veritati magis consonam probavit, & in praxim deduci posse resolvit, illi Congregat. præsidens Jo: Baptista Faber, Collegiatæ D. Lucæ ejusdem inclytæ Urbis Plebanus, vir spectata integritate, ac in utraque Theologia prestantissimus, cujus preclaras prærogativas depredicant doctissimæ ejus tùm editę, tùm edendæ lucubrationes.

Tandem postquàm hæc scripseram, inveni hanc eamdem resolutionem novissimè sustineri à Tho. Del Bene de Offic. S. Inquisit. par. 1. dubit. 50. num. 3. ubi etiam rectè notat, articulum mortis reputari etiam quòad effectum absolutionis à censuris, & casibus reservatis, si timeatur perpetua, vel diuturna amentia superventura, licèt mors non timeatur. Quod etiam docet Sanchez lib. 2. moral. c. 13. num. 2.

Dixi supra, si pœnitens in proximo, & probabili mortis periculo existat, eo quòd mors regulariter in tali casu contingere soleat. Secùs si periculum non sit in mora: ideòque possit interim occurrere copia Confessarii, facultate absolvendi præditi: Quia tunc si cessat necessitas utendi privilegio, sic etiam privilegii concessio. Ita Sanchez loc. cit. n. 3. Suar. cit. Zambran. de cas. art. mort. prę-lud. 1. num. 7.

Quinam censendi sint in probabili mortis periculo constituti, ita ut possint per quemcumque Sacerdotem à casibus, & censuris reservatis absolvi.

RESOLUTIO LXXXII.

Resp. Multi numerantur à Doctoribus, ut videre licet apud Dian. par. 3. tract. 4. resol. 72. Layman lib. 5. tract. 9. c. 12. num. 13. Bassæum in florib. v. absolutio num. 31. Tho. Del Bene de Offic. S. Inquisit. par. 1. dubit. 50. n. 3. In quorum numerum venit.

Primò fœmina partui proxima, quæ nondum alias peperit, vel si peperit, experta est se parere cum difficultate, & periculo. Imò nonnulli ut Gamb. de cas. reser. cap. 2. fol. mihi 32. Belloch. de cas. reser. par. 1. quęst. 1. num. 129. hanc concessionem extendunt ad omnes fęminas partui proximas, & jam doloribus partus correptas: Quia partus suaptè natura vitę periculum involuit. Sanchez lib. 2. moral. c. 13. num. 4. Graff. par. 1. decis. aur. lib. 1. c. 11. num. 7.

Secundò, qui suscepturi sunt periculosam navigationem, vel iter prędonibus vitam eripientibus, aut inimicorum insidiis expositum. Molin. disp. 63. num. 5. Sanch. cit. cap. 13. num. 1. Tho. Del Bene loc. cit.

Tertiò milites in bello, si propinqui sunt conflictui, vel hostes aggressuri. Bassæus v. absolutio num. 31. Thom. Del Bene citat. Idem dicitur de obsessis, qui, ne de proximo injustè expugnentur, non longè depugnant. Mazuchel. de cas. reserv. disp. 1. quæst. 3. dist. 34. n. 125.

Quartò banniti, qui ubique impunè possunt occidi. Ideòque ubique, semperque in probabili mortis periculo versantur. Quod procedit dummodo salvum conductum non habeant. Naldus v. absolutio à censuris nu. 5. Bassęus v. absolutio num. 41.

Quintò lethaliter vulnerati, si peri-

cu-

culum sit in mora, eò quòd tale vulnus celerem soleat adferre mortem. Sanchez cit. num. 1. Sextò peste infecti, qui morbus suapte natura dirus, & virulentus subitò, & præter opinionem tali lue correptos enecare solet, teste Chapeau. de modo minist. Sacramen. tempore pestis cap. 1. qu. 1. §. 8. quem citat, & sequitur Layman lib. 7. tract. 6. cap. 12. n. 13.

Septimò, qui apoplesia, pleuritide, dolore laterum, aut alio gravi morbo laborant, ex quo brevi putantur è vita decessuri. Suarez disp. 26. de pœnit. sect. 1. n. 2. Sancius in select. disp. 22. n. 5. Tho. Del Bene cit. n. 3.

Octavò numerantur illi, quibus timetur superventura perpetua, vel diuturna amentia, licèt mors non timeatur. Nam amittens usum rationis absque solutione ita est in periculo mortis, & damnationis constitutus, ac si absque absolutione moreretur. Sanchez citat. lib. 2. moral. cap. 13. num. 2. Thom. Del Bene cit.

Nonò veniunt qui ita senio sunt confecti, ut mors ipsis imminere videatur, quamvis fortè lecto non decumbant. Suarez loc. cit. Sanchez loc. cit.

Decimò denique numerantur illi, qui omnes, qui casibus, & censuris reservatis innodati probabiliter timent, se ante mortem Confessarii copiam non habituros, nisi tunc Confessario simplici confiteantur: Nam tunc necessitatem habent utendi sibi concesso privilegio. Sanchez cit. c. 13. n. 36. Thom. Del Bene loc. cit. n. 4. & dubit. 51. n. 4.

Omnes igitur supradicti cùm censeantur in proximo, & probabili mortis periculo constituti, possunt per quemcumque Confessarium ab omnibus casibus, & censuris reservatis absolvi, de quo videri possunt prẹter DD. citatos Navarr. in man. cap. 26. num. 31. Sayrus lib. 2. thesaur. cap. 20. num. 28. Molina de justitia disp. 93. num. 5. Avila de cens. par. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 5. Sanchez lib. 2. moral. cap. 13. num. 7. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 12. num. 13. Qui addit contra Sanchez loc. cit. prẹdictam doctrinam locum habere in secundo, & tertio enumerato casu, etiamsi quis nulla necessitate coactus, sed propria sponte tale periculum adeat, v. g. pugnam cum hostibus in bello justo, ut maris navigationem suscipiat, idque non solùm postquàm periculo se exposuit, sed etiam antequàm in tale discrimen se coniiciat: Nam in utroque casu delinquens tùm jure divino positivo, tùm naturali charitatis erga seipsum tenetur confiteri. Quẹ ratio est, cur Ecclesia in mortis periculo omnibus Sacerdotibus absolvendi potestatem tribuat. Quam resolutionem tuetur etiam Cœlestinus in suo compend. theol. mor. tract. 1. cap. 13. qu. 1. Thom. del Bene loc. cit. num. 7.

An ab omnibus omninò censuris possit simplex Sacerdos in articulo, seu periculo mortis Pænitentem absolvere.

RESOLUTIO LXXXIII.

Affirmat Ugolinus de censur. tab. 1. cap. 4. §. 1. num 2. cui subscribit Mazuchellus de cas. reser. disp. 1. quẹst. 3. diff. 35. num. 135. & adhẹret Caspensis to. 2. tract. 25. disp. 2. sect. 13. num. 139. apud Bassæum v. excommunicatio 5. num. 7. vers. Adverte secundò: asserentes quemlibet sacerdotem posse in tali casu absolvere ab omnibus censuris non solùm excommunicationis, vel interdicti personalis; sed etiam suspensionis, ab ordine officio, & beneficio, imò ab irregularitate. Quorum ratio est quia Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. absolutè ait, à quibusvis peccatis, & censuris: quæ verba cùm sint generalia, & universalia, nec ullam exceptionem faciant, inde est, ut omnes comprehendant: Nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Cẹterùm communior, & probabilior est sententia contraria, nempè censuras, à quibus quilibet Sacerdos potest in articulo mortis absolvere, tantùm eas esse, quæ Sacramentorum susceptionem, & Ecclesiasticam sepulturam impediunt, cujusmodi sunt excommunicatio, personale interdictum, suspensio

sio à receptione Sacramentorum, & ecclesiastica sepultura, non autem suspensio ab ordine, officio, vel beneficio, & multò minùs irregularitas: Quia licèt Concil. Trident. expressis verbis nullam limitationem faciat; at ratio ab ipso Concilio allata, videlicèt, ne hac occasione aliquis pereat, apertè hanc limitationem designat. Et propterea dari potest resolutio, quòd jurisdictio simplici Sacerdoti concessa, ut possit in articulo mortis absolvere, se extendat tantùm ad eas censuras, quæ Sacramentis ab ægro recipiendis, & Ecclesiasticæ sepulturæ obstant, non autem ad dispensandum super votis, vel irregularitatibus, aut juramentis: Siquidem ea, cùm non sint peccata, aditum ad Cœlum non impediunt, neque salutis viam præcludunt. Ita Sanchez lib. 2. moral. cap. 13. num. 12. Layman lib. 5. tr. 6. cap. 12. num. 13. Zambranus cap. 4. dub. 4. num. 17. Finellius de cas. res. cap. 8. nu. 14. Bassæus v. excomm. 5. num. 7. versic. adverte secundò. Card. de Lugo disp. 20. de pœnit. sect. 10. num. 203. & alii passim.

An simplex Sacerdos aliquando possit extra confessionem à censuris absolvere in articulo mortis constitutum.

RESOLUTIO LXXXIV.

Responsio est affirmativa, innodatum scilicèt aliqua censura, si morti sit proximus, & ob phrenesim confiteri, vel signa doloris ostendere non valeat, posse nihilominùs à tali censura per simplicem Sacerdotem absolvi ad effectum, ut in loco sacro sepeliri possit. Quia licèt Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. videatur cuicumque Sacerdoti concessisse facultatem absolvendi à censuris, eò quòd absolutio à censuris sæpènumero sit necessaria ad absolutionem à peccatis; cùm censuris innodatus ex præcepto Ecclesię non possit accedere ad Sacramentum pœnitentiæ, antequàm à censuris absolvatur. Tamen cùm absolutè, & sine dependentia à Sacramento pęnitentię eam concesserit, inde est, ut cuilibet Sacerdoti integrum sit in casu proposito moriturum à censuris absolvere, etiamsi à peccatis, ob carentiam rationis, & defectum debiti doloris, eum absolvere non possit: Nam censura etsi culpam supponat, in se tamen culpa non est, sed pœna, & ut pœna ex natura sua non petit tolli in sacramentali confessione. Ita Navar. in man. cap. 27. num. 272. Sanch. lib. 2. moral. cap. 13. nu. 12. Suar. de cens. disp. 7. sect. 6. num. 7. Joseph de Januar. de cas. reser. resol. 13. num. 4. Mazuch. disp. 1. q. 3. diff. 36. num. 136. qui addit, absolutionem à censuris in tali casu amenti prodesse ad recipiendum extremę unctionis Sacramentum; Quando verò id verum sit, cùm ipse non explicet, hìc à nobis est exponendum.

An homini phrenetico, eo ipso, quòd in articulo mortis per simplicem Sacerdotem à censuris extra Sacramentum Pœnitentiæ fuit absolutus, administrari debeat extrema unctio.

RESOLUTIO LXXXV.

Ita videtur sentire Ugol. de cens. res. par. 3. cap. 2. §. 2. num. 2. Cui adhæret Mazuch. disp. 1. q. 3. diff. 36. num. 136. in fine qui docent, absolutionem in proposito casu impendi posse à censuris, etiamsi absolutio à peccatis conferri non possit, eamque amenti prodesse ad recipienda alia Sacramenta, ut extremam Unctionem ad hoc, ut in loco sacro sepeliri possit.

Cœterùm mihi distinctio videtur adhibenda: Nam vel publicè ignoratur hominem illum, antequam in phrenesim inciderit, mortaliter peccasse, aut in excommunicationem incidisse; vel notorium est, eum mortali culpa, aut excommunicationis censura innodatum esse. Si primùm, fateor homini phrenetico extremam Unctionem, imò etiam sanctam Eucharistiam, si in raro casu capax videretur, administrandam esse, præmissa ad cautelam absolutione à censuris: Et in hoc casu intelligenda est Ugolini, & Mazuchelli sententia: Quia phreneticus in articulo mortis ordinariè

ita

ita se habet, ac si publicè Sacramenta exeuntium peteret: Peccatori autem occulto publicè petenti, Sacramenta ministrari debent, cùm Sacerdos tanquam ex officio administrans publicam personam gerat, ideòque secundum publicam, non privatam notitiam procedere debeat: Quod maximè verùm est, si aliòquin ex negatione subesset scandalum, vel infamiæ periculum. Ita docent Sot. in 4. dist 12. quęst. 1. art. 6. Zambr. cap. 5. dub. 2. num. 8. Suar. tom. 4. disp. 41. sect. 1. num. 10. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 4. num. 4.

Si verò notorium sit, hominem, antequàm in amentiam inciderit, in statu peccati mortalis, aut in excommunicatione extitisse, tunc extrema unctio ipsi danda non est: quia semel malus semper præsumitur malus, nisi constet de emendatione, quę eo casu demonstrari debet, non præsumi. Quare si certum sit, moriturum peccato mortali, vel excommunicatione obstrictum fuisse, nisi postea judicium aliquod appareat mutatæ voluntatis, præsumitur in eodem statu permanere: & consequenter inungi non debet, nihil suffragante absolutione à censuris extra Sacramentum collata. Ita Sylv. *v. unctio* q. 5. Tolet. lib. 7. cap. 3. Zambr. cit. dub. 2. num. 5. Suar. & Laym. ll. cc.

Adverte tamen pro praxi, quòd si in utroque casu supra relato aliquibus conjecturis, vel saltem unius hominis testimonio probetur, moriturum, antequàm in amentiam incideret, aliqua pietatis, vel pœnitentiæ signa ostendisse, ut si ad Ecclesiam venerit, vel domi oraverit, aut post commissum peccatum à Deo veniam petere consuevisset, ideòque probabiliter præsumatur fuisse attritus, etsi modò confiteri, vel dolorem ostendere non possit; quia phreneticus est, poterit ei administrans extremam Unctionem, (præmissâ absolutione à censuris) & sepulturam Ecclesiasticam conferre: Tùm quia hoc Sacramentum in eum etiam finem specialiter à Christo institutum est, ut tollat, si quæ reliqua manserunt peccata, pro quibus aliud remedium non suppetit: Tùm quia in dubio inclinandum est in favorem animæ. Ita Suar. cit disp. 41. sect. 1. num. 19. & disp. 42. sect. 2. in fine ConincK de Sacram. disp. 19. n. 19. & 20. Laym. cit. lib. 5. tract. 8. cap. 5. nu. 2. Chapeau. de modo minist. Sacram. tempore pestis cap. 1. q. 1. *v. sextò*. Henriqu. lib. 3. cap. 10. num. 2. Dian. par. 5. tract. 6. resol. 11.

An Clericus, deficiente Sacerdote, & Laicus, deficiente Clerico, possit in articulo mortis à censuris absolvere.

RESOLUTIO LXXXVI.

Affirmant non pauci, neque infimæ notæ Doctores, ut Abb. in capit. à nobis 2. de sent. Excomm. Sylv. verb. absolut. 1. num. 8. Armill. ibid. nu. 39. Avila de cens. par. 2. c. 7. disp. 1. dub. 3. Ledesma tom. 1. de excomm. cap. 8. dub. 4. Sanch. in select. disp. 44. num. 7. Valer. verb. absol. diff. 13. & alii apud Sanch. lib. 2. mor. c. 13. num. 13. asserentes, absolutionem sic collatam valere, idque in usum deducere, nihil obesse, sed potiùs prodesse tàm ad sepeliendum defunctum in loco sacro, quàm ut publica Ecclesiæ suffragia ei applicentur. Plerique tamen monent, expediens esse, ut absolutus eo casu à non Sacerdote post mortem iterum absolvatur ab eo, vel de facultate illius, cui excommunicatio erat reservata: ut si fortè absolutio à Clerico, vel laico fuisset invalidè collata, suppleatur defectus, saltem quòad publicas preces, & suffragia, ut ea scilicèt excommunicato applicata prodesse possint. Vide Sanchez cit. num. 13.

Verùm opposita sententia est omninò certa, & sustinenda, neminem scilicèt qui non sit Sacerdos, posse etiam in articulo mortis à censuris absolvere; Tùm quia finis, ob quem facultas absolvendi à censuris in articulo mortis conceditur, est, ut moriturus absolutionem à peccatis, & reliqua exeuntium Sacramenta recipere possit. Atqui nemo, qui non sit Sacerdos, potest constitutum in articulo mortis à peccatis absolvere, aut Eucharistiam, vel extremam Unctionem mini-

ſtrare: Ergo neque abſolutionem à cenſuris impendere: Tùm quia, etſi Eccleſia hujuſmodi facultatem cuicumque Clerico, imò etiam cuicumque laico, etiam excommunicato, & hæretico committere poſſit, ſicuti ex communi docent Sayr. de cenſ. lib.1.c.5. Filliuc. tract. 11. c.10. q. 5. tamen de facto nunquam commiſit: Id enim nullo jure, vel conſuetudine Eccleſię oſtendi poteſt.

His addendum, quod ad majorem cenſuræ ęſtimationem pertinet, ut nullus, niſi charactere Sacerdotali decoratus, abſque ſpeciali privilegio, cenſurę vinculo innodatum valeat abſolvere, eò vel maximè, quòd rarò accidit, ut Sacerdos deſit, qui excommunicatum abſolvat. Quòd ſi etiam aliquando aliter contingat poterit moriturus per contritionis actum peccatorum veniam obtinere, poſt mortem verò per Sacerdotem à cenſuris abſolvi, ad effectum ſaltem, ut poſſit in loco ſacro ſepeliri, ſuffragiorumque Eccleſię capax effici. Ita Navar. in man. c. 26. n. 26. & c.27. nu.272. Sot. diſt.18. qu.4. art.4. Covarr. in cap.alma p.1.§.11. n.9. Suar. de cenſ. diſp.7.ſect.7. n.3.& 6 Sanch. cit.lib. 2. mor. cap.13. num.13.ConincK diſp.14. dub.16. n.236. Filliuc.cit. q. 5. Bonac. de cenſ. diſp.1. q.3. punct.3. n. 1.

Neque obſtat exemplum, quod Gloſſ. *in cap. Paſtoralis §. præterea de offic. ordin.* refert ex S. Auguſtino: quòd cùm fidelis quidam, qui ex numero pœnitentium erat ſimul cum infidelibus navi veheretur, accidit, ut unus illorum à pęnitente baptiſmum peteret, quo ipſi collato, viciſſim pęnitens à nuper baptizato reconciliationem petiit, & obtinuit.

Reſp. enim ex D. Ambroſio de vera, & falſa pęnit. cap. Quem pęnitens diſt.1. de pęnit. reconciliationem illam non fuiſſe veram abſolutionem à cenſuris, & multò minùs à peccatis, ſed fuiſſe deprecatoriam orationem hominis, qui jam membrum Eccleſię per baptiſmum erat effectus; ut ſcilicèt Deus, qui intuetur cor, pęnitenti etiam ſine miniſterio ſacerdotis reconciliationem tribueret.

Sacerdos ſimplex jam cœpit audire Pœnitentem in proximo mortis periculo conſtitutum, ſi interim ſuperveniat Parochus, vel approbatus, an teneatur illi cedere locum.

RESOLUTIO LXXXVII.

Reſponſio eſt negativa, nempe Sacerdotem ſimplicem non teneri ab incœpto deſiſtere, ſed poſſe inchoatam confeſſionem perficere, pęnitentiq; in articulo mortis conſtituto, abſolutionem impendere. Et ratio eſt, quia juriſdictio, delegata non ceſſat per ſupervenientem caſum, ſi res non ſit integra, ſed jam executioni mandata, quamvis non abſoluta, ut patet ex cap. relatum de offic. delegat. Quæ regula licèt loquatur de juriſdictione in foro interno, habet tamen locum etiam in foro externo, ſicut ex communi teſtatur Sanch. lib.2. moral. cap.13. num.15. Atqui hoc ipſum accidit in propoſito caſu: Nam Sacerdos ſimplex legitimè jam cępit uti juriſdictione in articulo mortis ſibi conceſſa: Ideòque res ampliùs non eſt integra, ſed executioni mandata, quamvis non abſoluta: Ergo per Parochi, vel approbati adventum non cenſetur ceſſare, & conſequenter poterit cœptam confeſſionem perficere.

Accedit quòd ſi contrarium ſuſtineretur, id cederet in graviſſimum onus ægrotantis, ſi ſupervenienti Parocho, vel approbato teneretur rursùs confiteri. Ita Sanchez loc. cit. Zambran. cap. 4. dubio 5. num.4. Cardin. de Lugo diſp. 18. de pœnit. ſect.2. num.33. Henriquez lib. 6. de pœnitent. cap.11. num. 8. Tho. Del Bene de Offic. ſanctę Inquiſ. p. 1. dubit.54. n.1.

Et hæc reſolutio procedit, etiamſi pęnitens caſibus reſervatis eſſet obſtrictus, adhuc enim, ſuperveniente ſuperiore, vel Confeſſario habente privilegium abſolvendi à reſervatis, non teneretur ab incepto juriſdictionis actu deſiſtere: militat enim eadem ratio. Vide Suarez de pęnit. diſp. 30. ſect.3. num. 5. & Henriq. cit. lib.6. cap.10. num.1. contra

Tho.

Tho. Del Bene loc. cit. num. 7. qui pro se citat Navar.& Vasquez. Quid autem, si æger censura reservata innodatus existeret, mox dicam.

Sacerdos simplex, sive expositus jam cœpit audire Pœnitentem censura reservata innodatum, in articulo mortis constitutum: Interim ante absolutionem supervenit Superior, vel habens facultatem absolvendi à censuris: Utrum pergere possit, Pœnitentemque à tali censura absolvere.

RESOLUTIO LXXXVIII.

AFfirmativè respondet Bossius in suis discept. moral. discept.2. dub. 8. n. 80. quem citat, & sequitur Mazuchellus disput.1. quæst.3. differ.41. num. 165. Quorum ratio est, quia facultas absolvendi à peccatis non cessat per adventum legitimi Confessarii, ut præcedenti dubio resolutum fuit: Ergo nec facultas absolvendi à censura, cujus relaxatio præcedere debet absolutionem à peccatis.

Verùm rationi magis consona videtur opinio contraria, quæ docet in tali casu priùs pœnitentem absolvendum esse per superiorem à censura, antequàm per simplicem Sacerdotem absolvatur à peccatis. Et ratio est, quia inferior, si absolvat à censuris reservatis constitutum in articulo mortis, tenetur illi imponere, ut quàm primùm commodè potest, legitimo Superiori se præsentet: Ergo si ante absolutionem superveniat Superior, & pęnitens commodè possit se illi præsentare, Superiorque paratus sit eum absolvere, priùs per ipsum à censura absolvendus erit, eò vel maximè, quòd id in gravamen pęnitentis non cedit, quippe qui eo casu non cogitur rursùs confessionem peccatorum instituere, sed tantùm relaxationem censurę à superiore petere, qua obtenta, poterit deinde à peccatis per Sacerdotem, cui cęperat confiteri, absolutionem recipere. Ita Sanchez lib.2. moral. cap.13. numer. 15. Henriquez lib. 6. cap.11. num. 8. Card. de Lugo disp.18. de pęnit. sect.2.nu.33. Bonac.de censur.disp. 1.q.3. punct.3. num.3. Tho.Del Bene dubit.64. n.5.& 6.

Addo ex Sanchez, Bonacin. Del Bene ll. cc. Quòd, si nolit superior absolutionem à censura ægroto impendere, nisi, cępta intermissa, aliam cum ipso confessionem peccatorum instituat, is illi parere non tenetur: Quia sicuti eo casu in Sacerdote inferiori per adventum superioris non cessat absolvendi à peccatis sibi concessa facultas, ut præcedenti quæstione resolutum fuit, ita neque in pęnitente extremè ægrotante, sibi concessum privilegium perficiendi apud eumdem Sacerdotem peccatorum confessionem cessare debet.

Illud verò certum esse debet, si Superior, vel habens privilegium absolvendi à censuris superveniat, nondum ab ægroto inchoata confessione apud simplicem, vel expositum Sacerdotem, quòd is nullo modo possit pęnitentem audire, cùm cesset necessitas illum audiendi, & consequenter etiam jurisdictio absolvendi. Quod à fortiori ex data resolutione deducitur.

Utrum autem idem statuendum, si casibus reservatis pęnitens sit obstrictus, patet ex supradictis resolutione 76. & mox dicendis.

An Confessarius simplex, præsente Superiore, vel facultatem absolvendi à reservatis habente, possit Pœnitentem casibus reservatis obstrictum, in articulo mortis constitutum, absolvere.

RESOLUTIO LXXXIX.

AFfirmativam sustinet Henriquez lib.6. de pęnit. capit.10. numer. 1. Sà v. absolutio. num. 3. quibus subscribit Dian. p.4. tract.4. resol.161. Quorum ratio est, quia Concil. Trident. sess. 14. c. 7. absque ulla limitatione dicit in articulo mortis nullam esse reservationem: Ergo

Ergo liberum erit cuicumque exposito Confessario in tali casu pœnitentem absolvere: Tùm quia facultas Confessariis inferioribus concessa absolvendi à reservatis extra articulum mortis est veluti privilegium quoddam (ajunt isti) quo pœnitens non tenetur uti: Ergo si pœnitens non cogitur privilegiato confiteri, nec inferior impeditur, quin possit eo casu pœnitentem à reservatis absolvere.

His tamen non obstantibus, difficultas resolvitur in contrarium, nempè Superiorem, vel privilegio munitum in proposito casu præferendum esse Confessario simplici; proindeque iis præsentibus, vel si facilè advocari possint, inferiorem à reservatis absolvere non posse. Rationem supra assignavi resolutione 75. quia potestas absolvendi à quibuscumque peccatis in articulo mortis Sacerdoti simplici, vel exposito conceditur tantùm jure extraordinario ratione necessitatis, quæ necessitas cessare censetur, quoties adsit, vel facilè aduocari possit Confessarius, qui jure ordinario, vel ex privilegio à reservatis absolvere valeat. Siquidem medio privilegio, cessat necessitatis articulus, quo cessante, cessat etiam extraordinaria illa potestas, & consequenter non potest pœnitens à reservatis per simplicem Confessarium absolui.

Prӕterea sicut Sacerdoti simplici præferri debet in articulo mortis Sacerdos expositus, seu jurisdictione præditus, ut resolutum fuit supra cit. dubio 75. ita Sacerdoti inferiori, vel exposito in eodem articulo præferendus est Superior, vel ab ipso delegatus, quòad peccata Episcopo reservata; ita ut nedum si illi sint prӕsentes, sed etiam si facilè aduocari possint, aut licentia à superiore obtineri queat, inferiori absolvere non liceat, sicuti resolutum fuit supra dubio 76. Neque hoc est uti privilegio, sed pӕnitentem teneri reservata confiteri illi, qui potest à reservatis absolvere, nisi secùs exigat necessitas, quæ cessat in casu nostro. Ita Navar. in man. cap. 26. num. 26. dub. 4. Sanchez lib. 2. moral. cap. 13. n. 7. & 11. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 12. n. 14. Vasquez de pœnit. quæst. 3. art. 1. dub. 4. num. 18. Card. de Lugo disp. 28. de pӕnit. sect. 2. num. 34. Suarez de fide disp. 21. sect. 4 num. 24. & disp. 30. de pœnit. sect. 3. num. 1. ubi ita loquitur. *Quamvis enim* Trident. Concil. *dixerit in articulo mortis nullam esse reservationem, id tamen intelligendum est in absentia reservantis: quia aliàs nulla est vera necessitas, ob quam alii Sacerdotes censeantur jurisdictionem consequi, quæ illis, per se loquendo, ablata fuerat.* Ex quo patet gravissimum hunc Doctorem non benè citari pro sententia contraria à Mazuchello disp. 1. q. 3. differ. 40. num. 147.

Hanc tamen resolutionem intellige, nisi alia sit consuetudo Diœcesis, ut videlicet omnes expositi Sacerdotes ab omnibus casibus reservatis in articulo mortis absolvant sine recursu ad Episcopum: Qualis consuetudo facilè introduci potest in Diœcesibus amplis, in quibus Episcopus multùm distat. Enim verò, tametsi hæc fuerit ratio introducendæ consuetudinis, postea tamen, sciente, & non reclamante Episcopo, extendi ea potuit, ut tametsi Episcopus in civitate existat; non requiratur ejus licentia ad absolvendos morituros à casibus reservatis. Et ita obtinere usum (cujus memoria non extat) hujus Patriarcalis Ecclesiæ Venetiarum, testis omni exceptione major fuit mihi Doctissimus Dominus meus Jo: Baptista Faber, Collegiatæ D. Lucӕ ejusdem Inclytӕ Urbis Plebanus, in Officina Pallad is verè egregius Faber, qui universæ sapientiӕ decora sibi fabricavit. Vide etiam Layman loco citato.

Quid præstare debeat Confessarius simplex, antequàm Pœnitentem absolvat, censuris reservatis obstrictum, in articulo mortis constitutum.

RESOLUTIO XC.

In absolutione à censuris reservatis in articulo mortis tres conditiones regulariter sunt servandæ. Prima est, ut pœ-

pœnitenti imponatur obligatio comparendi coram superiore, cui reservata erat absolutio à tali censura. Secunda, ut satisfaciat lęsæ parti. Tertia, ut præstet juramentum de obediendo mandatis Ecclesiæ. Ita decernitur in cap. *eos, qui de sentent. excommun. in 6.* & docent Doctores communiter Abb. ibid. num. 25. Sanchez, ConincK, Bonacin. infra citandi.

Confessarius igitur in primis antequàm pœnitentem censura reservata innodatum absoluat, ab eo extorquere debet, si fieri potest, juramentum, quòd scilicet sublato impedimento non perpetuo se præsentabit coram Superiore; à quo jure ordinario à tali censura absolvendus erat. Insuper monendus ab ipso est, quòd si cum primùm commodè poterit, superiorem adire contempserit, in eamdem censuram ipso jure reincidet. Quòd maximè procedit in absolutione in mortis articulo à censura in Bulla Cœnę contenta. Quod juramentum ab ipsis etiam mulieribus est exigendum, teste Sylvest. v. *absolutio* 3. §. 3.

Finis autem hujus præsentationis non est, ut iterùm pœnitens absolvatur à superiore, quia verè, & plenè jam fuit absolutus, uti constat ex cap. *non dubium de sententia excommun.* Neque est, ut satisfaciat parti lęsæ, quia forsan nulla pars est, cui satisfactio sit exhibenda, ut contingere potest in casu hæresis occultæ; Sed finis est, ut superiori, cui censura illa erat reservata, se subiectum ostendat, videatque, an salutarem pœnitentiam Confessarius delegatus imposuerit, sufficientemque medicinam applicuerit, isque majorem, si sic expediens judicaverit, imponat. Ita Suarez de pœnitentia disput. 30. sect. 1. num. 6. Sanchez lib. 2. moral. c. 13. num. 27. Franc. Leo in thesaur. fori Eccl. par. 3. cap. 38. numer. 163. Bonacina de censuris disput. 1. quęst. 3. punct. 3. num. 13. ConincK de censuris disputat. 14. dub. 16. num. 241. Barbosa in collect. tomo 2. libro 5. art. 39. cap. 11. numer. 5.

Hinc clarè deducitur, non liberari ab hoc onere comparendi pœnitentem, quamvis parti lęsæ jam satisfecerit, aut eum ea se composuerit. Siquidem satisfactio partis lęsæ non est finis adæquatus hujus præsentationis. Aliàs exigendum non esset juramentum in censuris reservatis, ubi nulla satisfactio partis intervenit. Sicuti rectè docent Covarr. cap. *alma* 1. §. 11. num. 13. Sanchez loco citato nu. 18. Bonacina loco citato num. 12. Suarez cit. disput. 30. sect. 2. contra Navar. Avilam, Henriquez, Gambar. qui minùs rectè putant, pœnitentem liberum esse ab hoc juramento pręstando, quoties parti lęsæ jam satisfecerit, & similiter ab onere comparendi, quoties post pręstitum juramentum satisfactionem exhibuerit.

Addo ex Sanchez, Suarez, Bonacina locis citatis, absolutum in hoc casu non esse cogendum, ut necessariò recurrat ad summum Pontificem reservantem, sed sufficere si adeat Episcopum, vel Inquisitorem in casu hęresis, vel alium, qui ex privilegio, aut Jubileo absolvendi facultatem habeat, ab eoque rursùs absolvatur. Quia prior absolutio à simplici Confessario in articulo mortis obtenta non impedit, quin pœnitens novam absolutionem absolutam recipiat ab eo, qui illam absolutè impedire potest: quod etiam supra dixi Resolut. 79.

Secunda conditio est, ut si pœnitens teneatur satisfactionem pecuniariam parti lęsæ pręstare, Confessarius eum non absolvat, nisi debita satisfactione pręmissa. Quòd si ea tunc commodè fieri non possit; debet pęnitens præstare cautionem pignoratitiam; quia pignus stat loco solutionis. Si non potest dare pignus præstare debet cautionem fidejussoriam: Si verò hæc sit difficilis, eò quòd non inveniatur, vel periculum subsit, ne delictum publicetur, præstanda est cautio juratoria. Ita decernitur in supra relato capite *eos, qui de sentent. excommun. in 6.* & docent Abb. Sanchez, Leo, Bonac. ConincK loco supra cit. quibus subscribit Bassæus in floribus *v. excomm.* 5. num. 7. versic. *adverte primò*. Qui cautionis ordo servandus est saltem in delictis Bullæ Cœnæ, & similibus: In aliis verò sufficere promissionem satisfaciendi, docet Thom. Del Bene de Offic.

Officii sanctę Inquis. par. 1. dubit. 66. sect. 2. num. 4.

Quod si debitum non sit pecuniarium, sed honoris, vel doctrinæ, tunc non tenetur pœnitens præstare cautionem pignoratitiam, vel fidejussoriam; sed sufficit, si juramento spondeat se restituturum, cùm primùm poterit, læsum honorem, vel deceptum ad sanam doctrinam reducturum. Suarez de cens. disput. 21. sect. 3 numer. 1. Sanchez lib. 2. moral. cap. 13. num. 23. Thom. Del Bene cit.

Tertia conditio est, ut pęnitens æger ante absolutionem à reservata censura præstet juramentum de obediendo mandatis Ecclesię.

Sed quęres, ad quid obligetur pęnitens hoc juramenti vinculo, de obediendo mandatis Ecclesię?

Resp. Obligatur, obedire mandatis ejus Confessarii, à quo absolvitur: quia cùm absoluens nomine Ecclesię absolutionem impendat, pręstare juramentum obediendi Confessarii mandatis, idem est ac præstare juramentum obediendi mandatis Ecclesię, teste Sanchez cit. cap. 13. num. 20.

Cęterùm Confessarius sub hujusmodi juramenti vinculo nihil aliud pœnitenti mandare potest, quàm abstinentiam in posterum ab eo crimine, ob quod in excommunicationem incidit. Quare jurat pęnitens se non commissurum iterum tale crimen, posito, quòd Confessarius sic ipsi mandaverit. cap. *de cætero, de sentent. excommunic.* & passim tradunt Doctores, quos citat, & sequitur Suarez de censuris disp. 19. sect. 2. num. 10. Sanchez loc. cit. num. 17.

Advertat tamen prudens Confessarius, quòd juramentum hujusmodi non est exigendum in omnibus excommunicationibus reservatis, sed solùm in excommunicationibus graviorum criminum, qualia sunt, quæ in Bulla Cœnę continentur: item crimen incendiariorum, notoria Clerici percussio, & similia, sicuti constat ex citato capite *de cætero*: ubi hoc juramentum expostulatur. Vide Suarez, Sanchez, Bonacina locis citatis.

Dixi, in excommunicatione graviorum criminum, quia in absolutione à delictis reservatis tantùm, quibus non est adnexa censura, nullum est imponendum comparendi onus.

Neque ignorare debet Sacerdos absolvens, juramentum etiam de comparendo coram Reservante exigendum esse ab absolvendo, sit sit capax, secus si incapax, eò quòd sensibus sit destitutus, vel defectu ętatis, qua ratione ab impubere delinquente, non exigitur tale juramentum: Quia non pręsumitur eo rationis usu pollere, ut juramentum hujusmodi pro dignitate possit præstare. Sayrus de cens. to. 1. lib. 2. cap. 18. nu. 3. Sanchez cit. cap. 13. n. 26. Bonac. de censur. disp. 1. q. 3. punct. 3. num. 11.

Idem servandum est cum eo, qui detinetur impedimento, non ad tempus, sed perpetuo: huic enim obligatio comparendi non est imponenda, cùm sit impossibilis, nullus autem obligatur ad impossibile. Sanchez loco cit. nu. 30. Suarez de censuris disp. 22. sect. 1. Bonacina loco citato.

Quid autem, si Confessarius in absolutione à censuris reservatis supradictas tres conditiones omitteret, in sequenti expendetur.

Confessarius simplex ex oblivione, ignorantia, vel malitia Pœnitentem in articulo mortis à censuris reservatis absolvit, intermissis conditionibus, jure præscriptis: Vtrum absolutio hujusmodi valida sit censenda.

RESOLUTIO XCI.

Communis responsio est affirmativa, nimirùm si Confessarius, quando dari potest cautio tùm satisfaciendi lęsæ parti, tùm se præsentandi coram Reservante, eam per oblivionem, vel per ignorantiam, aut per malitiam petere intermittat absolutionem; tamen eo casu impensam validam, & firmam existere. Ita Suarez de censuris disp. 21. sect. 3. nu. 1. Sanchez lib. 2. moral. cap. 13. num. 34. & 35. Ubi addit idem precedere etiam in excommunicationibus Bullę Cœnę, imò

imò & in absolutione extra articulum mortis, si adsit facultas absolvendi. Unde quamvis ejusmodi absolutio sit illicita, cùm secundùm formam juris solitam illæ cautiones, ac conditiones requirantur; quia tamen dispositio juris non inducit conditionem, irritantem actum aliter factum: idcircò (ait Sanchez) valida, & firma censeri debet, nisi aliter aliquando exprimatur. Ita præter citatos Doctores Henriquez libro sexto de pœnitentia, capite vigesimo. Bassæus in floribus *v. casus reservatus*, numero trigesimo primo in fine.

Non displicet tamen distinctio, quam adhibent graves Doctores, quibus novissimè subscribit Thomas Del Bene de Officio Sanctæ Inquisitionis parte prima, dubitatione sexagesima sexta, sectione secunda, numero sexto: quòd absolutio absque ulla cautione, potissimùm verò non satisfacta parte, ab eo data, qui facultatem ordinariam habet absolvendi à tali censura, non licita quidem (utpotè contra juris ordinem, ac dispositionem collata) valida tamen sit existimanda. Absolutio verò ab eo collata, qui potestatem tantùm habet delegatam, ut in casu proposito, nec licita, nec valida sit reputanda, quoties constitutus in eo articulo nulla excusetur impotentia.

An absolutus in articulo mortis à censura reservata per inferiorem Confessarium sine onere comparendi coram legitimo Superiore, teneatur adhuc, sublato impedimento, se præsentare sub eadem reincidentiæ pœna.

RESOLUTIO XCII.

Affirmativè respondet Vasquez de excommunicatione libro decimo octavo numero quarto. Henriquez libro sexto de pœnitentia, capite decimo, numero decimoquinto: quibus subscribit Mazuchellus de cas. reserv. disput. 1. q. 3. diffic. 54. numer. 178. asserentes pœnitentem in proposito casu remanere obligatum ad se præsentandum, & si non se præsentet, cùm primùm commodè potest, in eamdem censuram reincidere. Et rationem assignant, quia obligatio hæc comparendi non à Confessarii voluntate, sed à dispositione juris Ecclesiastici dependet: Ergo ex oblivione, vel malitia Confessarii cessare non debet.

Sed hæc ratio non convincit: Quia respondere quis posset, quòd jus eam obligationem non imponit, nisi quatenùs Confessarius, medio exacto juramento, imponit. Alias supervacaneum esset juramentum exigere, si illo secluso, adhuc obligatio comparendi consurgeret. Quapropter rectiùs alii censent, non ex vi juramenti, sed ex jure, seu statuto Ecclesiastico eam obligationem provenire. Quod satis colligunt *ex textu in cap. eos, qui de sentent. excommun.* ubi nulla fit mentio de postulatione juramenti, sed tantùm præcipitur præsentatio. Ita Tho. Del Bene *de Offic. S. Inquis.* par. 1. dubit. 67. n. 4.

Cæterùm quidquid sit de hac comparendi obligatione, quòad reincidentiæ pœnam ex præceptæ præsentationis omissione, distinctio videtur adhibenda. Nam vel pœnitens laborat ignorantia invincibili, quia ipse nescit, nec ab aliquo monitus est, ex eo scilicèt, quòd in articulo mortis absolutus fuit ab eo, à quo de jure alias absolvi non poterat, se teneri ad comparendum coram legitimo Superiore, & tunc quandiù durat ignorantia, tandiu excusatur à reincidentia. Quia ad hanc reincidentiam prærequiritur novum contumaciæ peccatum, sicuti docent Covarr. & Sayrus infra citandi. Qui autem ignorat non potest dici contumax: Ergo si hanc præsentationem absque sua culpa, & contumacia intermittat, vel differat, reipsa in censuram non reincidet. Ita desumitur *ex cap. veniens 2. de testibus & cap. Apostolicæ de exceptio*, & docent Covarr. *in cap. alma* par. 1. §. 11. num. 6. Sayrus *de censur.* lib. 1. cap. 16. num. 8. Gyptius de cas. reser. cap. 1. num. 71. Avila par. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 14. Layman lib. 1. tract. 5. par. 1. c. 7. num. 4.

Si verò pœnitens obligationem se pre-

præsentandi sub pœna reincidentiæ non ignoret, vel de tali onere, postquàm convaluit monitus fuit, ideòque culpabiliter, ac contumaciter intermittat, vel differat se præsentare, tunc profectò in eamdem censuram reincidet: Nam oblivio, ignorantia, vel malitia Confessarii, aut urgens mortis periculum non eximunt pęnitentem ab onere præsentationis, & consequenter nec à reincidentiæ pęna, non comparenti imposita. Ita præter citatos Doctores, Sanchez lib.2. mor. cap.13. num. 35. Henriq. lib.13. cap.20. num.2. lit. V. Bass. *v.censura* num.24.

Dixi in eamdem censuram, non numero: quia eadem numero redire non potest cùm effectus semel corruptus naturaliter reviviscere non possit; sed est eadem specie, quia æque ac prior ex juris dispositione est reservata. Vide Navarr. in manuali cap 27. num.177. Suarez *de censur.* disput.21. sect.1. num. 62. Sanchez loco citato numer. 28. Ubi notat, quòd tripliciter quis absolvi potest à censura. Primò absolutè, nullo imposito onere satisfaciendi, vel superiori se præsentandi. Secundò imposito onere se præsentandi superiori sub pęna alicujus censuræ similis pręteritæ. Quæ absolutio dicitur ad reincidentiam quia ille reincidit in excommunicationem similem præteritæ, si cùm commodè possit, se præsentare intermittat. Nunquam tamen in hanc similem censuram quis reincidet sine nova lethali culpa, novaque contumacia, sicuti supradictum est. Tertiò quis absolvi potest à censura non perfectè, sed imperfectè, nempè ad aliquem effectum, v. gr. ad testandi Beneficium obtinendum, quæ propriè non est absolutio, sed suspensio alicujus effectus censurę. Quę suspensio effectus, manente censura, solùm fieri potest à Summo Pontifice, teste Suarez, & Sanchez locis citatis.

Quid autem si pęnitens haberet impedimentum perpetuum, sequens resolutio statuet.

Confessarius à Pęnitente impedimentum perpetuum habente, antequàm à censuris reservatis eum absolvat ex ignorantia juramentum se præsentandi legitimo Superiori extorquet. Quæritur, an teneatur se præsentare.

RESOLUTIO XCIII.

Resolutio difficultatis est negativa, quia sicut ex dispositione juris Ecclesiastici onus comparendi coram legitimo Superiore non est imponendum pęnitenti à censuris reservatis in necessitate absoluto, quando laborat impedimento perpetuo, ita nec illi, qui à simili censura absolvitur, in articulo mortis constitutus, si perpetuo similiter impedimento detineatur. Esset enim obligare ad impossibile. Quòd si Confessarius à laborante perpetuo impedimento per ignorantiam juramentum de comparendo extorqueat, nullam obligationem inducet. Nam juramentum sortitur naturam actus, cui adiicitur, estque in hoc casu accessorium ad dispositionem juris Ecclesiastici de se præsentando. Atqui lex Ecclesiastica in tali casu non obligat perpetuum impedimentum habentem: Ergo nec extortum juramentum: Et proinde non tenetur ad se præsentandum.

Confirmatur, quia pęnitens in proposito casu ad illud tantùm onus juramenti vinculo intendit se obstringere, ad quod intendit Confessarius rursùs Confessarius ad illud tantùm onus censetur velle pęnitentem obstringere, ad quod jus Ecclesiasticum falsò putavit obligare: Ergo si jus in tali casu ad se pręsentandum non obliget, neque Confessarius obligabit: cùm obligatio Confessarii dependeat ab obligatione juris: sicque pęnitens non manebit obligatus. Ita Suarez de censur. disp.22. sect.1. num.83. Sanch. lib.2. moral. cap.13. num.30. qui addit id verum esse, etiamsi pęnitens perpetuo impedimento laborans, illo miraculosè postmodùm liberaretur: Nam adhuc non teneretur coram superiore comparere: quia non firmatur tractu temporis, quod

de

de jure ab initio nullum fuit, ut habet *regula juris:* Atqui obligatio se præsentandi tempore absolutionis ob impedimentum perpetuum nulla fuit: Ergo non firmabitur, etiamsi postea miraculosè liberetur. Vide etiam Bonac. de cens. disp. 1. q. 3. punct. 3. num. 11.

An absolutus ab excommunicatione reservata cum onere se præsentandi, satisfaciat huic obligationi, si per procuratorem, vel per litteras se præsentet.

RESOLUTIO XCIV.

Negativam sententiam tenent Nav. in man. cap. 27. num 90. Sayrus to. 1. thesau. lib. 2. cap. 16. num. 3. & alii, asserentes, pęnitentem in articulo mortis, sive premente necessitate, à censuris reservatis absolutum cum onere comparendi, ad personalem præsentationem semper obligari.

Nihilominùs in affirmativam partem resolvitur difficultas, videlicèt pęnitentem in proposito casu, obligatum ad se præsentandum coram Superiore, satisfacere suæ obligationi, si per procuratorem, vel etiam per litteras se pręsentet: Quia quod per procuratorem facimus, per nos ipsos facere dicimur *ex tex. in cap. Episcopus dist.* 18. Ideòque pęnitens verè dicitur comparere. Ita Cajet. *v. excomm.* c. 60. Sylv. *v. excomm.* 8. §. 8. q. 7. Henriqu. lib. 13. c. 29. num. 3. Sanch. lib. 2. moral. c. 13. n. 33.

Ab hac resolutione tamen excipi debet casus excommunicationis ob enormem, vel etiam gravem Clerici percussionem, à qua absolutus in articulo mortis cum onere comparendi tenetur, cessante impedimento, personaliter Romam petere ob peculiarem hujus delicti gravitatem, in odiumque, ac pęnam delinquentis: sicuti constat *ex cap. Quod de his, de sent. excomm.* Quæ tamen juris dispositio non est extendenda ad alios casus, sicuti resolvit Sanch. loc. supra cit Bonacin. de cens. disp. 1. qu. 3. punct. 3. num. 5.

Imò etiam in casu percussionis Clerici, percussorem non teneri ad personalem pręsentationem, sed posse, si justa causa intercedat, per procuratorem se pręsentare, docet idem Sanch. cit. nu. 33. Quænam autem justa causa censeri debeat, vide infra resol. 98.

Addit Layman lib. 1. tract. 6. cap. 8. §. 6. num. 22. in casu gravis, seu enormis percussionis Clerici posse etiam adiri Summi Pontificis legatum, ab eoque absolutionem à censura canonis obtineri. Pro qua additione sit sequens resolutio.

An Sedis Apostolicæ Legatis competat potestas absolvendi à censura canonis omnes Clerici percussores.

RESOLUTIO XCV.

Ante responsionem præmittendum est, quòd triplex est sedis Apostolicæ Legatus: Unus à latere, sive S. R. E. Cardinalis, cui ęquiparandus est ille, qui, etsi à latere, sive Cardinalis non sit, cum potestate tamen Legati à latere missus est.

Alius est Legatus non à latere, sed missus cum ordinario officio Legati, sive Nuntii Apostolici ad aliquam provinciam, vel etiam ad Reges, & Principes.

Alius denique dicitur Legatus natus, cui ratione particularis Ecclesiæ, nomen munus, & dignitas Apostolici Legati perpetuò competit, de quibus fit mentio in *cap. 1. de offic. Legati*, & agit Franc. Leo *in thes. fori Eccl.* p. 1. c. 2. n. 25.

Respondeo igitur primò. Legatus Sedis Apostolicę à latere multis pręfulget privilegiis: inter quæ numeratur, quòd à die discessus ab Urbe usque ad diem redditus sui absolvere poteit omnes Clericorum percussores, tam eos, qui de provincia sunt, quàm qui aliundè accedunt, sicuti docet Abb. *in cap. Excommun. &c.* nu. 2. Sylv. *v. deleg.* q. 11. Laym. lib. 1. tr. 4. cap. 7. §. 5. n. 22.

Respondeo secundò. Legatus non à latere, à Summo Pontifice ad provinciam, vel ad Reges, aut Principes missus Nun-

Nuntius Apostolicus, absolvere potest, dum in Provincia, Regno, Dominio moratur, à censura canonis omnes provinciales, ac subditos illis Regibus, & Principibus, ad quos est missus: Unde Legatus, sive Nuntius Apostolicus ad Serenissimam Venetam Rempublic. hic Venetiis residens, ex privilegio à Summo Pontifice sibi concesso, potest absolvere à censura canonis omnes Clericorum percussores Serenissimo huic Dominio subiectos, sicuti habetur *in cit. cap. Excommunicatis*, & docet Abb. in cit. capit. numer. 1. ususque, & praxis confirmat.

Respondeo tertiò. Legatus natus potest itidem ab eadem censura canonis absolvere sibi subditos, vel etiam alios, juxta restrictionem, vel amplitudinem privilegii Apostolici muneri, ac dignitati suę adnexi. Abbas loco citato.

An Pœnitenti, quando in articulo mortis à censuris Papæ reservatis virtute alicujus Bullæ, vel Iubilei absolvitur, sit injungendum se præsentandi onus.

RESOLUTIO XCVI.

RESpondeo negativè, nempè absoluto in tali casu à censuris reservatis virtute Bullę Jubilei, aut alterius privilegii, absolutionem ab illis censuris concedentis, non esse imponendum onus se præsentandi: Quia privilegium Bullę, sicut, & Jubileum hunc dant favorem, aliàs nihil darent. Proinde pœnitens, si postmodùm convalescat, non tenetur, cessante omni impedimento, se Summo Pontifici pręsentare. Ita Suar. de pęnit. disp. 30. sect. 1. n. 6. Sanchez lib. 2. moral. cap. 13. n. 31. Bassæus *v. excommunicatio 5.* num. 7. *v. Notandum præterea.* Henriq. lib. 6. c. 10. n. 5.

Et quod asseritur de pœnitente in discrimine vitę constituto, idem dicitur de sano virtute alicujus Bullę, vel Jubilei à censuris reservatis similiter absoluto, ipsi nempè non esse imponendum onus comparendi: militat enim utrinque eadem ratio, cùm Sacerdos privilegiatus nomine Superioris integrè succedat; sicuti benè advertit Sanchez, & Suarez supra cit.

Hinc colligitur, consultiùs esse tàm in mortis articulo quàm extra confiteri privilegiato, qui potestatem habeat absolvendi à censuris reservatis, tanquàm delegatus Pontificis sine onere postea comparendi.

An absolutus ex justa causa à censura Papæ reservata cum onere comparendi possit virtute alicujus Bullæ, vel Iubilei novam absolutionem ab eadem censura obtinere, & ita eximi ab obligatione se præsentandi.

RESOLUTIO XCVII.

REsolutio est affirmativa, pœnitentem in proposito casu, si concurrat Jubilei tempus illius censuræ absolutionem concedentis, posse lucrandæ indulgentiæ gratia à quolibet Confessario absolutionem denuò à censura Papę reservata obtinere, & ita eximi ab obligatione comparendi. Et ratio est, tùm quia prior absolutio non obstat, quominùs pœnitens possit novam absolutionem absolutam obtinere, teste Henriquez lib. 6. de pœnit. cap. 10. num. 5. litt. G. Tùm quia onus comparendi pœnitenti impositum in tantùm viget, in quantùm ipse intendit frui privilegio absolutionis obtentæ ob causam necessitatis: Atqui pœnitens in hoc casu non intendit frui privilegio sibi concesso ratione necessitatis, sed ratione Bullæ, sive occurrentis Jubilei, idque sine ullo onere: Ergo, &c. Ita Sanchez lib. 2. moral. cap. 13. num. 32. Suarez de pœnit. disput. 30. sect. 1. num. 6. Layman lib. 5. tr. 6. cap. 12. nu. 15. *vers. Quare.*

Quinam

Quinam censendi sint habere justam causam, sive legitimum impedimentum, ratione cujus innodati censura Papali possint extra mortis articulum ab Episcopo absolvi.

RESOLUTIO XCVIII.

RESpondeo: legitimo impedimento detineri censentur.

Primò, qui laborant longa ægritudine, etiamsi non sit periculosa, cap. *Quod de his*, & cap. *Quamvis de sent. excomm.*

Secundò qui in ætate senili sunt constituti, cap. *noscitur*, & cap. *quamvis*. Contingit autem senectus plerumque anno ętatis sexagesimo, secundùm Navar. in man. cap.21. num.16. Sanchez lib. 7. de matrim. disput.32. num. 17. Tolet. lib.6. cap.4. Ergo qui sexaginta annos habent, excusantur ab obligatione se pręsentandi.

Tertiò, qui pubertatem adhuc non sunt assecuti, hoc est, qui quartum decimum ætatis annum nondum complevere; idque propter ętatis imbecillitatem. Quod constat *ex cap. quamvis*. Quę resolutio vera est, etiamsi absolutio à contracta censura tempore impubertatis petatur, adepta jam pubertate: habetur *in cap. pueris de sent. excomm.*

Quartò, qui laborant paupertate, ita ut mendicare cogerentur, si Curiam pro absolutione adire vellent: patet ex eodem *cap. Quod de his*, *& cap. quamvis*.

Quintò, qui graves inimicitias gerunt, ita ut sine gravi periculo vitę itineri se committere non possint: liquet ex *juribus citatis*.

Sextò, Fœminę cujuscumque ętatis, ac conditionis ob sexus qualitatem, ac conditionem, *cap. Mulieres*, *& cap. Quamvis eodem titulo*. Quapropter à casu etiam hęresis mulieres, & multò magis moniales, tanquam personę Sedem Apostolicam adire non valentes ab Episcopo, vel ejus delegato absolvi possunt, non obstante facultatis revocatione per Bullam Cęnæ Domini, juxta declarationem Alex. VII. emanatam *Die 2. Octob. Anno 1665.*

Septimò, qui claudi sunt, vel cęcitatis vitio laborant. Claret ex *iisdem juribus citatis*.

Octavò, qui subsunt alterius juri, ac voluntati, ut servi, filii familias, si ipsorum domini, vel parentes profectioni repugnent, *cap. Relatum de sent. excomm.*

Nonò, animarum Curatores, vel temporale dominium habentes, si hi sine detrimento subditorum, illi sine præjudicio ovium sibi commissarum Papam adire non possint. *Cap. de cætero*, *& cap. no pro dilatione &c.* Ex quo capite excusantur etiam illi, qui ob curam administrandi familiam, gerendi officium publicum, vel ob periculum infamiæ, aut scandali ad Sedem Apostolicam accedere nequeunt.

Decimò, qui sunt adeò delicata, & debili complexione, ut itineris incommoda perferre non possint. Constat ex eodem *cap. Quamvis*, & tradunt Doctores, quos citat, & sequitur Barbos. *de offic. & potest. Episc. alleg.*41. n.7. Dian. par.4. tract.4. resol.58.

Vndecimò, quicumque alio simili accedendi ad Sedem Apostolicam detinetur impedimento, quod existimetur legitimum juxta prudentis viri judicium. Ita Navar. in man. cap.27. n.88. Covarr. cap. alma par.1. §.11. n.15. Sanchez lib.2. moral. cap.13. n.39.

Hos igitur omnes, si fortè censura Papæ reservata innodati existant, Episcopus absolvere potest: cum hac tamen distinctione, quòd si impedimentum est perpetuum, Episcopus sic impeditum absolutè, & sine onere se pręsentandi Apostolicæ Sedi absolvere potest. Si verò est temporale, monere debet absolvendum, ut, cessante impedimento, Apostolicæ Sedi se præsentet, non ut iterum absolvatur, cùm jam verè absolutus fuerit, sed ut de satisfactione pręstanda Ecclesię, ac parti lęsę mandatum accipiat, juxta supra dicta. Ita Sayrus de censur. lib.3. cap.28. num. 36. Henriquez lib. 13. cap.29. num. 3. Sanchez cit. cap. 13. num. 37. Layman lib 1. tract. 5.

par.2. cap.6. num.2. & 4. Bonac. de censur.disp.1. quæst.3.punct.1.num.15. Dian. cit. resol.58. Et ita ex commissione specialis sæpiùs se in vsum deduxisse, testati sunt mihi duo viri, in morali potissimùm, ac sacrorum canonum doctrina præstantissimi, Carolus Antonius Luciagus, & Io: Franciscus Montanarus, ille in Curia Episcopali Brixien. hic in Patriarchali Venetiarum Generalis Vicarius, non semel uterque, ut lucem Elucidario adderent, à me consulti, & allegati.

Neque obstat, quòd nonnulli aliquando ob id ad Curiam nuncium mittant, vel scribant: nam id faciunt, vel ob verecundiam comparendi coram proprio loci Ordinario, vel quia ad id se teneri putant.

Utrùm autem hæc doctrina procedat etiam in censuris Bullæ Cœnæ, alii affirmant, alii negant: Pro quo sit sequens resolutio.

An supra relata impedimenta adeundi Summum Pontificem pro absolutione à censuris ipsi reservatis, habeant locum etiam in censuris in Bullæ Cœnæ contentis.

RESOLUTIO XCIX.

NEgativè respondent Sylvest. *v. excomm.* 8. num.8. & *v. absolutio* 4. q.4. num.7. Corduba in Sum. q.18. punc.1. dicto 2. asserentes, non posse pœnitentem, cui non est facilis aditus ad Sedem Apostolicam, absolui ab Episcopo, quando universaliter in juribus, & Bullis Pontificiis exprimitur, quòd reus absolvi non possit ab excommunicatione lata, nisi in mortis articulo, sicuti exprimitur in casibus Bullæ Cœnæ, ita ut propter alia impedimenta absolvi non possit, sicuti potest in articulo mortis. Quorum sententiæ videtur favere Innocentius *in cap. quamvis de sent. excomm.* quatenùs asserit, quòd textus, loquentes de absolutione ob Clerici percussionem, ad alias excommunicationes non sunt extendendi.

Resolutio tamen difficultatis ad oppositam sententiam deflectit, nimirùm impedimenta in præcedenti resolutione relata habere locum etiam in censuris in Bulla Cœnæ contentis. Ratio autem desumitur ex benigna Summi Pontificis voluntate, qui non præsumitur voluisse reservare absolutionem à censuris in Bulla Cœnæ cum tanto incommodo, & difficultate. Semper enim Summi Pontifices in suis Bullis censentur excipere casum necessitatis, & impotentiæ, ne quis ob eorum reservationem ex ponatur periculo damnationis, ut rectè docent Suarez de pœnit. disput. 30. sect.3. num.9. Vgolinus *in Bulla Cœnæ* 3. *par. fol.* 46. & novissimè Tho. del Bene *de Offic. S. Inquisit.* par.1. dubit.61. num.12.

Neque obstat ratio in contrarium allata: Nam eadem verba, quæ continentur in Bulla Cœnæ, quòd scilicèt nemo possit à censuris in ea contentis absolvere, præterquàm in mortis articulo, continentur, & leguntur etiam in aliis censuris Papæ extra Bullam Cœnæ reservatis, quibus tamen non obstantibus, huiusmodi censuris obstricti in casu necessitatis, & impotentiæ absolvuntur ab Episcopis: Quare hæc verba, *nisi in mortis articulo*, non habent majorem vim in casibus Bullæ Cœnę, quàm in aliis Papalibus censuris; sed ubique accipienda sunt juxta benignam Ecclesię mentem, quæ semper excipere censetur casum magnę difficultatis, moralisque impotentię quę ratio militat etiam in censuris in Bulla Cœnę. Ita Sanchez lib.2. moral. cap. 13. num. 36. Card. de Lugo disp.20. de Sacram. pœnit. sect.10. n.118. Reginal. lib.1. cap.11. n.135. Homob. de cas. reser. part.1. cap.5. Bonac. de censur. disp.1. quęst.3. punct.1.

Immò nonnulli extendunt hanc facultatem ad inferiores etiam Sacerdotes, quę extensio hic est examinanda.



An

An Pœnitens irretitus censura Papæ reservata, si ob legitimum impedimentum Papam adire non possit, à Parocho, vel quovis exposito Confessario valeat absolvi.

RESOLUTIO C.

AFfirmat Suarez de pœnit. disp. 30. sect.3. num. 80. & de fide disp.21. sect.4. n.26. cui adheret Tannerus tom. 4. disp.6. quęst.10. dub.6. num.122. Vgol. de censur. tab.1. cap.4. §.5. num. 13. qui asserunt pœnitentem, si ob impotentiam, vel magnam difficultatem Papam adire non possit, à Parocho, vel, eo deficiente, à quolibet Confessario absolui posse cum onere comparendi coram Pontifice. Quorum sententię novissimè subscribit Thom. Del Bene de Offic. S. Inquis. part. 1. dubit.61. num. 1. & sequent. ea ratione ductus, quòd impedimentum perpetuum reputari debet verus articulus, seu periculum mortis, in ordine ad obtinendam ab alio, quàm à legitimo Superiore absolutionem.

Sed extensioni huic tam magnę adversantur iura Ecclesiastica, *Cap. Nascitur*, *Cap. Mulieres*, *Cap. Quamvis*, *Cap. Eos qui de sentent. excomm. &c.* quę statuunt, ut qui, ob legitimum impedimentum Summum Pontificem adire non potest, ab Episcopo proprio debeat absolvi, ita tamen ut cessante impedimento, teneatur Papæ, vel ejus Delegato se pręsentare. Et quamvis jura citata expresśè loquantur de excommunicatione ob Clerici percussionem contracta, earumdem tamen legum dispositionem ad cęteras quoque censuras Papę reservatas communiter extendunt Doctores, Navar. in man.cap.27.num.89. & sequen. Felin. in *cap. Monachi de sent. excomm.* Sylves. *v. absolutio* 3. in fine. Sanchez lib.2. moral. cap.13. n.36. Layman lib.1. tract. 5. par. 2. cap. 2. num. 5. Militat enim in omnibus eadem ratio, nempè difficultas adeundi Pontificem. Quare hęc regula communiter recepta statuitur Doctoribus: quòd *casus Papalis, superveniente impedimento adeundi Papam, fit Episcopalis*: Quia id congrua subordinatio inter Prelatos Ecclesię requirere videtur. Et propterea cùm jura citata in casu, quo ob moralem impotentiam non patet aditus ad Summum Pontificem, vel ejus Delegatum, soli Episcopo facultatem absoluendi à censuris Papę reservatis concedant, non videtur ea ad Parochos, aliosque inferiores Sacerdotes posse extendi, excepto articulo, vel probabili mortis periculo: de quo vide supra resolutionem 78. Ita pręter Doctores citatos Card. de Lugo disp.20. de pœnit. sect.10. num.228. Henriquez lib.6. cap.11. num. 5. Homob. in exam. Eccl. tract.5. cap.5. quęst.2.

Quid autem, si pœnitens possit adire Nuncium, vel Legatum Apostolicum, mox dicam.

Si Pœnitens impeditus ire Romam pro absolutione casus Papalis, possit tamen adire Nuncium, vel Legatum Apostolicum, vtrum nihilominùs ab Episcopo possit absolvi.

RESOLUTIO CI.

AFfirmatiuè respondent Suarez de pœnit. disp.30. sect.3. num.4. Henriquez lib.6. cap.10.num.1. Avila de cens. par.2. cap.7. disp.1. dub.6. notan.4. Ugol. in Bulla Cœnę 3. par. fol.465. Diana par. 5. trac.9. resol.6. Quia jura in signum specialis reverentię, ac privilegii requirunt, ut pro absolutione casus Papalis Papa adeatur; si verò ad eum aditus non pateat, cessat reservatio Papalis, & devoluitur casus ad proprium Ordinarium: Accedit, quòd reservatio casuum Papalium strictę interpretationis esse debet, cùm juri Episcoporum deroget.

Cœterùm quamvis hæc opinio sit probabilis, tutior tamen videtur sententia contraria, & conformior iis, quę diximus suprà Resolut.76. Quia casus Superiori reservatus devoluitur ad inferiorem ratione tantùm necessitatis, quę necessitas cessat, quoties adsit aliquis, qui

ure ordinario, vel ex privilegio absolvere possit. Cùm ergo in dubio proposito Nuncius, vel Legatus adiri possit, ideòque pœnitens non maneat remedio destitutus; idcircò sicut eo casu cessat ratio necessitatis, sic etiam devolutio jurisdictionis, & consequenter ab Episcopo non poterit absolvi. Ita Navar. in manual. cap. 27. num. 89. & 90. Sanchez lib. 2. moral. cap. 13. num. 11. ConinK de censur. disp. 16. num. 242. Mazuch. de cas. reser. disp. 1. quæst. 3. diff. 49. num. 200. Homob. de cas. reser. par. 1. cap. 5. Cardin. de Lugo disp. 20. de pœnit. sect. 10. num. 121. Bonac. de censuris disp. 1. quæst. 3. puncto 2. num. 4. qui addit, detentum justo impedimento, quominùs Romanum Pontificem adire possit, teneri tamen Romam mittere epistolam, si commodè possit, pro obtinendo absolutionis beneficio.

Mittere verò Romam procuratorem si personaliter ire non queat, nemo tenetur: nam id cederet in nimium gravamen pœnitentis. Imò juxta probabilem Suarez, Henriquez, Avilæ, Ugolini, Dianę opinionem supra relatam sententiam, laborans aliquo ex dictis impedimentis nedum tenetur mittere procuratorem, sed neque epistolam pro absolutione obtinenda.

Rectè tamen notat Layman lib. 1. tr. 5. par. 2. cap. 2. num. 6. versic. *his addendum*, ex Navar. lib. 1. consil. 1. quæst. 14. *de const.* edit. 2. in hac re spectandam esse locorum consuetudinem. Nam Episcopi in provinciis Roma valdè remotis, in quibus vel nullus adest, vel multùm abest Sedis Apostolicæ Legatus, præscripsisse possunt jurisdictionem absolvendi à quibusdam casibus Papalibus frequenter contingentibus, sine onere comparendi coram Romano Pontifice, ejusve Legato.

Ut verò Episcopi subditos suos excommunicatione Papali innodatos mittere debeant ad alios in Dięcesi privilegiatos, puta Mendicantes, tanquam majorem ipsis absolvendi potestatem habeant, nimis durum, arduumque videtur, teste Navar. cit. lib. 1. conf. 11. de privil. edit. 2. attenta maximè illorum Doctorum sententia, qui absolutè docent, quòd, stante impedimento recurrendi ad Papam, restituatur Episcopo ordinaria potestas, quæ ipsi per reservationem Papalem fuerat ablata. Hi sunt Diana par. 5. tract. 9. resol. 6. Hurtadus disp. 15. de excomm. diff. 3. num. 10. Cornejus in 3. par. tract. 5. de excomm. disp. 11. dub. 2. & alii.

De facultate, quæ competit Episcopis vigore Concilii Tridentini.

Quæ facultas per Concilium Tridentinum concedatur Episcopis absolvendi à casibus Summo Pontifici reservatis.

RESOLUTIO CII.

Duplex facultas vigore Concilii Tridentini; conceditur Episcopis: Altera dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus: Altera absolvendi in foro conscientiæ ab omnibus censuris, & casibus Sedi Apostolicæ reservatis. Patet ex decreto ejusdem Concilii sess. 24. cap. 6. & docet Sanchez lib. 2. moral. cap. 11. ex communi.

Verùm circa concessionem hanc notandum est, quòd ut ea locum habeat, quædam conditiones requiruntur. Prima, ut irregularitas, vel delictum ad forum contentiosum non sit deductum: Secunda ut excipiatur irregularitas ex homicidio voluntario contracta: Tertia, ut delictum sit occultum: Quarta, ut talis facultas exerceatur ab Episcopo in proprios subdita: Quinta, ut intra Diœcesim: Sexta, ut Episcopus etiam in crimine hæresis possit subditos absolvere, sed per seipsum, aut Vicarium ad hoc specialiter deputatum. Sed Tridentini privilegio, quòad hæresis absolutionem, derogatum esse per Bullam Cœnæ, novissimè declaravit Alex. VII. *die 2. Octob. 1665.* de quo fusiùs infrà resol. 112. Quæ omnia colliguntur ex tenore decreti prędicti. Utque singula clariùs innotescant, ea singil-

singillatim expendere, operæ pretium censui.

Quandonam delictum dicatur ad forum contentiosum deductum.

RESOLUTIO CIII.

NOnnulli Doctores, ut Avila, & Henriquez quos citat, & sequitur Sanchez lib. 2. mor. c. 11. num. 21. & Riccius in praxi decis. §. 22. putant tunc delictum dici ad forum contentiosum deductum, cum denunciatio, vel accusatio coram legitimo judice facta est, & reus intuitu illius accusationis citatus: Siquidem judicium incipit à citatione, *§. final. instit. de pœna temere litigantium*.

Resolutio tamen non minùs probabiliter deflectit in oppositum, videlicèt delictum non dici plenè, & perfectè ad forum contentiosum deductum, ut ab eo absolvere, vel dispensare non possit Episcopus, quousque litis contestatio per citationem, & responsionem cœpta non fuerit: Tùm quia forum contentiosum dici non potest, nisi super delicto commisso contendatur inter partes, non tantùm per oppositionem, sed etiam per negationem, vel confessionem: quo actu etiam in criminalibus litis contestatio inducitur: Tùm quia forum contentiosum non differt à lite mota, cum idem sit in foro contendere, & in eo litem movere. Atqui lis mota non dicitur, nisi postquam contestatio litis facta fuerit, ut tradit Maranta *de ordin. judic. p. 5. tit. Et omnia fiant, durante instantia*, num. 64. Ergo delictum non censetur ad forum contentiosum deductum, nisi post litis contestationem, & non ante. Ita Dian. p. 7. tract. 2. resol. 27. Barbos. de offic. Epis. alleg. 39. num. 29. & alii plures infra citandi.

Hinc infertur, quòd Episcopus non potest absolvere à delicto ad forum contentiosum sic deducto, neque item dispensare in alio loco, ubi omninò ignoratur., cùm delictum, in aliquo loco ea ratione deductum, simpliciter sit deductum. Ita Suarez de cens. disput. 42. sect. 2. num. 6. Graffeus p. 1. decis. lib. 1. c. 13. num. 43. Molin. de just. & jure tract. 3. disp. 79. num. 8. Dian. cit. Barbos. cit alleg. 39. num. 31. & novissimè Thom. Del Bene de Offic. S. Inquis. p. 1. dubit. 53. sect. 10. num. 5. ubi etiam num. 10. notat ex Sanchez, si duo sint consortes ejusdem delicti, unusque tantùm ex ipsis deferatur in judicium, alterum ab Episcopo absolvi, & dispensari posse: quia ipsius delictum, quatenùs ab ipso procedit, ad judicium non fuit deductum. Vide etiam Nav. lib. 2. consil. tit. de sent. & de re judic. consil. 2.

Quid autem, quando delictum ad judicium fuit deductum, sed in eo non probatum, spectat ad obviam resolutionem.

An delictum ad forum contentiosum deductum, sed in eo non probatum, quoad absolutionem cadat sub facultate Episcopi.

RESOLUTIO CIV.

SUpponendum tamquàm certum apud omnes, Episcopum absolvere non posse à censura, vel dispensare in irregularitate Papę, reservata, proveniente ex delicto ad forum contentiosum sive justè, sivè injustè deducto, quandiù durat judicium, sicuti excommuni tradit Sanchez lib. 2. mor. c. 11. nu. 19. & 20. & lib. 8. de matrim. disput. 34. num. 56. & 57. Layman lib. 1. tr. 5. par. 5. c. 9. num. 5.

Ad dubium igitur negativè respondent Garzia de benef. par. 7. cap. 11. num. 50. Bonacin. de censur. disp. 5. q. 3. punct. 2. num. 2. Barbos. de offic. Episc. par. 2. alleg. 39. num. 35. Tùm quia Conc. Trid. absolutè excipit delictum ad forum contentiosum deductum, nihil distinguens, an fuerit in eo probatum, nec ne; ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: qua propter sola deductio sufficit. Tùm quia delictum semel ita deductum ampliùs non potest dici occultum.

His tamen non obstantibus, difficul-

tas in partem affirmativam resolvitur, videlicèt delictum in proposito casu cadere sub potestate Episcopi, & sic Episcopum posse ab eo absolvere, vel dispensare. Et ratio est, quia delictum, quod non fuit probatum, non potest dici cum effectu deductum; in odiosis autem, qualis est restrictio privilegii, verba sumenda sunt cum effectu, ut habetur *in cap. elatum de cler. non resid.* Exceptio ergo à Concilio posita accipienda est, si deductio habeat effectum, defectu cujus deductionis cum effectu delictum adhuc censetur manere occultum. Ita Sanchez lib.2. mor. c.11. num.20. & lib.8. de matr. disp.34. num.57. Sayrus *de censu.* lib.6. c. 11. num.83. Henriq. lib.6. c.16. Finell. de cas. reser. c.7. num.10. Regin. lib.30. tract. 2. num.29. Bassæus *in florib. v. absolutio* nu. 29. Graff. lib.1. *decis. aur.* cap. 13. num. 42. Medulla the. moral. lib.7. c.1. dub.8. resp.2. Dian. par.7. tract.2. resol. 18. & alii apud ipsum.

Et hæc resolutio procedit, etiamsi reus in judicio falsis testibus se defenderit, viaque iniqua absolutionem obtinuerit: Tùm quia cessat ratio deducti ad forum contentiosum: Tùm quia adhuc crimen manet occultum, sicuti præter citatos Doctores docet Rodriquez par. 1. Summ. cap.167. concl.4. Avila par. 7. disput. 10. dub.6. in fine. Layman lib.1. tract. 5. p.5. c. 9. num.5.

Imò hanc doctrinam locum habere, etiamsi crimen fuerit semiplenè probatum, sustinent præcitati Doctores cum Sanch. cit. dummodo reus à judice definitivè, vel ab instantia fuerit absolutus: Quia Concilium ideò vetat absolutionem à delicto ad forum contentiosum deducto, ne judiciarius processus impediatur, aut imminuatur; hæc autem ratio cessat, si reus in judicio definitivè, vel ab instantia fuerit absolutus, ideòque crimen maneat occultum.

Contrarium tamen docet Suar. de censur. disput. 41, sect.2. numer.6. Gutt. canon. qq. lib.1. cap.3. Bonacin. de irregul. disp 7. q.5. punct.1. num.5. v. hæc doctrina, quibus subscribit Barb. de pot. Episc. p.2. cit. alleg.39. num.35. ubi ait ita declaratum esse à Sacra Congregatione de qua si authenticè constaret, rueret contraria opinio.

Sed queres, quid sit reum absolvi definitivè, vel solum ab instantia?

Respondeo. Tunc reus dicitur absolvi definitivè cùm ejus delictum ampliùs in judicium deduci non potest: Tunc autem solùm ab instantia, cum propter nova indicia, & probationes crimen rursùs in judicium deferri, de eoque criminosus iterum judicari potest. Covarr. lib.1. variar. resol. cap. 1. num. 8. In utroque igitur casu sicut finitur judicium, sic delictum subditur potestati Episcopi. Sanchez cit. Dian. p. 7. tract. 2. resol. 18.

Addo, nonnullos Doctores non improbabiliter defendere, facultatem Episcopi extendi etiam ad delictum, cujus judicium in foro contentioso non fuit sententia finitum, dummodo accusator per annum destiterit à judicio prosequendo: Quia taciturnitas accusatoris tam diuturna arguit probationis defectum, & æquivalet absolutioni. Hi sunt Sayr. cit. cap.7. n. 11. Majol. de irregular. lib.6. c.17. n. 9. quibus novissimè subscribit Tho. Del Bene de Offic. S. Inquis. p.1. dubit.53. sect.10. n. 10.

Utrùm verò judicio finito reoque punito, ipsius delictum adhuc cadat sub facultate Episcopi, res est controversa; pro cujus dissolutione statuitur sequens resolutio.

An à delicto ad forum contentiosum deducto, ibique punito possit Episcopus delinquentem absolvere, & in impedimento inde proveniente dispensare.

RESOLUTIO CV.

Negativam tenent Suar. Gutt. Garz. Bonacin. quos citat, & sequitur Barb. de Offic. Episc. par.3. alleg. 39. nu. 15. quorum sententiæ videtur adhærere etiam Thom. Del Bene cit. dubit. 53. n. 12. quatenùs eam vocat probabiliorem. Fundamentum est, quia Concilium absolutè excipit delicta ad forum contentiosum deducta. Quapropter sola deductio

ctio sufficiens erit, quòd Episcopus vigore illius decreti absolvere, vel dispensare non possit, eò vel maximè, quod delictum per judicialem punitionem sit famosum.

Opposita tamen opinio magis placet; & est sustinenda, nempè si delictum ad forum contentiosum fuerit deductum, & ibi punitum, posse adhuc Episcopum absolvere, & in impedimento inde proveniente dispensare. Quia finis Concilii, excipientis delictum ad forum contentiosum deductum, eo casu cessare censetur, ne scilicèt per absolutionem Episcopi impediatur processus judicialis, semel inchoatus, & satisfactio publica pro publicis delictis, ut etiam precedenti resolutione notatum est: Atqui judicio finito, satisfactioneque publica exhibita, cessat hujusmodi finis. Ergo; &c. Ita Sanchez lib. 2. moral. cap. 11. nu. 22. Avila de censur. par. 2. disp. 2. dub. 7. Henriqu. lib. 14. de irregular. cap. 7. num. 5. Reginal. lib. 130. tract. 2. numer. 20. Layman libr. 1. tract. 5. part. 5. cap. 9. num. 5.

Plerique tamen horum Doctorum excipiunt, nisi delictum per judicialem punitionem factum esset famosum, quia delictum famosum per aliam exceptionem Concilii non cadit sub facultate Episcopi: de quo infra. Vide Tolet. lib. 1. cap. 89. num. 5. ubi notat, si post absolutionem, vel dispensationem delictum deducatur ad forum contentiosum, obtentam absolutionem, vel dispensationem prodesse solùm in foro interiori, & coram Deo, non item in exteriori.

An Episcopus aliquando dispensare possit super irregularitate, proveniente ex homicidio voluntario.

RESOLUTIO CVI.

Responsio est negativa, cum homicida voluntario neminem præter Summum Pontificem dispensare posse. Nam quamvis à Concilio Tridentino Episcopis privilegium concessum sit dispensandi super irregularitate, proveniente ex delicto occulto, excipitur tamen ea, quę oritur ex homicidio voluntario, sicuti constat ex decreto ejusdem Concilii sess. 24. cap. 6. & docent communiter DD. apud Navar. in man. c. 27. nu. 194. Avilam de cens. p. 7. disput. 6. sect. 5. dub. 3.

Non displicet tamen, quod docet Layman lib 3. tract. 3. p. 3. c. 12. num. 6. ex Sylv. verb. dispensatio num. 15. Henriq. lib. 14. c. 19. num. 1. & 2. quibus subscribit Dian. par. 4. tract. 2. resol. 100. si Sacerdos occultum commiserit homicidium, sed nisi missam celebret, in suspicionem sceleris veniet cum vitæ, aut famæ periculo, in tali casu Episcopum, si facilis non sit recursùs ad Papam, vel ob inopiam, vel ob distantiam, dispensare posse, ut in susceptis ordinibus ministret.

Verum tamen est, quòd tunc Episcopus propriè non dispensat in irregularitate, sed effectum suspensioni similem tollit, ut interim, dum delictum, & impedimentum occultum manet, celebrare Sacerdoti liceat, donec à Summo Pontifice dispensationem obtineat. Quod etiam docet Avila cit. dub 3. conclus. 1.

An Episcopus vigore privilegii à Tridentino sibi concessi dispensare possit in homicidio occulto causa defensionis, sed excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, commisso.

RESOLUTIO CVII.

Respondeo affirmativè, videlicèt Episcopum ex facultate illa Tridentini dispensare posse in irregularitate, proveniente ex homicidio occulto in sui defensionem, sed cum excessu moderaminis inculpatæ tutelæ, commisso. Ita Navar. in man. c. 27. nu. 240. Henriq. l. 14. c. 19. num. 3. Avila de cens. p. 7. disp. 6. sect. 5. dub. 5. Layman l. 3. tr. 3. p. 2. c. 12. num. 2. Dian. p. 7. tr. 2. resol. 29. Et ratio est, quia tale homicidium non censetur simpliciter voluntarium; verba autem privilegiorum restrictiua, utpotè

odiosa, non debent extendi ultra propriam, & strictam eorum significationem. Unde exceptio illa Tridentini debet intelligi de homicidio directè, & simpliciter, non de indirectè, & secundùm quid voluntario. Vide etiam Suarez de de censur. disp.44. sect.4. n.35. Filliuc. tr. 20. cap.1.q.2. n.39. & 41. & quæ dicam infra 2.par. casu 2. de homicidio annotatione 6. n.14. & 15.

Idem resolvitur de homicidio ex subita ira commisso, quòd scilicèt in eo dispensare possit Episcopus. Hurtad. disp.2. de irregular. diffic.20. Dian.par.4. tract.2. resol. 3.

An integrum sit Episcopò dispensare in irregularitate, proveniente ex homicidio occulto indirectè, & in causa voluntario.

RESOLUTIO CVIII.

NEgativam sustinet. Cajet.2. 2.q.69. art.8. Molin.tom.4. tr. 3. disp.3. §. illud monuerim, quibus adhęrere videtur Covarr. par.2. Clem.initio n.1. Azor. tom. 1. lib. 2.c.14. qui asserunt, omne homicidium, quamvis directè volitum non sit, imò etiam nolitum, si tamen proveniat ex opere, cum quo frequenter conjuncta est hominis occisio, inter homicidia voluntaria, ideòque dispensabilia numerandum esse.

Probabilior tamen est opinio contraria, nempè Episcopum dispensare posse cum eo, qui occultè commisit homicidium, non directè, seu ex proposito voluntarium, sed indirectè, & in causa, ideòque mixtum ex voluntario, & casuali. Exempli gratia. Si quis mulierem gravidam incautè percusserit, abortumque fœtus animati causaverit: Item si gravi ligno; vel lapide volens alterum solùm percutere, occidat: vel si quis alterum injustè verberari mandaverit, prohibens ne occideretur, mandatarius verò, fines mandati excedens, eum occiderit: Idem est, si quis ad rixam provocatus percutiendi tantùm animo accesserit, postea verò ne ab auctore rixæ occideretur, cum occiderit: Item si volens occidere Clericum A. & adhibita diligentia, ne occidat Clericum B. præter intentionem Clericum B. occidat: seu putans occidere Clericum A. occidat Clericum B. quem, adhibita diligentia, certò putabat Clericum A. In quo casu neque incurrit excommunicationem cap. si quis suadente: Quia licèt homicidium Clerici eo casu sit volitum, non tamen est voluntarium, utpotè non præcognitum. Et ratio est eadem, quam superiori resolutione adduxi, quia privilegiorum restrictiones, utpotè odiosæ, non sunt extendendæ ultra propriam, & strictam verborum significationem. Unde quamvis hujusmodi homicidia, indirectè volita, non sint casualia, ut rectè docent oppositæ sententiæ Doctores, fateri tamen etiam debent, non esse simpliciter, ac perfectè voluntaria, sed veluti mixta ex voluntario, & casuali: Ideòque secundum quid, indirectè, & in sua causa voluntaria: ut proinde probabile sit, sub exceptione homicidii voluntarii indispensabilis à Tridentino non fuisse comprehensa. Ita Navar. in man. cap.27. num.240. Suarez 3.par.tom. 5. disp.44. sect. 1. num. 4. Henriquez lib. 14. cap. 19. num.2. Avila de censur. par. 7. disp.6. sect. 5. dub. 5. Sà verb. homicidium num.6. Reginal. lib. 30. numer. 29. Tolet. lib.1. cap. 84. Layman lib. 3. tract. 3. par.3. cap.12. num.2. Bassæus v. irregularitas 6. num.12. Covarr. par.2. Clemen. num. 1.

An Episcopo dispensare liceat in irregularitate ob voluntariam alterius mortis accelerationem contracta.

RESOLUTIO CIX.

NEgat Henriquez lib.14. cap.19. n.6. nempè eum, qui ex industria moriturum vertendo, voluntariè ipsi accelerat mortem, & graviter delinquere, & irregularitatem ex homicidio voluntario contrahere: Ideòque ab Episcopo dispensari non posse.

Verùm magis placet opinio contraria. Nam licèt is, qui infirmum in extremis labo-

laborantem, ut eumdem anguſtiis mortis liberet, ex affectu commiſerationis vertit, graviter peccet, & irregularis fiat, eò quòd ex induſtria ipſi mortem acceleret, probabiliter tamen dici poteſt, cum eo Epiſcopum diſpenſare poſſe, ſicuti docet Avila de cenſu. diſp.6. in fine, quem citat, & ſequitur Layman lib.3. tract. 3. par.3. cap. 12. num. 2. aſſertione 5. quia per homicidium voluntarium indiſpenſabile, quod ſcilicèt ſibi reſervat Pontifex, intelligi videtur, quod eſt ſimpliciter, & perſectè voluntarium, quodque animo crudeli, & inimico fit. Vide etiam Thom. Del Bene de Offic. ſanctę Inquiſ. part. 1. dubit. 81. num. 1.

An irregularitas contracta ex mutilatione voluntaria ſit ab Epiſcopo diſpenſabilis, ſi ea ſit occulta.

RESOLUTIO CX.

NEgativam ſuſtinet Sanchez libr. 2. moral. cap.10. num.49. quem citat, & ſequitur Henriquez lib.14. cap.19. nu. 3. l. Z. Quorum ratio eſt, quia homicidium, & mutilatio in jure æquiparantur: proinde ſicut integrum non eſt Epiſcopo diſpenſare in homicidio directè, & per ſe voluntario, ita neque in mutilatione.

Sed contraria ſententia eſt communis, quod ſcilicèt irregularitas, contracta ob mutilationem directè, & per ſe voluntariam, ſit ab Epiſcopo diſpenſabilis, ſi delictum, ex quo provenit, ſit occultum. Et ratio eſt, quia Concilium excipit tantùm homicidium voluntarium, mutilatio autem non eſt homicidium. Quare hæc exceptio firmat regulam in aliis. Ita Diana par.7. tract.2. ref. 28. Barb. de poteſt. Epiſc. par.2. alleg.39. num. 49.

His addendum, quòd verba exceptiva, ſive reſtrictiva facultatis ordinariæ, qualis eſt illa à Tridentino Epiſcopis conceſſa, diſpenſandi ſuper omni irregularitate, proveniente ex delicto occulto, non ſunt extendenda ultra naturalem, & propriam eorum proprietatem, ſicuti reſolvit Coriolanus de caſ. reſerv. par.1. ſect.1. art.5. Finellius de caſ. reſerv. caſu 3. num. 16. Unde in hac facultatis reſtrictione, utpotè odioſa non valet argumentum ab æquipollenti, teſte Lezana in ſumm. tom. 3. v. caſus reſervati num.13.

Tametſi ergo homicidium, & mutilatio in jure æquiparentur, quòad cauſas incurrendi irregularitatem, non tamen quòad indiſpenſationem: Quia illud prius, non item hoc poſterius reperitur in jure expreſſum. Ita Sà v. irregularitas ex deformat. illicita num. 7. Rodriquez tom.1. ſumm. cap. 18. concl. 1. Avila de cenſu. par.7. diſput.6. ſect. 5. dub.4. Layman lib.3. tract. 3. par. 3. cap. 12. nu. 1. aſſert. 2. Dian. loc. cit. & par.4. tr. 2. reſol. 71. & alii plures apud ipſum.

Dixi, ſi delictum ſit occultum, nam ſi eſſet notorium, non caderet ſub diſpenſatione Epiſcopi. Quando verò delictum exiſtimandum ſit occultum mox, eſt examinandum.

Quandonam delictum cenſeatur occultum, ut ab eo ex Tridentini privilegio abſolvere poſſit Epiſcopus.

RESOLUTIO CXI.

REſp. Occultum hoc loco cenſetur delictum, quod non eſt notorium, aut famoſum, quamvis tribus, aut quatuor innoteſcat, ita, ut judicialiter per teſtes probari poſſit, ſicuti docet Sayr. de cenſur. lib.4. cap. 14. nu. 21. Avila de cenſur. par. 7. diſput. 10. dub. 6. Laymàn lib. 1. tract. 5. par. 5. cap. 9. num. 4. ex Navar. in man. cap. 27. num. 254. §.11.

Unde tandiù delictum reputari debet occultum, quandiù vel per confeſſionem criminis factam in judicio, vel per ſententiam Judicis, vel per facti ipſius evidentiam in Civitate populo, Collegio, vicinię, vel loco non eſt notorium, manifeſtum, aut famoſum. Ita præter Doctores citatos Sanchez lib. 2. moral. cap.11. nu. 19. & lib. 8. de matrim. diſp.

disp.34 num.55. Suarez de censu. disp.41. sect.3. Bonac. de censu. disp.1. q.3. punct. 2. num.1. Dian. par.7. tract.2. resolut.15. & alii plures apud ipsum: quicquid in contrarium sentiant apud Garzias Graff. Guttier. loc. citat. existimantes illud solùm censeri occultum delictum, quod judicialiter per testes non potest probari.

Imò aliquibus videri posset, quòd Tridentinum magis extensè hic accipiat occultum, dum quasi explicans, quidnam in privilegii concessione, quam facit Episcopis, censeatur occultum, addit hæc verba, *excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum*: qua exceptione videtur Concilium regulam firmare in aliis, tacitèque innuere, tandiù aliquod delictum manere occultum ad hoc, ut ab eo possit absolvere, vel dispensare Episcopus, quamdiù ad forum contentiosum non est deductum. Ita videtur sentire doctissimus P. Bassæus *in floribus theol. v. pract. irregularitas XI.* n. 5. quod est valdè probabile.

Addo, ut delictum dicatur notorium, non satis esse, quòd actus externus, qui est delictum, materialiter tantùm sit notorius, & publicus; sed requiritur, ut sit notorius formaliter, & in ratione delicti, & in quantum est delictum. Ita Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 34. num.56. Navar. in man. cap.27. num. 25. & num. 241. Finellius de cas. reser. cap. 7. num. 11. ex communi. Unde percutiens Clericum qui publicè ignoratur Clericus, percussio quoad actum esset quidem publica, sed occulta in ratione delicti, & contractæ excommunicationis: Ideòque talis percussio quamvis gravis, & enormis vi concessionis Tridentini caderet sub potestate Episcopi. Ita Sanchez cit. Navar. cit. num. 241. & 255. Rodriquez par.1. Summ. c. 166. concl. 3. Layman lib.1. tract.5. par.5. c. 9. num. 4. Bassæus cit. num.5. Diana par. 7. tract. 2. resol.15. Barbos. de offic. Episc. par. 2. alleg.39. nu. 1.

An Episcopus, quoties vigore concessionis Tridentini dispensare, vel absolvere intendit, teneatur ea facultate uti in Sacramentali confessione.

RESOLUTIO CXII.

Quòad priorem difficultatem, hoc est, facultatem dispensandi in irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, communis est Doctorum sententia, eam ab Episcopo exerceri posse extra Sacramentale forum Pœnitentiæ, imò etiam in absentia, & tàm si Episcopus, quàm subditi sint extra Diœcesim: Insuper ejusmodi dispensationem non solùm pro foro interno, sed etiam pro externo prodesse. Et ratio est, quia illa particula in foro conscientiæ, Tridentini decreto addiecta, non est apposita in priori parte dicti decreti, ubi conceditur dispensandi potestas, sed in posteriori, in qua conceditur absolvendi facultas. Ita Sanchez lib.2. moral. cap.11. n 13. Suarez de censuris disput.41. sect.2. num.11. Fagundez præcep.2. lib.8. cap.8. numer. 35. Præpositus 3. par. quæst.1. de censuris dub.14. num.99. Bassæus in suis florib. v. irregularitas 11. num.5. Trulench. in decalogum tom. 1. lib.1. cap. 4. dub. 4. num. 7. Dian. par.7. tract.2. resol. 10. quicquid in contrarium dicat Ricciullius de jure person. lib.5. cap. 16. num. 2. apud Dian. loc. cit.

In ordine verò ad posteriorem partem, hoc est, ad facultatem absolvendi à casibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis, affirmativam sententiam tenent Garzia de Beneficiis par.11. cap.10.n.130. Barbosa de potest. Episcop. par.4. alleg.39. n. 8. ubi ait talem esse praxim Sacræ Pœnitentiariæ, & resolvit Aloys. Ricc. in praxi for. Eccles. resol.44. nu. 8. apud Dianam cit. asserentes Episcopum, quoties ex Tridentini facultate intendit absolvere, teneri ea facultate uti in sacramentali confessione: Tùm quia illa verba in foro conscientiæ, sunt intelligenda in foro Sacramenti Pœnitentiæ: Tùm quia ita pluries Sacram Congregationem censuisse,

fuisse, ajunt. Quorum opinioni novissimè videtur adhærere Thom. Del Bene de Offic. sanctæ Inquis. par. 1. dubitatione 58. num. 8. ubi licèt fateatur oppositam opinionem in puncto juris sibi videri probabiliorem; in praxi tamen censet sequendam esse hanc priorem sententiam.

Nihilominùs in negativam partem deflectit difficultatis resolutio, nempè, quòd Episcopus, utendo facultate per Tridentinum sibi concessa, non teneatur suos subditos à casibus Papæ reservatis absolvere in sacramentali confessione. Et ratio est, quia absolutio in foro conscientiæ valdè differt ab absolutione in foro Pœnitentiæ: nam absolutio in foro Pœnitentiæ dicitur illa, quæ impenditur, audita priùs Sacramentali peccatorum confessione; absolutio verò in foro conscientiæ illa, quæ occultè pronunciatur, hoc est, sine testibus, & forma jure prescripta: Et dicitur in foro conscientię ad distinctionem absolutionis, quæ impenditur in foro Penitentię, vel in foro externo contentioso. Cùm itaque Concilium dicat in foro conscientię per illam particulam satis declarat hujusmodi absolutionem ab Episcopis impendi posse extra Sacramentalem confessionem: sed tamen nullatenùs pro foro externo prodesse, si fortè contingat, illud idem delictum ad judicium contentiosum deduci. His addendum, quòd cùm Concilii verba contineant gratiam, & favorem, sunt latè interpretanda, & nequaquam ad forum Pœnitentiæ limitanda. Ita preter Doctores supra citatos Gavan. in man. Episc. V. absolut. num. 4. Floron. de cas. reser. par. 1. c. 4. §. 7. n. 17. Mazuch. de cas. res. disp. 1. q. 3. diff. 50. §. 7. Homob. de exam. Eccles. par. 1. tr. 5. cap. 5. q. 31.

Quòad declarationes Sacræ Congregationis, quibus nituntur Auctores contrariæ opinionis, respondet Diana loco cit. de iis authenticè non constare. Quòd si secùs foret, ab iis minimè recedendum esset. Quando autem de Eminentissimorum Cardinalium declarationibus authenticè constet, ideòque vim legis obtineant, & quando non, non est facilè definire. Pro cujus difficultatis dissolutione sit sequens resolutio.

An declarationes Eminentissimorum Cardinalium, Concilii Tridentini interpretum, habeant vim legis: Ideòque tàm in foro fori, quàm Poli obligationem inducant.

RESOLUTIO CXIII.

Negativam tenent Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 2. num. 10. Joannes Valerus de differ. utriusque fori v. absolutio differ. 1. num. 10. & v. Nullitas diff. 5. num. 2. Pontius lib. 5. de matrim. cap. 13. §. 2. numer. 7. Portel. in dub. regul. v. Card. declarat. Bonac. de legib. disput. 1. q. 1. punct. 8. num. 4. Vega in summ. tom. 1. cap. 62. cas. 41. Diana par. 1. tract. 2. res. 36. Quorum ratio est, tùm quia, ut lex obliget, necesse est, ut solemniter promulgetur: Sed dictæ declarationes solemniter non promulgantur: Ergo non obligant. Tùm quia declarationes Sacræ Congregationis non fiunt, neque pronunciantur, citata parte: Ergo non debent censeri leges decisivę, sed opiniones doctrinales.

Affirmativam tamen sententiam sustinent duodecim Doctores non infimæ notæ apud Dianam loco citato: asserentes hujusmodi declarationes non esse tantùm doctrinales, veluti latas à Doctoribus, & Jurisperitis, sed esse definitivas, seu decisivas, vim legis tàm in foro fori, quàm in foro Poli obtinentes, & ut leges recipiendas, utpotè latas à personis tùm interpretandi, tùm respondendi facultatem à Principe habentibus. Hęc posterior sententia mihi videtur probabilior, sed limitanda, ut procedat, quoties Eminentissimorum Cardinalium, Concilii Tridentini interpretum, declarationes quatuor habent conditiones.

Prima est, ut certum sit, & indubitatum esse declarationes Cardinalium: Quod constabit, si sint in authentica forma, hoc est, si solito sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarii ejusdem Sacrę Congregationis pro tempore existentium prodeant

deant

deant munitę. Barbos. in collect. Bullar. v. Congregatio 2.

Secunda, ut in ipsa declaratione exprimatur, eam consulto Summo Pontifice, conditam, & pronunciatam fuisse. Quam conditionem apposuit Sixtus Quintus cum Sacræ Congregationi facultatem concessit interpretandi concilium, teste Josepho de Januario in selectis de cas. res. resol 63. n. 5.

Tertia, ut Cardinales declarent tantum, non autem dispensent, vel amplient ultra juris regulas. Quam formam, præscripsit Gregor. XIII. teste Diana par. 5. tr. 2. resol. 96.

Quarta, ut hæ declarationes constent notitia publica, quod fit, si transmittantur ad Episcopos, ipsisque mandetur, vt eas juridica forma in Diœcesi promulgare, in usumque deducere curent. Barbos. & Dian. ll. cc. quibus addo Januar. cit. resol. 63. num. 5.

Quoties igitur declarationes Sacræ Congregationis has quatuor habent conditiones, vera omninò est, & in praxi sustinenda posterior sententia, videlicet eas robur, & firmitatem legis obtinere, & consequenter tam in foro fori, quàm Poli obligationem inducere. Si verò hæ conditiones desiderentur, magis placet opinio contraria, nimirùm declarationes hujusmodi doctrinales tantùm esse, ac proinde in neutro foro obligationem adferre. Ita præter Doctores supra citat. Navar. lib. 5. consil. de sent. excommun. consil. 15. Bass. in florib. v. Alex. IV. nu. 12. Januar. loc. citat. Quibus astipulatur Doctissimus Dominus meus Bartholomæus Finardus, Cathedralis Bergomen. Canonicus, Theologali dignitate insignitus, vir cùm nobilitatis, tùm universæ doctrinę radiis pręfulgens, declarationum verò à sacra Congregatione emanantium Indagator solertissimus: ideòque hac de re à me consultus.

Nihilominùs, & has posterioris generis declarationes plurimi faciendas, ab eisque tamquàm Eminentissimorum Patrum oraculis sine firmissimo fundamento recedendum non esse, fatentur etiam oppositæ sententię Doctores, pręcipuè Bonac. & Dian. ll. cc.

Quinam intelligantur nomine subditorum in Tridentini decreto.

RESOLUTIO CXIV.

Duplex facultas conceditur Episcopis vigore Concilii Tridentini, ut supradictum est, altera absolvendi ab omnibus casibus Papalibus occultis, altera dispensandi in irregularitatibus, & suspensionibus, ex occulto delicto provenientibus, ea excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario. De priori facultate hìc agitur, posterior verò difficultas in sequenti resolutione enodabitur.

Quod igitur ad priorem difficultatem attinet nomine subditorum intelliguntur.

Primò vagabundi, quia cùm nullibi domicilium habeant, subduntur Episcopo, in cujus Diœcesi reperiuntur. Sanchez lib. 3. de matr. disp. 25. n. 4.

Secundò habentes duplex domicilium ex æquo in duplici Diœcesi. Sanc. loc. cit. disp. 24. num. 5. & Dian. p. 7. tr. 2. resol. 2.

Tertiò peregrini, Scholares, mercatores, propriam Diœcesim habentes: hi enim sicut ex generali Ecclesiæ consuetudine, & interpretativa Prælatorum suorum voluntate possunt subiici Episcopo ejus Diœcesis, in qua reperiuntur, in foro Sacramenti Pœnitentiæ, sic etiam ab eodem Episcopo ab omnibus censuris, & casibus Papæ reservatis, sed occultis absolvi. Suar. to. 4. in 3. par. disp. 30. sect. 2. num. 3. & Dian. loc. cit. Garz. de Benef. c. 10. num. 139. Barb. de potest. Episc. alleg. 39. n. 4. & 5.

Quartò Religiosi exempti nam hi etiam si ex Pręlati sui licentia subiiciantur Episcopo, potest eos Episcopus ab iis casibus absolvere, à quibus potest suos subditos: Tùm quia Religiosi in favorabilibus veniunt nomine subditorum illius Diœcesis, in qua moram trahunt pro habitatione: Tùm quia quilibet etiam Regularis ex Prælati sui licentia, potest cedere privilegio exemptionis. Sanchez lib. 4. mor. cap. 39. num. 32. Suarez

rez disp. 30. de pœnit. sect. 2. num. 3. Diana par. 7. tract. 2. resol. 6. apud quem alii plures.

Addo ex Sanchez loc. cit. supradictos omnes ab Episcopo absolvi posse, statim ac in ejus Diœcesi habitare incipiunt, animo ibi constituendi habitationem majori anni parte: Quia in ordine ad absolutionem obtinendam fiunt subditi, statim ac incipiunt habitationem constituere animo ibi degendi majori anni parte. Utrum autem idem dicendum, in ordine ad dispensationem, spectat ad dubium sequens.

An quod dictum est superiori resolutione de conditione subditorum in ordine ad absolutionem, idem dicendum sit etiam in ordine ad dispensationem.

RESOLUTIO CXV.

AFfirmat Sanchez lib. 4. mor. cap. 37. num. 27. & lib. 3. de matrim. disp. 23. num. 12. & 13. quem citat, & sequitur Mazuchellus de cas. reserv. disp. 1. q. 3. differ. 50. §. 11. asserentes, Episcopum posse vigore Concilii Tridentini decreti dispensare in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex occulto delicto provenientibus cum iis omnibus, qui ratione habitationis acquirunt quasi domicilium, quales sunt Peregrini, Scholares, Mercatores, Milites, famuli, aliique similes, qui moram trahunt in Diœcesi animo ibi manendi majori parte anni. Quorum ratio est, quia supradicti sicut fiunt subditi illi Parocho, in cujus Parochia morantur animo manendi majore anni parte; ita etiam fiunt subditi illi Episcopo, in cujus Diœcesi existunt, quamvis firmum ibi non habeant domicilium.

Contrariam sententiam docent Suarez de cens. disp. 41. sect. 2. num. 12. Garzias de benef. par. 11. cap. 10. num. 138. Barbos. de potest. Episc. alleg. 39. num. 6. Bonac. de cens. disp. 7. punct. 1. num. 4. Riccius in praxi fori Eccles. decis. 318. quos citat, & sequitur Diana par. 7. tract. 2. resolut. 2. quibus addo Bassæum in florib. theol. pract. v. *irregularitas* num. 5. *vers. sed circa*, qui sustinent Episcopum, quamvis possit forenses absolvere à casibus Papalibus occultis, *ut superiori dubio* resolutum fuit, non posse tamen cum ipsis dispensare in irregularitatibus, & suspensionibus Papalibus, nisi firmum in ejus Diœcesi domicilium habeant. Quorum fundamentum est, quia qui non potest in principali, neque in accessorio, sed Episcopus nequit forensibus conferre ordines: Ergo neque dispensare in irregularitatibus, quæ sunt accessoriæ ad ordines.

Prior sententia ob Doctorum auctoritatem est probabilis, sed posterior videtur probabilior, quia eadem subiectio, quæ requiritur ad suscipiendos ordines, videtur requiri etiam ad obtinendam ab Episcopo dispensationem ab irregularitatibus: Tum quia pluries ita declaratum esse à Sacra Congregatione, testatur. Garzias ll. cc. de quibus si authenticè constaret, procul dubio prior opinio rueret.

An, ut Episcopus prædicta Tridentini facultate uti possit, opus sit, ut tàm ipse, quàm subditi existant in Diœcesi.

RESOLUTIO CXVI.

AFfirmativè respondet Castro Palaus tom. 1. tract. 4. disput. 4. punct. 3. §. 1. num. 12. & 13. cui subscribit Tho. Del Bene *de Offic. S. Inquis.* par. 1. dubit. 53. sect. 8. num. 4. asserentes absolutè, & simpliciter necessarium esse, ut tàm Episcopus, quàm subditi existant in Diœcesi: quia illa verba *in Diœcesi* limitant locum & absolutioni activæ Episcoporum, & absolutioni passivæ subditorum ita, ut nec ille extra Diœcesim absolvere, nec isti extra eamdem Diœcesim vigore dictæ facultatis absolvi possint.

Alii verò, ut Henriquez libr. 13. cap. 7. Rodriquez 1. part. cap. 130. Barbosa de potestat. Episcop. allegat. 39. num. 7. putant verba illa *in Diœcesi*, intelligenda esse de Episcopo, ideòque desiderari, ut Episcopus intra Diœcesim suam resi-

resideat, quia sicut illa verba *in foro conscientiæ*, decreto Tridentini adiecta, limitatoria sunt, quia vigore illorum verborum absolutio non prodest pro foro externo, ita etiam limitatoria sunt ista *in Diœcesi sua*.

Alii demùm, ut Suarez to. 4. in 3. par. disp.30. sect.2. num.3. & tom.5.de censur. disp.41. sect.2. num.11. Petr. de Ledesma tom.2. summ. tr.1. c.6. conclus.20. diffic. 1. intelligunt ea verba *in Diœcesi sua* de subditis, ut scilicèt Episcopus existens extra Diœcesim possit quidem absolvere subditum suum à casibus Papalibus occultis, si is intra Diœcesim existat, non tamen possit absolvere subditum existentem extra Diœcesim, quamvis Episcopus ipse intra Diœcesim existat. Et hęc sententia est probabilis.

Cœterùm non minùs probabile est, ea verba *in Diœcesi sua* explicanda esse erga subditos suæ Diœcesis; atque ideò posse Episcopum prædicta facultate uti, etsi tàm ipse, quàm subditi extra Diœcesim existant: Quia in iis, quæ spectant ad jurisdictionem voluntariam, quæ scilicèt exercetur in subditos volentes, cujusmodi est absolutio à casibus occultis, Summo Pontifici reservatis, jura non attendunt locum, in quo Episcopus, vel subditi commorentur, sed jurisdictionem in personas. Ita Sanchez lib. 2. mor. cap.11. num. 16. & 17. Layman lib. 1. tract.5. p.1.c.4. num. 8. Fagundez in decalog. par.2. lib.8. cap.8. num. 34. Bassæus *v.absolutio n.5. versic. de particula autem in Diœcesi*, Barb. *in remission. Concilii super hunc locum*. Diana par.7.tr.2.resol.8.& 9.& alii apud ipsum.

Utrum autem hodie Episcopus possit uti facultate per Tridentinum sibi concessa etiam in crimine hæresis in eodem conscientiæ foro, alii affirmant, alii negant. Pro qua difficultate sit sequens resolutio.

An per Bullam Cœnæ derogatum sit privilegio Episcoporum à Tridentino sibi concesso, ut possint absolvere suos subditos à crimine hæresis, aliisque casibus occultis in eadem Bulla Papæ reservatis.

RESOLUTIO CXII.

HÆc quæstio in utramque partem hucusque à Doctoribus probabiliter disputata est.

Affirmativam tuetur Suarez 3.p. tom. 4. disp.3. sect.2. Tolet. lib.1. cap. 41. Sanchez lib.2. mor. c.11. num. 27. Azor. tom. 1. lib.8. instit. mor. c.19. qu.3. Dian. p. 1. tract.5. resol.2. & par.4 tract.2. resolut.23. Quorum ratio est, quia à tempore Pii V. in fine Bullæ Cœnæ expresse habetur hęc clausula, quòd ab illis casibus nulla persona, etiam Episcopali dignitate prędita, absolvere possit prætextu cujusvis facultatis, etiam per cujusvis Concilii decreta in genere, vel in specie concessæ. In cujus clausulæ probationem afferuntur duo Sacræ Congregationis responsa: imò & Gregor. XIII. & Clem. VIII. decreta, quibus declaratur, facultatem Tridentini Episcopis ademptam fuisse, & sic hodie Episcopos non posse vi illius facultatis à casibus in Bulla Cœnæ contentis, quantumvis occultis, & multò minùs ab hæresi occulta absolvere.

Contrariam sententiam sustinent Nav. in man. cap.27. num.260. Sà v. Episcopus num.34. Fagundez præcep.2. lib. 8. cap. 9. num.32. & 33. Rodriquez tom. 1. qq. reg. q.20. art.10. Henriquez lib.13. cap.27. nu. 5. Avila de cens. p.2. cap.7. disp. 2. dub.9. Layman lib.1. tract.5. par.2. cap.5.num.2. Horum fundamentum est, tùm quia in Bulla Cœnæ non fit expressa mentio Concilii Tridentini, cujus decretis propter maximam ejus auctoritatem nunquam præsumitur derogatum, nisi de eo fiat expressa mentio: Tùm quia per Bullam Cœnæ censetur solùm prohiberi absolutio hæresis, aliorumque criminum, quando publica sunt; & sic non videtur derogari privilegio Tridentini, quod de occultis criminibus loquitur.

Sed

Sed hoc dubium, ac controversiam sustulit Sanctiss. D. N. Alex. VII. qui in Congregatione generali Sanctæ Romanæ, ac universalis Inquisitionis, habita *die 2. Octobr.* 1665. inter cœteras præpositiones hanc expresè damnavit. *Sententia asserens Bullam Cœnæ solum probibere absolutionem hæresis, aliorumque criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 19. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tollerata est.* Prohibuitque, ne quis deinceps eam defendat, edat, aut de ea publicè, aut privatim tractet sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, cujus absolutionem sibi, ac Successoribus reservavit. Et sic hodie Episcopi non possunt absolvere suos subditos à crimine hæresis, aliisque casibus in Bullæ Cœnæ contentis, etiamsi non publici sint, sed omninò occulti.

An Capitulum, Sede vacante, veniat nomine Episcopi; Ideòque eo casu exercere valeat ea omnia, quæ ex concessione Tridentini competunt Episcopo.

RESOLUTIO CXVIII.

NEgativam tuentur Alterius tom. 2. disp. 8. de susp. c. 3. Bonac. de cens. disp. 7. q. 5. punct. 1. asserentes, Capitulum, Sede vacante, non habere eam facultatem absolvendi, quam habet Episcopus, per Tridentinum sibi concessam sess. 24. de refor. c. 6. Idem, quòad casum hæresis, docent Suarez to. 4. de pœnit. disp. 30. sect. 2. num. 4. Ledesma tom. 2. summ. tract. 1. c. 6. diffic. 5.

Communior nihilominùs, & probabilior est sententia contraria, videlicèt Capitulum, Sede vacante, absque dubio venire nomine Episcopi, ipsique competere ea omnia, quæ competunt Episcopo jure communi, & jurisdictione ordinaria: Ideòque posse absolvere, & dispensare in omnibus casibus, in quibus nunc potest absolvere, & dispensare Episcopus. Quia Capitulum, dum Sedes vacat Episcopalis, succedit Episcopo in iis, quæ ad Episcopi jurisdictionem ordinariam pertinent: sicuti docent Sayrus in clau. regia lib. 6. cap. 11. num. 84. Henriquez lib. 6. de pœnit. c. 16. num. 1. Beja in respons. cas. conscien. part. 4. cas. 37. Riccius in praxi fori Eccles. res. 47. Quaranta Summ. Bullar. V. *Capitulum*. Garzias de benefic. par. 5. cap. 7. numer. 41. & alii plures, quos citat, & sequitur Barb. de potest. Episcopi par. 2. alleg. 39. nu. 16. Atqui facultas competens Episcopo ex privilegio Tridentini spectat ad jurisdictionem Episcopi ordinariam: Ergo, mortuo, vel amoto Episcopo, transit in Capitulum. Ita præter citatos Doctores Abb. in cap. *cum olim de majorit. & obed.* dub. 5. Sylv. *v. Capitulum* num. 2. Navarr. consil. 94. de temporib. ordinat. art. 1. & consil. 7. *de filiis Presbyter.* Gutt. lib. 1. qq. canonic. cap. 3. num. 10. Riccius loc. cit. resol. 305. num. 4. Quare Capitulum, Sede vacante, potest etiam dispensare in omnibus irregularitatibus, in quibus potest Episcopus, quia eo casu potest omnem ordinariam Episcopi jurisdictionem exercere. Atqui facultas dispensandi super omni irregularitate, proveniente ex delicto occulto, competens Episcopis perpetuo jure ratione dignitatis censetur ordinaria: Ergo. Ita Doctores citati, quibus addo, Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 2. Molin. de just. & jure tract. 5. disput. 11. num. 1. Panvin. de potest. *Capituli, Sede vacante*, p. 1. quæst. 5. contra Suarez de cens. disp. 48. sect. 2. num. 13.

Dices. Facultas à Tridentino Episcopis concessa competit eis jure speciali; atqui jure speciali competunt Episcopo, non transeunt in Capitulum, teste Abb. *in cap. verum de foro compet.* num. 9. Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: In Capitulum non transeunt, quæ competunt Episcopo jure speciali delegato, & sic concedo majorem: Non transeunt, quæ competunt Episcopo jure speciali ordinario, & sic neganda est minor: Hæc enim transeunt in Capitulum, Sede vacante, sicuti docent idem Abb. *in cit. cap. verum de foro compet.* num. 9. Felin. in cap.

Cùm

Cùm te de rescrip. num. 17. Henriquez lib. 6. cap. 16. numer. 1. Genuen. *in praxi Archiepisc.* cap. 67. num. 22. Atqui facultas, quæ conceditur Episcopo ex Trid. decreto sess. 24. citat. non competit jure speciali delegato, sed jure speciali ordinario: Siquidem non conceditur personæ, sed officio, vel dignitati, & in perpetuum: Quæ autem competunt Episcopo ratione officii, & dignitatis dicuntur competere de jure ordinario, ad tradita per Bartol. *in l. ambitione ff. de decret. ab Ordinario factis* num. 34. Angel. in summ. v. excommun. 5. cas. 1. num. 39. Navar. in man. cap. 27. num. 45. Felin. *in cap. final. de Offic. delegat. num.* 8. Sylv. *v. delegatus q.* 8. *dicto* 1. Covar. lib. 3. variar. cap. 20. n. 6. Henriquez lib. 6. de pœnit. c. 7. num. 3.

Neque obstat, si dicatur, quòd facultas concessa Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, quamvis concedatur officio, vel dignitati, & in perpetuum, censenda sit delegata, teste Abb. in cap. *ad absolvendam de hæretic.* num. 25. Proinde cùm facultas Tridentini in casu nostro concedatur Episcopo, tanquam Apostolicæ Sedis delegato; in Capitulum videtur transire non posse.

Respondeo enim id minimè obstare, quia facultas in Tridentino non conceditur limitativè, tanquam Apostolicæ Sedis delegato; sed conceditur absolutè, ut constat ex dicto Tridentini decreto.

Addo, nonnullos Doctores sentire, quòd facultas concessa Episcopo, tanquam delegato Sedis Apostolicæ, non sit delegata sed ordinaria, jureque ordinario ipsi competat.

Nec item obstat, etsi in dicto Concil. decreto additum sit, quòd à casu hæresis Episcopus absolvat per se, & non per Vicarium: Ergo talis facultas, Sede Episcopali vacante, non trasit in Capitulum, cum Capitulum constet ex pluribus Canonicis; ideòque per semetipsum absolvere non possit.

Nam responderi potest, per Bullam Cœnæ Domini derogatum esse privilegio Episcoporum quoad casum hęresis, ut neque per se ab eo absolvere possit; ut patet ex supra relato Alexand. VII. decreto die 2. Octobr. 1665. quæ derogatio, ac declaratio si non extaret, posset Capitulum, Sede vacante, alicui specialiter ab ipso Capitulo delegato committere, ut delinquentem à delicto hæresis absolveret.

An Archiepiscopus vigore decreti Concilii Tridentini facultatem habeat absolvendi subditos suffraganeorum ab omnibus casibus occultis Summo Pontifici reservatis, & cum iisdem dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus.

RESOLUTIO CXIX.

Affirmativè respondent communiter Doctores, Sanchez lib. 2. mor. cap. 11. numer. 6. Suarez tom. 3. de pœnit. disp. 30. sect. 2. num. 8. Sayrus in clavi reg. lib. 6. cap. 11. num. 79. Bonacina de cens. disp. 1. quæst. 3. punct. 2. num. 7. Barbos. de potest. Episc. allegat. 39. num. 19. asserentes Archiepiscopum habere potestatem absolvendi subditos Suffraganeorum, & cum ipsis dispensandi in irregularitatibus occultis, quando sibi subduntur: Quia tunc ratione officii jurisdictionem in illos ordinariam habet, atque exercet.

Sed quæres, quandonam subditi Suffraganei Archiepiscopo subdantur?

Resp. Subduntur primò, cum Archiepiscopus Diœcesim Suffraganei, jure sibi concedente, visitat. Nam eo tempore jurisdictionem ordinariam in subditos Suffraganeorum habet; tuncque ipse est illorum Superior. Provinciam autem Metropolitanus tunc solùm visitare potest, cùm justa causa suadet, in Concilio Provinciali probata, & postquàm Diœcesim suam plenè visitavit, sicuti constat ex Tridentino sess. 24. c. 3. & docet Sanchez loc. cit. n. 6.

Secundò subduntur per appellationem ad Archiepiscopum, seu Metropolitanum.

Subduntur tertiò, cùm Suffraganeus injustè, ac malitiosè absolutionem differt. In his, inquam, tribus casibus integrum

grum est Archiepiscopo Suffraganei subditos ab omnibus casibus, & censuris reservatis, sed occultis absolvere. Ita Barbosa cit. n. 19. Bonac. cit. n. 7. ex communi.

His addendum, quòd Archiepiscopus tempore visitationis potest etiam dispensare in votis subditorum sui Suffraganei; sicuti docent Avila de censuris par. 7. disp. 10. dub. 6. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 7. §. 8. num. 8.

Item potest Archiepiscopus etiam extra actum visitationis absolvere Episcopos ipsos suffraganeos à casibus in Bulla Cœnæ contentis, & cum iisdem dispensare in irregularitatibus, votis juramentis, si ad ipsum recurrant, ipsique subdantur. Suarez tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 11. numer. 3. Avila citata disput. 6. sect. 5. dub. 5. Sayrus loc. citat. Bonacina de censuris disp. 7. sect. 5. punct. 1. nu. 2. Barbosa cit. alleg. 39. n. 18.

An quando plures latæ sunt reservationis pœnæ, una dempta, omnes auferantur.

RESOLUTIO CXX.

Respondeo. Vel plures reservationis pœnæ latę sunt ab eodem Superiore, vel à diversis Superioribus, si ab eodem, una ablata, omnes tolluntur: quia hujusmodi reservationes licèt materialiter sint plures, formaliter tamen censentur unica, hoc est, unica jurisdictionis negatio, & consequenter per unicam facultatis concessionem, & absolutionem omnes tolluntur. Nomine autem ejusdem Superioris intelligi debet non tantùm, qui reservationem tulit, sed etiam qui eadem potestate fungitur, uti est Successor, & Prædecessor. Quare si Episcopus delictum aliquod reservaverit, cujus reservationem à Successore confirmatam postmodùm ipse novo edicto sibi specialiter reservet, per unicam facultatis concessionem à Successore obtentam, utraque reservatio auferetur.

Si verò plures reservationes latæ sint à pluribus Superioribus, diversam potestatem habentibus, puta ab Episcopo, & Papa, tunc planum est, facultatis concessionem ab Episcopo obtentam non sufficere ad tollendam reservationem à Papa inductam, cum reservatio Papę sit altioris potestatis, in eamque nihil juris habeat Episcopus. Unde dempta reservatione Episcopali, adhuc Papalis remanebit. Ita Navar. in man. cap. 27. nu. 261. Card. de Lugo de Sacram. pœnitent. disp. 20. sect. 8. num. 149. qui rectè notat longè diversam esse rationem reservationis Papalis, & Episcopalis simul respectu ejusdem delicti. Nam quamvis, ablata reservatione Episcopali, non tollatur Papalis, ut dictum est, benè tamen vice versa, ablata Papali, aufertur etiam Episcopalis. Unde abs re Episcopus reservaret sibi delictum absque censura, quod priùs Papa sibi reservasset, cùm à peccato Papæ reservato Episcopus non possit absolvere, & consequenter neque alteri committere facultatem illud relaxandi, sicuti docet Suarez disp. 31. de pœnit. sect. 24. num. 25.

Imò id expressè Episcopis vetat decretum Sacræ Congregationis editum jussu Clem. VIII. anno 1601. apud Stephanum Quaranta Summa Bullar. *v casus reservati* numer. 14. ne scilicèt de cætero sibi reservent casus Sedi Apostolicæ specialiter reservatos. Quod adeò verum est, ut si Episcopus priùs reservationem alicujus peccati induxisset absque censura, & postea illud ipsum Papa sibi reservaret, Episcopi reservatio omninò cessaret, eò quòd per reservationem Papalem statim intelligitur Episcopo ablata facultas absolvendi ab illo peccato. Ita Card. de Lugo loc. cit. num. 151. Suarez cit. quibus subscribit Mazuch. disp. 1. q. 3. differ. 51. num. 260.

Dixi absque censura, quia si reservatæ culpæ esset adnexa censura, videretur dispar ratio: Pro qua ponitur sequens resolutio.



An quando in patratorem alicujus delicti plures latæ sunt censuræ reservatæ, unica ablata, omnes tollantur.

RESOLUTIO CXXI.

RESpondeo. Quando plures censuræ reservatæ in patratorem ejusdem delicti latæ sunt à multis Superioribus, eamdem potestatem habentibus, uti sunt Successores, & Prædecessores, omnes per unicam facultatis concessionem, & absolutionem tolluntur. Et ratio est, quia sicut ferentes censuram eo casu, etsi materialiter sint multi, formaliter tamen in potestate, & in ordine ad inducendam obligationem, censentur unus, ita etiam latæ ab ipsis censuræ, etsi materialiter sint plures, formaliter tamen censentur unica, & potiùs videntur esse plures leges, eamdem censuram ferentes, eumdemque actum prohibentes, quàm plures censuræ & consequenter, una ablata, omnes tolluntur. Ita DD. infra citandi.

Quando verò plures censuræ reservatę latæ sunt à multis Superioribus, diversa potestate fungentibus, tot sunt censurę, & tot incurruntur, quot sunt ferentes, modò quisque censuram tulerit tanquam suam, & intenderit ferre novum jus, novamque imponere pœnam, & consequenter potest pœnitens ab una absolui, altera manente. Quare si Episcopus sententiam excommunicationis tamquam suam, & à se latam contra ingredientes septa monialium ad malum finem decernat, hæc diversa, & distincta ab ea, quæ per constitutionem Gregor. XIV. decernitur habenda erit; Quia Authores sunt diversi, neque eadem potestate fungentes, ut successores, & prædecessores; & proinde ablata excommunicatione Episcopali, non tolleretur Papalis, & è contra, dempta Papali, adhuc remaneret Episcopalis. Ita Sayrus lib. 1 cap. 10. numer. 10. Ugol. de cens. tab. 1. c. 26. §. 3. Suarez de cens. disp. 5. sect. 2. num. 13. & disput. 31. de pœnit. sect. 24. num. 25. Filliuc. tract. 11. numer. 142. ConincK de pœnit. disp. 7. dub. 6. n. 46. Bassæus in suis floribus v. *Censura* num. 28.

Dixi tanquam suam, quia si Episcopus ferret eam excommunicationem tamquam innovationem, & publicationem illius, quæ lata est per constitutionem Papalem, jam eadem cum illa censenda esset, & contrafacientes unicam tantùm excommunicationem reservatam ex unico facto incurrerent. Ita DD. præcitati, quibus addo Navar. in cap. *ita quorumdam de Iudæis notab.* 11.

An Confessario simplici ex metu mortis, vel alterius gravis mali liceat Pœnitentem absolvere casibus reservatis obstrictum.

RESOLUTIO CXXII.

NEgativè responderet Cajetan. num. 4. Nam is cùm putet omnes leges humanas obligare cum periculo vitæ, consequenter diceret inferiori Confessario non licere, ad vitandum grave malum, vel etiam mortem, violare leges Ecclesiasticas, quæ vetant sub gravi culpa, & pœna absolvere extra necessitatis casum habentem casus reservatos sine Superioris licentia: Tum quia potiùs moriendum est, quàm committere peccatum: Ergo potiùs moriendum est, quàm violare legem Ecclesiasticam, prohibentem absolutionem à reservatis, quia violatio legis Ecclesiasticæ involuit peccatum.

Resolutio tamen est in oppositum, ad vitandam mortem, vel aliud grave malum, licere Confessario simplici extra necessitatis casum pœnitentem absolvere, casibus reservatis obstrictum: Tùm quia leges humanæ, (Quales sunt etiam censuræ) licèt aliquando obligare possint cum periculo vitæ, quando scilicèt observatio legis humanę plus confert bono communi, quàm conservatio propriæ vitę, ordinariè tamen non obligant cum tanta severitate, quia observatio legis humanæ ordinariè plus non prodest bono communi, quàm conservatio vitæ sicuti supra dixi resol. 62. §. 17. & 18. leges

ges autem reservationem inducentes sunt humanæ, quia earum obligatio oritur ex voluntate, & precepto legis latoris humani: Ergo, &c. Tùm quia nemo obligatur ad impossibile: quod autem fit ex metu gravis mali, ideòque valdè difficile est, moraliter impossibile censetur. Ergo, &c. Ita Suarez de legibus lib.3.cap. 30. num.4. Vasquez 1. 2. disp. 161. cap. 2. Becanus 1.2. tract. 3. cap. 6. q.4. Layman lib.1. tract.4. cap.14. num.5. Bonac. tom. 2. disp.2. q.8. punct.2. num.6. Diana par. 5. tract. 3. resolut. 39. Sancius in select. disp. 35. num.6.

Addit Dian. ex Sancio locis citatis si metu gravis mali inferatur ab ipso pœnitente, posse Confessarium absolutionis verba proferre sine intentione, tamquam circa indispositum.

Ad rationem pro opposita sententia respondeo, cùm dicimus legem humanam non esse servandam cum vitę, vel gravis mali discrimine, nos non dicere committendum esse peccatum (hoc enim nullo modo licet) sed hoc solùm dicere, legem Ecclesiasticam reservationis, sicuti & adnexas censurarum pœnas tunc non obligare; ac proindè nullum esse peccatum absolvere in prædicto casu pęnitentem casibus reservatis obstrictum. Neque alia censetur esse mens Superioris reservantis, quàm ut reservatio cesset in tali casu.

Hinc colligitur, gesta ex metu mortis, vel alterius gravis mali regulariter excusari à culpa, & adnexa censurarum pœna, modò non sint ex obiecto, & intrinsecè mala, sed talia tantùm per positivę legis prohibitionem. Sanchez lib. 2. moral. cap.12. numer. 8. Suarez loc. cit. num. 16. Avila part. 2. de censur. cap. 6. disp.11. concl.4. & 5. Layman loc. cit. num. 8.

Unde infertur primò, licere Sacerdoti ex metu mortis, vel alterius gravis mali celebrare missam sine altari, calice consecrato, vestibus sacris, modò id non tendat in religionis contemptum. ConincK de Sacram. disp.13. dub.12. n. 103. Suarez disp. 6. de cens. sect. 3. n. 4. Layman loc. cit. num. 9.

Infertur secundò, licere, morte intentata, matrimonium contrahere cum impedimento dirimente, sine intentione tamen consumandi. Sanchez lib.7. de matrimon. disp. 5. n.4. Suarez loco cit. n. 13. Layman cit. n.9.

Infertur tertiò, ex eodem metu Sacerti licere occulto peccatori Sanctam Eucharistiam porrigere. Dian. par.3. tr. 6. res. 48. ex Suarez de Sacram. Euch. disp. 67. sect.1.

Infertur quartò, licere ob idem malum comminatum, Sacramenta conficere in materia dubia. Sanch. in select. disp. 35. n.6. & seq.

Infertur quintò, neminem teneri cum vitæ discrimine Eucharistiam, vel baptismum suscipere, quoties moraliter certus sit de contritione. Bassæus in suis florib. v. metus n. 4.

Plures casus vide apud Dian. par. 3. tr. 6. resol. 48. & 83. & Sanc. in select. disp. 35. n.6. & disp.44. n. 12.

Quid agendum Confessario, qui ob defectum jurisdictionis Pęnitentem invalidè à reservatis absolvit.

RESOLUTIO CXXIII.

Respondent aliqui, ut Jo: Valer. *de differentia utriusque fori verb. pœnitent.* diff.9. num.2. qui citat Henriq. lib.5. de pœnit. cap.2. num. 2. & seq. Confessario in proposito casu nihil esse faciendum, neque petendam à Superiore facultatem, sed in bona fide relinquendum esse pœnitentem, maximè si ignorantia laboret: Quia tali casu pęnitens ab omnibus peccatis remanet absolutus, directè quidem à non reservatis, indirectè verò à reservatis. Unde Confessarius in tali casu secundùm Valerium ad aliud non tenetur, quàm ad pœnitentiam agendam, si culpabiliter erraverit.

Verùm in hac difficultate distinctio adhibenda est. Nam vel Confessarius, qui ex defectu jurisdictionis invalidè pęnitentem à reservatis absolvit, potest sine scandalo, infamia, fractione sigilli, & gravi nocumento pęnitentem extra confessionem monere, puta ex ejus licentia,

vel non potest sine prædictis incommodis: Si primùm, Confessarius tenetur, obtenta à Superiore licentia, pœnitentem monere, ac inducere ad repetendam confessionem. Quia Confessarius obligatur consulere saluti pœnitentis, quantùm potest, ad id autem faciendum, accommodatum est medium inductio pœnitentis ad iterandam confessionem, vel saltem ad confitendum sibi peccata post confessionem invalidam commissa, in qua confessione generalem instituet Confessarius interrogationem de peccatis aliàs admissis, an doleat, quorum si saltem confusè recordetur, poterit illum directè à reservatis absolvere. Ita Tolet. lib. 3. cap. 10. num. ultim. Suarez tom. 4. disp. 32. sect. 6. numer. 6. ConincK de pœnit. disp. 8. dub. 17. num. 143. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 9. num. 6. Card. de Lugo de pœnit. disp. 22. sect. 3. Dian. par. 1. tract. 1. resolut. 60. Floron. de cas. reser. par. 1. cap. 5. sect. 10. Mazuch. loc. cit. nu. 27.

Nunquam tamen eo casu licet Confessario absolvere pęnitentem absentem; cùm absolutio sacramentalis non possit dari absenti, ut patet ex decreto Clem. VIII. quo contraria opinio, tanquam falsa, temeraria, & scandalosa damnatur. Alia verò ratio est de censuris, quarùm absolutio non solùm validè, sed interdum etiam licitè absenti, imò ignoranti, & invito impendi potest, cùm non sit Sacramentalis, sed actus jurisdictionis fori externi; ut ex communi docet Bonac. de cens. in comm. disp. 1. q. 3. punct. 6. Fill. tr. 11. c. 10. q. 6.

Si verò Confessarius non potest sine scandalo, infamia, fractione sigilli, vel gravi suo nocumento pœnitentem monere, vel ad repetendam confessionem inducere, tunc veram arbitror sententiam Valerii., Confessarium scilicèt eo casu teneri tantùm ad agendam pęnitentiam, si culpabilem commisit errorem, non autem ad pœnitentem extra confessionem de invaliditate absolutionis monendum, cùm judicium sit finitum. Ita Doctores superiùs citati, quibus addo Sanchez lib. 3. de matrim. disput. 16. q. 1. num. 3. ubi resolvit, semper frangi sigillum, quoties Confessarius cum pœnitente extra confessionem sine ejus licentia agit de auditis in confessione. Quam resolutionem extendit ad casum etiam, quo Confessarius cum pœnitente tractare vellet de essentiali errore in confessione commisso, ut in casu proposito. Quod etiam cum Sanchez docent Fagundez præcep. 2. lib. 6. cap. 4. numer. 33. Henriquez lib. 3. de pœnit. cap. 2. num. 2. Præpositus 3. par. quęst. 1. de sigill. dub. 6. Malderus tract. de sigill. cap. 4. quos citat, & sequitur Dian. par. 5. tract. 11. resol. 30. contra Suarez de pœnit. disput. 33. sect. 6. num. 6. Turrianum de pœnit. q. 11. art. 1. disp. 33. dub. 6. quorum sententiam probabilem putat Layman lib. 5. tract. 6. c. 14. num. 15.

Dixi extra, quia intra confessionem potest fieri mentio præcedentium, & præcipuè essentialis erroris in præcedenti confessione commissi, sicuti docent Henriquez Præpositus, Malderus apud Diana par. 5. tract. 11. resol. 20. & constat ex praxi Confessariorum, qui pœnitentes de recidivo arguere, absolutionemque aliquando negare solent. Quamvis contrarium sentiat ipse Diana loc. cit. cum Fagundez præcep. 2. lib. 6. c. 4. num. 33. asserentes, nunquam id licere sine expressa pœnitentis licentia, nisi de iis, quæ iterum is confitetur, vel saltem tangit. Vide Diana loc. cit. & par. 2. tr. 1. resol. 12.

Neque obstat posteriori resolutioni, quòd damnum injustè datum resarciendum sit etiam cum æquali damno ejus, qui talis damni causa extitit, & consequenter Confessarius, qui ob defectum jurisdictionis culpabiliter pœnitentem à reservatis absolvit, teneatur etiam cum gravi suo nocumento illum de invaliditate absolutionis monere. Nam responderi potest, longè gravius esse damnum, & scandalum, quod Confessario ex sua monitione imminet, quàm damnum pœnitentis, cujus peccata, à quibus se ante absolutum bona fide existimabat, per posteriorem confessionem remittentur, sicuti docet Layman l. 5. tract. 6. c. 9. num. 6. ideòque cessare eo casu obligationem monendi pœniten-

tentem. Quæ responsio locum habet, tam si Confessarius culpabiliter, quàm inculpabiliter pęnitentem absolverit.

Hìc adverte, quòd licèt præsens resolutio data sit pro eo casu, quo Confessarius defectu jurisdictionis invalidè pœnitentem à reservatis absolverit, nihilominus habet locum, quoties confessio fuit nulla ob alios etiam defectus, tam ex parte pęnitentis, quàm Confessarii provenientes: v. gr. ob essentialem defectum formæ, subjectionis pęnitentis, vel materię, hoc est, requisiti doloris, aut integræ confessionis; de quo vide Card. de Lugo de pęn. disp. 22. sect. 3.

An Confessarius teneatur monere Pœnitentem, quem validè quidem, sed illicitè absolvit.

RESOLUTIO CXXIV.

Affirmativè respondet Fernandez in exam. teol. mór. par. 4. cap. 5. §. 11. num. 3. apud Dian. par. 1. tract. 2. res. 1. Confessarium scilicèt, qui sufficienter non interrogavit pęnitentem de numero, specie, aliisque peccatorum circumstantiis, teneri eum monere de defectu commisso, si absque scandalo, vel gravi nocumento monitio fieri possit: Quia hujusmodi confessio non est integra, cùm quædam non sit debitè confessus.

Contrarium tamen est resolvendum, nempè Confessarium, qui pęnitentem illicitè quidem, sed tamen validè absolvit, regulariter ad nihil teneri, nisi ad pęnitentiam de errore commisso agendam. Monere enim extra confessionem nullo modo debet, cùm judicium sit finitum. Si tamen idem pęnitens ad confessionem rediret, utique deberet eum monere de defectu commisso ad effectum, ut talis confessio fiat integra, & absolutio non illicitè impensa. Ita Filliucius tract. 7. de confess. cap. 12. num. 374. Card. de Lugo disp. 22. de pęnit. sect. 6. num. 60. Diana loc. cit. quibus subscribit Mazuch. disp. 1. quæst. 3. diff. 53. num. 277. ubi addit, si ex culpabili Confessarii defectu pęnitens maneret in statu peccati, vel proxima peccandi occasione, tunc teneretur illum monere, dummodò sine scandalo, fractione sigilli, vel gravi suo detrimento posset. Sed hæc Mazuchelli additio vix in praxi locum habere potest, cùm vix possit dari casus, in quo ex tali monitione extra confessionem non subsit periculum scandali, vel fractionis sigilli, quod ob integri Regni nedum ob pęnitentis salutem, sine ipsius licentia, violare non licet, sicuti rectè docet. Sanctus Thomas in suppl. 3. par. quæst. 11. art. 1. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 14. num. 2. Malderus *in suo aureo tractatu de sigillo cap. 1.*

Ad quid teneatur Confessarius, qui Pœnitentem, in excipienda ejus confessione, ad restitutionem non obligavit.

RESOLUTIO CXXV.

Respondeo: Confessarius in hoc casu errorem à se commissum corrigere debet, monendo quam primùm pęnitentem de restituendi obligatione, aut revocando consilium tum in sequenti confessione, tum extra confessionem, obtenta priùs licentia alloquendi ipsum pęnitentem de auditis in confessione; sic suum corrigeret defectum; damnumque, quod tertius patitur, impediet. Ita Vasquez de pęnitent. quæst. 93. dub. 8. artic. 3. Suarez de pęnit. disp. 32. sect. 6. num. 9. Filliucius tract. 7. cap. 12. num. 374. Bass. *v. Confessarius* 5. num. 5.

Major difficultas est, quando pęnitentem Confessarius ad restitutionem faciendam non obligavit, neque posteà monuit, vel quia neglexit, vel quia commodè non potuit, aut quando dilata est monitio in tempus, quo pęnitens ob eam dilationem factus est impotens ad restituendum, an tunc ipse teneatur restituere.

Respondent P. Navar. lib. 3. cap. 4. num. 125. Angelus *v. Restitutio* num. 5. Nav. in man. cap. 17. n. 22. Confessarium qui ex Officio confessiones audit, ut Parochus, obligari in tali casu ad compensatio-

nem damni, quod per ipsius negligentiam, vel ignorantiam alteri tertiæ personæ illatum fuit, eò quòd pœnitentem ad restitutionem ipsi faciendam non obligavit. Quorum ratio est, quia sacerdos Curatus tenetur ex officio impedire, ne subditi damnum inferant, & consequenter illud ab ipsis illatum resarciant: Confessarium verò non Curatum nullam in proposito casu restituendi obligationem contrahere, cùm ex officio illud damnum impedire non teneatur.

Sed rectiùs hoc loco videtur distinguendum. Nam vel Confessarius ex culpa lata, seu ex ignorantia crassa, aut scienter dixit, vel suasit pœnitentem, ne restitueret, cùm teneretur, & tunc ipse, sive sit Sacerdos Curatus, sive simplex tenetur ad restitutionem: Quia Confessarius suo culpabili consilio, & injusta actione fuit causa positiva, & efficax damni, quod tertius patitur: ex injusta autem damnificatione oritur restituendi obligatio.

Si verò Confessarius negativè se habuit, solumque neglexit admonere, vel obligare pœnitentem ad restitutionem faciendam, tunc probabiliùs dicitur, nullam ipse restituendi obligationem contrahere: Quia licèt ex officio teneretur Confessarius benè instruere pęnitentem, ideòque graviter peccaverit contra proprium officium erga pęnitentem, non adhibendo debitam diligentiam, nullam tamen actionem injustam exercuit contra tertium, cui pęnitens restitutionem facere teneretur: Ideòque non peccavit contra justitiam, sed solùm contra charitatis legem, Religionisque virtutem ex neglectu sui muneris, ex quarum læsione constat apud omnes nullam restituendi obligationem consurgere. Siquidem hoc discrimen intercedit inter causas positivè concurrentes ad damnum injustum, mandando, consulendo, & concurrentes negativè tantùm tacendo, non obstando, quòd illæ per solum voluntarium, & efficacem concursum sint causæ morales damni; negativæ autem non ob solam voluntariam taciturnitatem censentur esse causa damni, sed insuper requiritur, ut vel ratione officii, vel antecedentis pacti, ideòque ex justitia ad impedimentum sint obligatæ. Ita Suarez de pęnit. disp. 32. sect. 6. num. 9. Sanchez lib. 1. moral. cap. 6. num. 5. Reginal. lib. 2. num. 42. ConincK de Sacram. disp. 8. dub. 17. num. 114. Layman lib. 3. tract. 4. cap. 7. num. 6. Bonacina de restit. disp. 1. quęst. 2. punct. 11. num. 12. Malderus 2. 2. tract. 5. cap. 3. dub. 24. Filliuc. tract. 7. cap. 12. nu. 375. Bass. *verb. Confessarius* 5. num. 4. Card. de Lugo disp. 22. de pęnit. sect. 3. num. 67. Diana par. 1. tr. 2. resol. 1.

An possit Confessarius simplex absolvere Pœnitentem, quem scit peccatum reservatum commisisse, illudque non esse confessum.

RESOLUTIO CXXVI.

Affirmativam sustinet Megala apud Mazuchellum de cas. res. disp. 1. q. 3. diff. 56. num. 284. cujus sententiam probabilem putat ipse Mazuch. loc. cit. Ducitur, quia pęnitens in multis casibus excusatur ab integritate materiali confessionis: Ergo in iis casibus à Confessario interrogatus potest negare se peccatum commisisse, utendo restrictione mentis, ob vitandum mendacium. Proinde Confessarius in proposito casu persuadere sibi potest pęnitentem non indignè absolutionem petere, sed justa de causa crimen reservatum in confessione reticere: Ergo potest illum ritè, & rectè absolvere.

Verùm à communi sententia non est recedendum, nimirùm quando Confessario evidenter constat extra confessionem pęnitentem commisisse reservatum, & ab ipso rogatus, negat nullo modo illi esse impendendam absolutionem. Quia pęnitens eo casu præsumitur indispositus accedere, indignèque absolutionem petere: Ergo non debet illum absolvere: alioquin Confessarius sacrilegæ pęnitentis confessioni cooperari censeretur. Ita DD. infra citandi.

Quando verò Confessarius de delitto pęnitentis reservato non est certus, aut illud sibi innotescit ex confessione complicis,

plicis, debet pęnitentem in genere interrogare, num conscientiam alicujus peccati habeat, aut etiam in particulari petere, num tali reservato crimine sit obstrictus, modò complicem non nominet, nec sit periculum, ut pęnitens in suspicionem veniat, complicem hoc ipsum in confessione aperuisse. Quod si pęnitens, tali interrogatione præmissa, delictum non fateatur, Confessarius debet illum absolvere: Tùm quia dubium in hoc casu favet pęnitenti: Tùm quia Confessarius non potest uti scientia confessionis, cum periculo detegendi peccatum complicis. Ita Graff. lib. 1. capit. 23. num. 41. Fagundez præcep. 2. lib. 6. cap 4. num. 39. Reginaldus lib. 3 nu. 29. Sancius in selectis disp. 8. num. 6. Diana p. 5. tr. 11. resol. 21.

De facultate absolvendi à censuris, & casibus reservatis vigore Bullæ Jubilei.

Quæ facultas concedatur in Iubileo.

RESOLUTIO CXXVII.

APud Judæos annus quinquagesimus dicebatur Jubileus, hoc est, annus remissionis, eò quòd eo anno juberentur ab agricultura vacare, debita remittere, fundos antiquis dominis restituere, servos libertate donare; sicut constat ex c. 25. & 27. *Levitici.* Quare ad imitationem veteris testamenti dictus est annus Jubilei, qui Romæ cum plenissima peccatorum indulgentia, magnaque jubilatione, ac solemnitate celebrari solitus fuit, olim centesimo quoque anno. Quem postea Clemens VI. ad annum quinquagesimum revocavit. Et demum Paulus II. ad annos xxv. reduxit.

Porrò aliquæ etiam plenissimæ indulgentiæ, quæ pro toto orbe cum aliis gratiis, & facultatibus, plerumque ad duas hebdomadas post promulgationem, à Pontificibus concedi solent, maximè post annum Jubileum in Urbe peractum dictæ sunt Jubileæ, de quibus vide Navar. de *anno Iubileo* notab. 1. & 4. Filliuc. tr. 8. cap. 10. qu. 1. & 2. Benzon. de *anno Iubilei* lib. 1. c. 4. & 5.

In Bulla Jubilei conceditur facultas absolvendi à censuris, & casibus reservatis, commutandi vota, quibusdam exceptis, & eligendi quemcumque Confessarium ex approbatis ab Ordinario. Per cujus facultatis concessionem Jubileum differt ab indulgentia plenaria, & plenissima, ita dicta solùm amplificationis gratia. Nam quoad remissionem pęnæ temporalis, luendæ vel in hac vita per opera satisfactionis, vel in Purgatorio per opera satispassionis, Jubileum non differt à plenaria indulgentia, per quam etiam ritè susceptam tota tollitur Purgatorii pœna, si omnium sit remissa peccatorum, etiam venialium culpa: sed in hujus concessione non solent concedi prædicta privilegia, commutandi scilicèt vota, absolvendi à reservatis, & eligendi Confessarium quemcumque ex approbatis ab Ordinario: de quo vide Tolet. lib. 6. cap 24. num. 2. Sà *v. Indulgentia.* ConincK disp. 12. num. 5. Filliuc. loc. supra cit.

Verùm quoniam in Jubileo non eadem semper conceditur facultas, sed aliquando amplior, aliquando strictior, pro voluntate, & clementia Summorum Pontificum: Idcircò impræsentiarum, & deinceps agam tantùm de facultate, quæ regulariter concedi solet in Jubileis absolvendi à censuris, & casibus reservatis.

An in privilegio Iubilei absolvendi à casibus Papalibus comprehendatur facultas absolvendi à censuris Papæ reservatis.

RESOLUTIO CXXVIII.

NEgativam sustinet Rodriquez *in Bullam Cruciatæ* §. 9. num. 44. Zerola *in praxi pœnit.* c. 15. q. 19. asserentes nomine privilegii absolvendi à casibus Papalibus non venire facultatem absolvendi à censuris Papæ reservatis. Quorum opinioni videtur adhærere Suarez de pęnit. to. 4. disp. 29. sect. 1. n. 1. Filliuc. tract. 7. cap. 10. num. 270. quatenùs docent

per reservationes Papales peccata ipsa in se reservari.

Resolutio tamen in contrariam partem deflectit, videlicet in privilegio, quod regulariter in Jubileo conceditur, absolvendi à casibus Papalibus comprehendi facultatem relaxandi censuras Papæ reservatas. Et ratio est, quia Summus Pontifex regulariter nullum peccatum suo tribunali reservat, nisi propter adnexam censuram: Ideòque reservationes Pontificiæ sistunt sola censura, qua ablata, statim peccatum desinit esse reservatum, sicuti constat ex supra dictis resolutione 5. Ita Cajet. in Summ. verb. casus. Tolet. lib. 3. c. 14. num. 4. Layman lib. 5. tr. 6. cap. 12. num. 1. ConincK de Sacramen. disp. 8. dub. 11. num. 83 Bonac. tom. 1. disp. 5. q. 7. punct. 5. §. 2. nu. 4. Graff. lib. 4. decis. aurea cap. 15. num. 3. Fagundez 2. Eccl. præcep. lib. 8. cap. 1. n. 5.

Adverte tamen aliam esse rationem de facultate absolvendi à casibus Episcopalibus, quæ non extenditur ad censuras Episcopo reservatas, nisi extensio in concessione exprimatur. De quo vide supra resolutionem 37. versic. *Quartò*. Navar. man. cap. 27. num. 26. Graff. lib. 1. decis. aurea cap. 3. n. 63. Finellius de cas. res. c. 9. n. 2.

An per generalem facultatem vi Iubilei concessam absolvendi ab omnibus casibus Summo Pontifici reservatis possit Confessarius absolvere à casibus in Bulla Cœnæ contentis, etiamsi nulla fiat mentio illius Bullæ.

RESOLUTIO CXXIX.

NEgativè respondent communiter Doctores: Tùm quia in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis in specie concessurus, ut habet regula juris. Si autem peteretur facultas absolvendi à casibus in Bulla Cœnæ contentis, ea non concederetur: Ergo &c. Tùm quia casus Bullæ Cœnæ juxta usum, & morem Ecclesiæ habent specialem gravitatem, & reservationem, ratione cujus non censentur comprehendi sub clausula generali. Unde quando in Jubileis conceduntur, secundùm stylum Romanæ Curiæ solent in specie exprimi: Ergo, non facta tali expressione, non censentur in Jubileorum Bullis, vel privilegiorum concessione sub generali facultate absolvendi à casibus Summo Pontifici reservatis contineri. Ita Suar. tom. 5. de censur. disp. 7. sect. 5. num. 11. Sanchez lib 2. mor. c. 12. num. 13. Bonac. de censur. disp. 1. quæst. 3. punct. 1. num. 12. Ugol. de cens. tab. 1. cap. 10. §. 4. n. 8. Navar. Covar. quos citat, & sequitur Graff. lib. 4. decis. aurea c. 18. n. 2. Diana par. 5. tr. 12. resol. 34.

Dixi in specie, quia si casus Bullæ Cœnæ aliquando in Jubileis conceduntur, non requiritur, ut in individuo, & singillatim exprimantur, sed sufficit specifica eorum concessio: verbi gratia, conceditur facultas absolvendi à casibus in Bulla Cœnæ contentis. Ita Graff. cit.

Utrum verò in hujusmodi generali concessione comprehendatur casus hæresis, res est in disceptatione: pro quo dubio sit sequens resolutio.

An in generali facultate in Iubileo concessa absolvendi à casibus Bullæ Cœnæ comprehendatur casus hæresis, etiamsi non exprimatur.

RESOLUTIO CXXX.

AFfirmativè respondet Fagundez præcep. 2. lib. 8. num. 52. Filliuc. tr. 8. num. 265. quia talis concessio videtur necessaria ad finem lucrandi Jubileum: aliòquin multis non satis consultum esset, pro recipiendo indulgentiarum thesauro, si eo casu auferri non posset beneficio absolutionis impedimentum heresis: tùm quia ita servari in praxi, testatur Filliuc. loc. citat. qui Romæ functus est Pœnitentiarii munere.

Sed probabilior est sententia contraria, quando scilicèt conceditur facultas generalis absolvendi à casibus Bullæ Cœnæ, non censeri comprehensam absolutionem ad hæresi, nisi speciatim explicetur. Et ratio est, quia excommunicatio ob heresim peculiarem reservationem habere solet. Unde quando Summus Pontifex eam concedere intendit, eam-

eamdem exprimit etiam post generalem concessionem casuum Bullæ Cœnę. Ita Navarrus in manuali cap. 27. num. 275. Suarez de censuris disp. 7. sect. 5. num. 11. Sanchez lib. 2. moralium cap. 12. Bonac. de censuris disp. 1. q. 3. punct. 1. num. 14. Graffius lib. 4. decis. aur. cap. 25. num. 25. Diana par. 1. tract. 1. resol. 1. qui testatur, ita habere praxim, & stylum Romanæ Curiæ, & ita fuisse declaratum à Gregorio XIII.

Verùm etsi ab hac posteriori sententia utpotè communiori non sit recedendum, nihilominùs prior etiam tum ob auctoritatem Doctorum: tum ob peculiarem finem Jubilei, non videtur improbabilis: Secus dicendum extra Jubileum, etiamsi generalis facultas concederetur, teste Vivaldo in expositione Bullæ Cœnę casu 20. num. 141. Vide, quę dixi supra resolutione 30.

Stylus autem Curiæ, quem allegat secunda opinio, fundatur in probabilitate illius opinionis, non tamen tollit probabilitatem prioris. Addo, quòd stylus Curię varius esse solet pro varietate Pontificum. Adverte tamen, quòd quoties in facultate Jubilei absolutè exciperetur casus hęresis, Confessarius hæreticum absolvere non posset, sive is esset publicus, sive occultus, & emendatus, sicut resoluit Dian. par. 5. tr. 12. resol. 53.

Cœterùm ejusmodi exceptio afficeret tantùm hęreticos, non autem eorum fautores, receptatores, &c. neque legentes, tenentes, aut imprimentes eorum libros. Proindè hi omnes virtute illius facultatis possent absolvi, quoties non essent hęretici. Nam in odiosis non est facienda extensio ultra naturalem, propriam, & strictam verborum proprietatem. Vide Sanchez lib. 2. moral. cap. 12. num. 12. Coriolan. de casibus reservatis par. 1. sect. 1. art. 5.



An potestas in Iubileo concessa absolvendi ab omnibus casibus Papæ reservatis extendatur etiam ad censuras, & casus Episcopo reservatos.

RESOLUTIO CXXXI.

AFfirmant Suarez tom. 5. de censuris disp. 7. sect. 5. num. 14. Vasquez 3. par. tract. 4. q. 92. dub. 10. num. 6. Reginal. lib. 8. num. 57. Diana par. 3. tract 4. resol. 149. Tùm quia id videtur necessarium ad finem lucrandi thesaurum Jubilei: Nam alioquin, si talis facultas non extenderetur ad casus Episcopo reservatos, complures destituti essent necessario medio, & remedio se disponendi, pro Jubilei comparatione: Tùm quia sic usu videtur receptum, ut per illam clausulam generalem, hęc etiam facultas concessa intelligatur.

Sed magis placet, & longè probabilior est opinio contraria, nimirùm quando Summus Pontifex concedit in Jubileo facultatem absolvendi à censuris, & casibus reservatis, non censeri concedere censuras, & casus, quos Episcopi Diœcesano statuto sibi specialiter reservant, nisi illorum in Bulla fiat expressa mentio. Et ratio est, tùm quia Summus Pontifex, condens aliquam legem, non intendit derogare statutis, & consuetudinibus particularibus locorum, nisi exprimat: Tùm quia Concilium Tridentinum indistinctè statuit, ut Ecclesiæ canones seruentur inter quos enumeratur, ut Episcopi possint suos servare casus. Ita Navar. in capite *quorumdam de Iudæis* notab. 11. Graffius lib. 4. decis. aurea c. 15. num. 28. Bonac. to. 1. disp. 5. q. 7. punct. 5. §. 2. num. 14. & de censur. disp. 1. quęst. 3. punct. 1. num. 10. Chapeau. de cas. res. c. 4. diff. 6. Mazuch. de cas. res. disp. 1. quęst. 4. diff. 7 num. 16. Gambarupt. de cas. reser. cap. 2. Vide supra resol. 40. & 41. ubi hæc difficultas fusiùs discutitur, & resolvitur.

An facultatis in Iubileo concessa absolvendi ab omnibus censuris, & casibus Papæ reservatis comprehendat etiam irregularitates.

RESOLUTIO CXXXII.

AFfirmativè respondent Sotus in 4. dist.22. quæst.3. art. 1. Medin. 1. 2. q.96. art. 4. Cordub. de Indulg. quæst.43. dub. 4. Salon. 2. 2. quest.64. art. 8. Bann. ibid. Fernandez, Salas Nugnus & alii apud Dianam par. 1. tract. *de Bulla Cruc.* resol. 27. asserentes irregularitates ex delicto provenientes esse censuras, & pęnas Ecclesiasticas, quæ in pęnam peccati infliguntur; & proindè dum in Jubileorum Bullis conceditur facultas Confessariis, ut absolvere possint ab omnibus censuris, & pęnis Ecclesiasticis talem facultatem extendi etiam ad irregularitates, quæ ob culpam, & delictum contrahuntur. Dicunt ex delicto, verbi gratia ex iteratione Baptismi, violatione censuræ, abusu ordinis, vel ex injusta mutilatione, aut homicidio, &c. ut excludantur irregularitates, quæ contrahuntur ex macula animæ, vel vitio corporis, vel ex defectu natalium, ętatis, aut Sacramenti: Nam irregularitates ex defectu fatentur non comprehendi sub facultate in Jubileis concessa, quippe quę tolluntur tantùm per dispensationem, non absolutionem. Proindè cùm Pontifices in suis Bullis exprimunt se non concedere facultatem dispensandi super aliqua irregularitate, intelligendi sunt de irregularitatibus provenientibus ex defectu, quæ verè, & propriè irregularitates sunt non censuræ, & tolluntur solùm per dispensationem; non verò de iis, quæ ob culpam, & peccatum contrahuntur, quæ inter censuras, & pœnas Ecclesiasticas connumerari possunt.

Verior tamen, & communior est sententia contraria, & in praxi tenenda, nempè facultatem in Jubileo concessam absolvendi à quibuscumque casibus, & censuris nullatenùs se extendere ad irregularitates ob culpam, & delictum contractas: Quia juxta Romanæ Curiæ stylum, nunquam censetur concessa facultas dispensandi in irregularitatibus, nisi illarum expressa mentio fiat: Stylus autem Curie legem inducit. Cap. *ex litteris de constit.* Quæ praxis verificatur de omnibus irregularitatibus, tàm ex delicto, quàm ex defectu provenientibus: Nulla enim irregularitas intelligitur concessa, nisi exprimatur. Cùm igitur in Jubileis concedatur tantùm potestas absolvendi à casibus, & censuris reservatis, eà non debet extendi ad irregularitates, cujuscumque generis illæ sint, quæ juxta supra relatum Romanæ Curiæ stylum, dispensatione, non absolutione tolluntur.

Accedit, quòd dispensatio in irregularitate non est necessaria in foro pœnitentiæ, neque ad finem Jubilei; cùm ab omnibus peccatis absolvi quis possit, absque eo quòd tollatur irregularitas. Ita Navar. man. cap.27. num. 254. Tolet. lib.1. cap.43.num.11. Suarez de cens.disp. 40. sect.3. num. 3. Sayrus lib. 7. cap. 14. n. 1. & 2. Filliuc. tractat.11. cap.1. quest. 4. Bonacina de cens. disp. 7. q. 5. punct. 2. n. 8. Graff. de cas. reserv. lib.2. cap.27. num. 35. Bassęus in suis florib. *verb. irregularitas* 9. num.11. Dian. cit. par. 1. tractat. *de Bulla Cruce*, resolut. 27. & alii plures apud ipsum.

An Confessarius possit absolvere Pœnitentem, qui commisit peccatum reservatum in confidentiam Iubilei.

RESOLUTIO CXXXIII.

ANte responsionem pręmittendum est, eum dici peccare in confidentiam Jubilei, sive privilegii, cui principale motiuum lapsus est Jubileum, seu privilegium certo tempore concessum, ita ut non tàm fragilitas, vel tentatio gravis, quàm spes absolutionis obtinendæ vigore Jubilei sit occasio, & causa peccatum committendi. Ita Bordonus in consil. reg. ref.3. num. 32. Bassęus in suis

floris.

florib. *v.Jubileum*, num. 5. ex Sanch. lib. 4. moral. c. 54. n. 18.

Responsio igitur ad dubium est affirmativa, nempè Confessarium absolvere posse pęnitentem, qui intra Jubilei tempus commisit peccatum reservatum, verbi gratia, incestum, vel contraxit censuram reservatam in confidentiam Jubilei, modò pęnitens intentionem habeat pręstandi opera, quę pro comparando Jubileo sunt præscripta: Et ratio est, quia toto eo tempore durat Jubilei privilegium absolvendi à reservatis, neque illud amittitur ob peccatum commissum ex incentivo concessi privilegii, vel facilitate obtinendi veniam. Ita Sanchez cit. lib. 4. mor. cap. 54. num. 18. Graff. lib. 4. decis. aur. cap. 15. num. 10 Henriquez lib. 3. cap. 16. & lib. 7. cap. 65. num. 6. Reginal. lib. 8. num. 34. Sà *v. Indulgentia* n. 19. Filliuc. tract. 8. num. 262. Floronus de cas. reserv. par. 1. cap. 4 §. 3. numer. 22. & 23. Lupus de cas. reser. par. 1. dist. 21. diff. 3. num. 2.

Addo ex Diana par. 1. tract. 7. resol. 33. pęnitentem non teneri illam circumstantiam in confessione exprimere, quòd scilicèt peccaverit in confidentiam Jubilei.

Verum tamen est, quòd si in Jubileo, vel alio privilegio à Pontifice pro absolutione à reservatis concesso, exciperetur casus, cùm quis peccatum commisit in confidentiam privilegii, nullatenùs privilegium suffragaretur iis, qui ex confidentia, sive occasione privilegii libentiùs, & liberiùs se pręcipitarent in casus reservatos. Vide Sanchez, Dianam, & Basseum ll. cc.

An absolutio à censuris tempore Jubilei collata, non satisfacta parte, sit valida.

RESOLUTIO CXXXIV.

SUpponendum tanquam certum, quando in Jubileo, aliovè privilegio conceditur facultas absolvendi ab excommunicatione, aliavè censura sub hac, vel simili forma, *non possit absolvere, vel aliter non possit dari absolutio: vel nullius sit roboris, nullius momenti: vel non suffragetur absolutio;* nisi prius satisfacta parte, tunc satisfactionem requiri tanquam necessariam conditionem, limitantem potestatis: Ideòque absolutionem absque tali forma impensam invalidam existere, modò pęnitens ejusmodi satisfactionem sine gravi incommodo pręmittere possit. Ita Graffius libro quarto decis. aurea capite 15. numero 6. Layman lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 6. num. 8. *versic. secus si cum limitatione*. Bassæus *in florib. v. absolutio* n. 16.

Difficultas est, quando in Jubileo, aliovè privilegio dicitur tantùm, *satisfacta parte, vel de consensu partis*, an satisfactio requiratur tanquam conditio necessaria, limitans potestatem, ita, ut absolutio irrita existat, tali forma non observata.

Affirmat Cajetanus *v. absolutio*. Sayrus de censura libro secundo capite decimo octavo numero decimo Filliucius tomo primo tractatu undecimo capite nono numero 295. ConincK de Sacrament. disputatione decima quarta dubio decimo sexto numero ducentesimo decimo quinto. Quorum ratio est, quia concessio illa censetur conditionata, si non formaliter, saltem æquipollenter: Nam ablatiuus absolutus, *satisfacta prius parte*, habet vim conditionis, & formę essentialis, qua non servata, irrita existit absolutio.

Sed contrarium est valdè probabile, & fortè probabilius, quòd absolutio in proposito casu, ante satisfactionem impensa, etsi non licita, tamen valida sit, & firma: Quia hujusmodi clausulę non censentur novam formam inducere, aut jurisdictionem limitare, sed tantùm admonent Confessarium, ne quem censura irretitum absolvat, non pręmissa satisfactione, quę spectato jure communi, ante absolutionem est pręmittenda. Si tamen Confessarius, (& idem est de Commissario, sive delegato, licèt contrarium sentiat. Thom. Del Bene *de Offic. S. Inquis.* p. 1. dubit. 66. sect. 2. numer. 6.) non sine culpa eam exigere negligat, valebit nihilominùs absolutio, eo vel maximè quòd Jubileum, cùm sit gratia, latè in-

interpretari convenit, teste Layman loc. cit. *vers. Quòd si verò*. Quę doctrina vera est, nisi in privilegio addita sit particula, seu clausula expresse absolutionem irritans, juxta supradicta. Ita Sanchez lib. 3. de matrim. disput. 33. num. 3. & lib. 2. mor. cap. 13. num. 34. & 35. Avila de censur. par. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 9. conclus. 2. Bonacina de cens. disput. 1. quęst. 3. punct. 9. Layman cit. Bass. in suis florib. *v. Absolutio*, num. 26. Dian. p. 5. tract. 9. res. 12. Vide quę diximus in resol. 91.

Adverte hic, quòd nomine partis intelligitur ea persona, cui irrogata fuit injuria per illud delictum, cui adnexa est censura. Bonacina cit. punct. 9. Aliquando tamen venit etiam bonum commune, verb. gr. Fidei, Religionis, seu Sanctum Tribunal, ut in casu hęresis. Nomine verò satisfactionis, intelligitur restitutio honoris, famę, bonorum fortunę, aut etiam reparatio jacturę Religionis. Vide Dian. & Bonacina ll. cc.

Quid autem si pęnitens laboret impotentia, mox dicam.

An quando absolutio à censuris in Iubileo conceditur cum limitatione satisfactionis, possit absolvi Pœnitens, qui detinetur impotentia.

RESOLUTIO CXXXV.

Respondeo Confessarius, qui vi Iubilei habet jurisdictionem absolvendi à censuris cum limitatione satisfactionis, potest absolvere pœnitentem, qui parti læsæ non potest satisfacere, aut qui non potest satisfacere sine gravi detrimento famæ, vel status, aut bonorum jactura. Hæc enim difficultas æquiparatur impotentiæ. Quæ resolutio intelligenda est, modò creditor, æquale damnum non patiatur: Quia in pari causa prior est conditio creditoris, quàm debitoris, excepta necessitate extrema, in qua melior est conditio possidentis, teste Layman libro 3. tract. 2. par. 1. cap. 12. num. 2. Ratio resolutionis est, quia benignè accipienda sunt privilegii verba, ut Superior nolit obligare pœnitentem ad impossibile. Ita Navar. man. capite 27. num. 37. Sanchez lib. 2. moral. cap. 20. num. 19. Suarez de censur. disp. 7. sect. 5. num. 41. Avila de cens. par. 2. cap. 7. disput. 3. dub. 9. conclus. 2. Reginald. lib. 9. num. 65. Bonac. de cens. disp. 1. quęst. 3. punct. 9. num. 4. Bassæus in suis florib. *v. Absolutio* n. 27. Layman lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 6. num. 8. Vide supra resol. 90.

Non placet tamen, quod docet idem Bassæus loco citato allegans Suarez, & Reginald. eum, qui dubitat se teneri ad satisfactionem, posse quidem in foro externo absolvi ante præmissam satisfactionem, eò quòd in foro externo nullus solvere cogatur, antequam monstretur esse debitor, ut habet *regula iuris*, non tamen in foro interno, ubi illam regulam censet non procedere. Ego verò puto etiam in foro interno posse absolvi ante præmissam satisfactionem, quia supra allegata juris regula, quæ in foro externo usurpatur, quòd scilicèt nemo solvere cogatur, antequam monstretur esse debitor, etiam in animæ judicio locum habet, teste Layman libro primo, tractatu 1. capitulo 5. num. 31.

Accedit quòd factum in dubio pręsumi non debet. Proindè quoties pœnitens dubius sit, an aliquem in honore, fama, aut fortunę bonis lęserat, durante, & non deposito tali dubio, potest absolvi, nulla pręmissa satisfactione, modò paratus sit animo ad satisfaciendum, cùm sibi moraliter de debito constiterit. Ita colligitur ex Lessio lib. 2. cap. 10. dub. 6. num. 39. Soto lib. 4. de justit. q. 7. art. 2. Layman cit.

An

An possit quis vi Iubilei à censuris reservatis extra sacramentalem confessionem absolvi.

RESOLUTIO CXXXVI.

NEgativè respondent Zeccus de Sacram. pęnit. c.19. Cordub. in Sum. quęst.19. Sayrus in claui reg. lib.5. cap.60. num.10. Suar. in 3. par. to.5. disp.7. sect.5. num.35. Zerol. in praxi Episcop. par.2. *v. Absolutio* §.1. Filliuc. to.1. tract.11. cap. 9. num.94. Homobon. de Exam. Ecclesiast. quæst.35. & alii absolutè asserentes, quotiescumque in Jubileo conceditur facultas absolvendi à censuris reservatis hujusmodi absolutionem in sacramentali confessione esse impendendam: idque multò magis procedere, quoties in Bulla apponuntur hæ clausulæ, *auditis confessionibus*, *vel in foro conscientiæ*, quę regulariter solent apponi, ex quibus deducitur, talem facultatem concedi tantùm in ordine ad bonam animæ dispositionem.

Cœterùm non minùs probabile est, absolutionem à censuris virtute Jubilei extra sacramentalem confessionem impendi posse, quamvis in Bulla dicatur, *auditis confessionibus*. Nam ea clausula refertur ad absolutionem à peccatis, non verò à censuris. Unde Confessarius, qui virtute Jubilei facultatem habet absolvendi à censuris in foro conscientiæ, potest illam absolutionem impendere extra Sacramentum pęnitentiæ, & consequenter non præmissa absolutione à peccatis: Aliud enim est forum conscientiæ, aliud forum Sacramenti pęnitentiæ: nam forum pęnitentiæ dicitur, in quo sub sacramentali sigillo fit peccatorum confessio, & impenditur sacramentalis absolutio: forum verò conscientiæ, in quo fit quidem occultum animę judicium, sed non sub sacramentali sigillo: neque impenditur sacramentalis, sed tantùm judicialis absolutio. Quinimò etsi, aliquibus videntibus detur absolutio quoties tamen confertur sine testibus, & forma judicii, adhuc dicitur in foro conscientię impensa absolutio: Sicuti docent Navarrus libro quinto consil. de sententia excommunicat. consil. 15. Sanchez lib.8. de matrimonio disput.34. numer. 29. Avila de censuris par.2. cap.7. disput.3. dub.13. Rodriquez quæst. regul. quęst. 61. art. 10. Diana par.3. tract.5. resol.25. Vide supra resol.51.

Cùm igitur in Jubileis regulariter concedatur facultas absolvendi *in foro conscientiæ*, per illam clausulam satis ostenditur absolutionem à censuris impendi posse extra Sacramentum pęnitentiæ; nam absolutio tantùm in foro pęnitentię prærequirit sacramentalem peccatorum confessionem, non autem in foro conscientię.

Accedit, quòd Jubileum, cùm sit gratia, & privilegium Principis, latissimè est interpretandum. Quare si pęnitens tempore Jubilei non sit paratus pro recipienda statim absolutione à peccatis, ratio autem, vel necessitas suadeat, ut absolutio à censuris non differatur, licebit Confessario pęnitentem absolvere extra Sacramentum pęnitentiæ. Ita pręter Doctores citatos Covarruvias in cap. alma par.1. §.11. num.10. & 16. Coninck de Sacram. disp.14. dub. 16. num.253. Tabie, *v. absolutio* 2. quæst. 4. num.7. Alphonsus de Leo *de offic. & potest. Confess. tempore Iubilei* quęst. 6. num. 66. Mazuch. de cas. reser. disp.1. quęst. 4. diff. 9. n. 32. Bassęus in suis florib. *v. absolutio* n.22.

Hinc deducitur tempore Jubilei vota commutari posse extra Sacramentum pęnitentiæ: nullo enim jure pręscribitur, commutationem votorum faciendam esse in sacramentali confessione, cùm non sit materia necessaria Sacramenti pęnitentiæ. Sicut ex communi docet Sanchez lib.4. moral. cap.54. num. 17. & lib.8. de matrim. disp.16. n.11. Henriquez lib.7. cap.10. num.4. Diana par.6. tract.12. resol.50.

Unde Religiosi privilegiati possunt uti hac facultate commutandi vota etiam extra Sacramentum pęnitentiæ, cùm id ratio, vel necessitas postulaverit. Ita Sanch. cit. & Crousers quos citat, & sequitur Bassæus in suis florib. *v. votum* 6. num.

num.14. contra Sayrum in clau. reg. lib.6. can.12. num.105. Rodriq. 2. par. cap.101. num.6.

Eadem potestas extenditur ad dispensationem circa matrimonii impedimenta vi commissionis factę per litteras sacrę Pœnitentiarię, quam dispensationem, non obstante illa clausula, *in sacramentali confessione*, *vel audita sacramentali confessione*, in iisdem literis apponi solita, posse fieri extra sacramentalem confessionem, resolvit idem Sanchez lib.8. de matr. disp.34. num.30.

Imò Confessarium, qui habet facultatem absolvendi à censuris reservatis in foro pœnitentię tantùm, posse absolvere extra Sacramentum confessionis, quoties absolutio cadit supra materiam, ad quam per se non requiritur absolutio sacramentalis, docet Suarez tom.2. relig. tract.6. cap.16. num.4. Sanchez cit. disp. 15. num.25. Tabien. *v. Absolutio* 2. quęst. 4. num.6. Diana par.4. tract.4. resolut. 8. Basseus in suis florib. *v. Absolutio* num. 22. Vide, quę dixi supra resolutione 51. & 92.

An Pœnitens, qui tempore Iubilei ex oblivione inculpabili omittit aliquod reservatum confiteri, liber remaneat à reservatione.

RESOLUTIO CXXXVII.

RESponsio communis est affirmativa, pœnitentem in proposito casu liberum manere à reservatione, ita, ut transacto Jubileo, possit peccatum oblitum cuicumque simplici Confessario confiteri. Et ratio est, quia Confessarius censetur hìc, & nunc velle pœnitentem absolvere, quantum licitè potest, & pœnitens indiget, & consequenter reservationem tollere. Ita Sylvest. *v. Confessio* 1. quęst. 4. Sanchez lib. 4. moral. cap.54. num.45. ConincK de Sacram. disp.8. dub. 12. Graff. lib.4. decis. aurea cap.15. num.5. Filliucius tract.7. num.310. Bonacina de pœnit. disp.5. quęst.7. punct.5. §.5. num.8. Card. de Lugo disp.20. de pœnitent. sect. 7. num.104. Dian. part.1. tract.11. resol.29. Vide quę dixi supra resolutione 66. de pęnitente, qui fuit absolutus extra tempus Jubilei ab habente facultatem circa reservata.

Quæ resolutio procedit, etiamsi pęnitens expressè absolutionem à reservatis non petat: Nam quamvis explicitè non petat, censetur tamen interpretativè petere: Quia ideò venit ad Confessarium, ut quantùm fieri potest, à peccatis omnibus liberetur, & si recordaretur se esse reservatis obstrictum, omninò absolutionem peteret. Vide Dianam loc. cit. & par.4. tract.4. resol.124.

An qui confessus est animo lucrandi Iubileum, si postmodùm illud culpabiliter non lucretur, adhuc liber maneat à reservatione oblitorum.

RESOLUTIO CXXXVIII.

NEgant Sotus in 4. dist.21. q.4. Faustus de Iubileo lib.4. q.134. Quorum sententiam probabilem putat Suarez de pœnit. disp.31. sect.4. n.32. Hujus sententiæ fundamentum est, quia privilegium absolvendi à reservatis conceditur in ordine ad lucrandum Iubileum: & quamvis peccata reservata tempore Iubilei clavibus submissa, non maneat ampliùs reservata etiamsi posteà pœnitens non lucretur Iubileum, tamen peccata oblita, quia adhuc sunt subiicienda clavibus, videntur eo casu manere in suo priore statu, & sic pœnitens, effluxo Jubilei tempore, à quocumque Confessario non poterit absolvi.

Verùm sententia contraria videtur plausibilior, & satis tuta in praxi, nempè eum, qui habens animum lucrandi Jubileum, à reservatis fuit absolutus, si postmodùm illud culpabiliter non lucretur, adhuc à reservatione oblitorum liberum manere. Et ratio est, quia Confessarius absolvens virtute Jubilei censetur absolvere, quantùm potest, & pœnitens indiget, ut dubio superiori resolutum fuit: Et consequenter si pœnitentem Confessarius directè non absolvat à culpa, eum saltem liberat à reservationis pœna: Ita Sanchez lib.4. moral. c.54. num.

num.45. Henriquez lib.7. cap.11. num.3. Graff.lib.4. decis.aurea cap.15.num.5. Coriol. de cas.reser. par.1. sect.3. cap.17. n.2. Mazuch. de cas.reser. disp.1. quæst.4. diff. 15. num.55. Dian. par.3. tract.4. resol.145. & alii apud ipsum. Quam doctrinam, ac resolutionem extendunt nonnulli ad commutationem etiam votorum oblitorum: Quod an verum sit, mox examinandum.

An qui sacramentalem confessionem instituit animo comparandi Iubileum, si postmodum illud ex sua culpa non obtineat, possit nihilominus votorum oblitorum commutationem petere.

RESOLUTIO CXXXIX.

AFfirmativè respondent aliqui, ut Alphonsus de Leone de Jubileo par.2. num.203. apud Dianam par.5. tract.11. resol.41. Cujus ratio est, quia sicut in proposito casu potest aliquis à reservatis oblitis absolvi, ut superiori dubio resolutum fuit, ita & votorum oblitorum commutationem petere: Eodem enim modò conceditur privilegium obtinendi commutationem votorum, sicut & absolutionem à reservatis.

Contrarium probabiliùs docet Sanch. lib.4. moral. cap.54. num. 51. Filliucius tom.1. tract.8. cap.10. num.279. Mazuch. de cas.reser.disp.1. quæst.4. diff.15 *Versic. Ego verò*. Bossius de Jubileo sect.2. casu 45. & alii, quos citat, & sequitur Dian. cit. Rationem disparitatis assignat idem Sanchez, & Dian. Quia per confessionem factam animo comparandi Jubileum pœnitens acquisivit jus, seu privilegium, ut possit à reservatis per quemcumque Confessarium absolvi, non tamen acquisivit jus, ut possit petere commutationem voti, quia jus, & privilegium commutationis votorum acquiritur tantùm per Jubilei consecutionem, qua consecutione deficiente, deficit etiam privilegium petendi commutationem voti obliti. Quæ resolutio procedit, etiamsi tempore Jubilei relaxationem obtinuisset alicujus voti. Sanchez loc.cit. num.52.

An quando Pœnitens confitetur habenti facultatem absolvendi à reservatis virtute Iubilei, sed confessio advertenter, & culpabiliter fuit invalida, liber remaneat à reservatione.

RESOLUTIO CXL.

NEgativam sustinent Suarez de pœnit. disp.31.num.22. Filliuc. tom.1. tract.8.cap.6.num.149. Alphonsus de Leone tract. de Jubileo par.2. quæst.13. n.205. Layman lib.5. tract.7. cap.8. num.9. Reginald. lib.8. num.63. Coriol. de cas. reser. par.1. sect.2. art.18. Floron. de cas. reser. par.1. cap.4. § 9. num.3. Lupus de cas. reser. par.1. dist.21. art.2. diff.1. num.4. Nam quamvis isti Doctores concedant eum, qui extra Jubilei tempus confitetur habenti facultatem ordinariam, vel delegatam absolvendi à reservatis, remanere liberum à reservatione peccatorum in confessione expressorum, etiamsi confessio ex defectu integritatis, vel doloris fuerit invalida, eò quòd pœnitens comparendo coram Superiore censetur fini reservantis legis satisfecisse, ut fusiùs dictum est supra resolutione 68. Id tamen negant de confessione invalidè facta culpabiliter tempore Jubilei. Fundamentum illorum est, quia favores absolvendi à casibus, & censuris reservatis tempore Jubilei conceduntur in ordine ad consecutionem Jubilei, sed qui scienter confessionem irritam facit, Jubileum non consequitur: Ergo nec frui potest favoribus obtinendi absolutionem à casibus, & censuris reservatis.

Si tamen confesſio esset tantùm informis, non verò invalida, fatentur, pœnitentem à reservatione liberum manere; cùm informis confesſio sit verum Sacramentum, quamvis suo effectu, hoc est, gratia destitutum. Ita Suarez loc.cit.

His tamen non obstantibus, affirmativa sententia videtur satis probabilis, & tuta in praxi, imò indubitata quantùm ad

ad casus ratione censuræ reservatos, quam censuram certum est omninò tolli, quantumvis sacramentalis à peccatis absolutio irrita existat, dummodò pœnitens habuerit animum lucrandi Jubileum, quia absolutio à censuris non pendet ab absolutione à peccatis: ideòque validè potest extra sacramentalem Confessionem impendi. Ita Henriquez lib.7. cap.11. Bonacina disp.5. q.7. punct. 5. §. 5. num.9. Bassæus in suis florib. *v. cas. reserv.* num. 29. *versic. mihi tamen*. Tabien. *v. confess.2.* §.16. Card. de Lugo disp.20. de Sacram. pęnit. sect.7. n.112.

Quantùm verò ad casus reservatos, non apparet quomodo per absolutionem sacramentalem invalidè receptam, reservatio tolli non possit vigore facultatis per Jubileum concessæ, si pęnitens intentionem habeat iterum validè confitendi ante finem hebdomadæ, cęteraque præstandi in Bulla præscripta, ad finem lucrandi Jubileum. Quia potestas absolvendi à reservatis, vigore Jubilei concessa non est conditionata, sed absoluta saltem in foro conscientiæ: Ergo non obstante, quòd absolutio ut sacramentalis sit invalida, valida tamen esse potest, quantùm ad tollendum inductæ reservationis onus. Tùm quia sicut Confessarius, ex facultate delegata absolvens, tollit reservationem peccati, etiamsi confessio culpabiliter sit invalida, ita etiam absolvens vigore Jubilei, etsi aliquando propter indispositionem pęnitentis non tollat culpam, censetur tamen tollere reservationem: nulla enim apparet disparitatis ratio.

Accedit, quòd ut absolutio, in ordine ad tollendum reservationis onus, sit valida, satis est, si detur in foro sacramentali; sed datur in foro sacramentali, etiamsi absolutio sacramentalis sit invalida: Ergo, &c. Non enim forum sacramentale tunc tantùm est, cùm absolutio sacramentalis est valida, sed cùm pęnitens, & Confessarius conveniunt ad conficiendum pęnitentiæ Sacramentum, etiamsi Sacramentum ex defectu pęnitentis contingat esse invalidum. Ita prętor Doctores supracitatos Armilla *v. cas. reserv.* num. 4. Cajetan. eodem verb. in calce. Sylvest. *v. Confessio* 1. num. 2. Comitolus in respons. moral. lib.1. quęst 30. Præpositus de pęnit. quęst.9. dub.4. n. 24. Diana par.1. tract. 11. resol. 18. & par. 4. tract.4. resol.124. quos citat, & sequitur Bassæus in suis floribus, cit. numer.29. quibus addo Mazuchellum de cas. reser. disp.1. quęst.4. diff.23. num.91. An autem consequenter loquatur ad ea, quæ docet diff.13. numer.45. aliorum judicio relinquo. Vide Card. de Lugo citata disp.20. de pęnit. sect.7. num.112. & 113. ubi tamen excipit casum, quo confessio esset invalida ex defectu integritatis circa reservata: putat enim eo casu peccata dolosè tacita, vel culpabiliter omissa remanere adhuc reservationi obnoxia. Quæ exceptio licèt sit plausibilis, cùm sit Doctoris non minùs dignitate, quàm doctrina Eminentissimi, non tollit tamen probabilitatem posterioris sententiæ absolutè positæ. Vide Henriquez, Comitolum, Dianam, Bassęum locis citatis.

An qui tempore Iubilei ex oblivione non petiit commutationem alicujus voti, si deinde, transacto Iubileo, illius recordetur, adhuc possit commutationem petere, & obtinere.

RESOLUTIO CXLI.

NEgant Suarez lib. 6. *de voto*, c.16. num.14. & 15. Bonacina tomo 2. disput.4. q.2. punct.7 §.2 num.14. Beja 2. par. casu 9. Quorum ratio est, tùm quia transacto Jubilei tempore, Confessarius simplex caret jurisdictione ad commutationem votorum necessaria: tùm quia vovens non obtinuit generalem commutationem votorum, sicuti obtinuit generalem absolutionem peccatorum.

Difficultas tamen in contrariam partem resolvitur, nempè eum, qui tempore Jubilei præstitit opera ad lucrandum Jubileum necessaria, sed ex oblivione commutationem voti ante illius consecutionem emissi non obtinuit, posse adhuc Jubileo transacto, sive ab eodem Confessario, sive ab alio ex approbatis

ab

ab Ordinario commutationem petere, & obtinere. Et ratio est, quia eo ipso, quòd quis debito tempore implevit opera ad comparandum Jubileum necessaria, acquisivit jus, seu privilegium, ut possit à quocumque Confessario petere, & obtinere commutationem voti ante Jubilei consecutionem emissi. Nam quamvis privilegium lucrandi indulgentiam Jubileam, ipsaque opera pro ejus consecutione præscripta, sint certo tempori alligata, & adstricta, ita ut eo transacto, indulgentia obtineri, ipsaque opera in ordine ad eam præstari ampliùs non possit: privilegium tamen obtinendi commutationem votorum, sicut & absolutionem à reservatis oblitis non est certo tempori adstrictum: & propterea is, qui lucratus est Jubileum, potest uti tali privilegio obtinendi commutationem voti ante illius consecutionem emissi, etiam post effluxum tempus Jubilei. Ita Sanchez lib.8. de matrim. disp.25. num.17. & lib.4. moral. cap.54. num.39. Sà de indulg. num.14. Henriquez lib.7. cap.11. num.4. Bassæus in suis florib. *v. votum* 6. num.13. Dian. par.5. tract.12. resol. 40. Escobar in exam. Confessar. tract. 7. exam. 5. cap. 8. casu ultimo.

Major difficultas est de eo qui durante tempore Jubilei, noluit petere commutationem voti, utrum, eo transacto, possit adhuc eam obtinere. Pro quo dubio sit sequens resolutio.

An qui tempore Iubilei memor emissi voti noluit commutationem petere: possit adhuc post transactum Iubileum, mutata voluntate, illam petere, ac obtinere.

RESOLUTIO CXLII.

PArtem negativam tuentur Suarez, Bonacin. Beja *præcedenti resolutione* pro negativa sententia citati, quos etiam citat, & videtur sequi Bassæus in suis florib. *v. votum* 6. num.13. quia is tali casu censetur renunciasse privilegio commutationis voti, vigore obtenti Jubilei sibi aquisito, & consequenter, transacto jubilei tempore, integrum sibi non esse eo uti.

Verùm non obstantibus, adhuc probabiliter sustinetur, eum qui durante Jubilei tempore, voluntariè non curavit, vel etiam noluit votorum, quibus obstrictus erat, commutationem petere, posse adhuc post transactum Jubileum, mutata voluntate, illam petere, ac obtinere, modò consecutus sit Jubilæum, hoc est, præstiterit opera ad Jubilei consecutionem necessaria. Ratio est eadem, quam superiori Resolutione attulimus, quia privilegium obtinendi commutationem voti non est alligatum tempori, sed perpetuum pro omnibus casibus, & votis, quibus pœnitens ante consecutionem Jubilei erat obstrictus licèt semel noluerit uti privilegio sibi acquisito, potest tamen, mutata voluntate, quandocumque sibi libuerit, adhuc illo uti, dummodò interim votum non confirmaverit.

Neque propterea quòd is tempore Jubilei noluerit uti privilegio, censendus est amisisse privilegium, quia ad amissionem privilegii duo copulativè requiruntur, nempè renunciatio ex parte ejus, qui privilegium obtinuit, & acceptatio ex parte ejus qui illud concessit. Licèt igitur in hoc casu voto obstrictus videatur ex parte sua tacitè renunciasse Iubilei privilegio; quia tamen ejusmodi renunciatio non fuit à Superiore concedente acceptata: idcircò poterit ille, mutata voluntate, etiam post effluxum Iubilei tempus, tali privilegio uti; sicque voti commutationem petere, ac obtinere. Ita Henriquez lib. 7. cap. 11. n. 4. Dian. par.2. tract.2. resolut.9. & par.5. tr. 12. resolùt. 40. Escobar Summ. Theolog. moral. tract.7. capit. 8. de indulg. cas. ultim. Mazuchell. de cas. reserv. disput. 1. quæst.4. diffic.14. num.53. Sanchez lib. 4. moral. cap.54. numer.40. & lib.8. de matrim. disp.32. num.6. Ubi ex eodem fundamento resolvit, si duo consanguinei post obtentam dispensationem simul contrahendi, alter aut uterque aliis nuptiis copulentur, vidui postea effecti, posse eos vi prioris dispensationis inter se

se matrimonium contrahere, minimè obstante tacita illa renunciatione per transitum ad alias nuptias inducta, quippe quæ non fuit acceptata à concedente. Quæ ratio procedit etiam in nostro casu: Nam per concessionem Iubilei ablata est voti reservatio, quæ non potest dici revixisse ob renunciationem illam Jubilei privilegii, tacitè factam in ea mutatione consilii: cùm talis renunciatio verè non fuerit acceptata à concedente, ut supponitur: Ergo, &c. Consule etiam Pelliz. in tract. de monial. c.4. n. 50.

Dixi dummodo post Iubilei consecutionem votum non confirmaverit: nam si illud ratificasset, non posset deinde illius commutationem petere; eò quòd ejusmodi confirmatio perinde sit, ac nova quædam voti emissio, cujus commutatio non caderet sub privilegio Iubilei jam obtenti. Vide Sanchez loc. citat.

An qui obtinuit Iubileum in prima ex duabus hebdomadis, possit illud rursus acquirere in secunda; & consequenter si in casus, & censuras reservatas reincidat antequam elabatur posterior hebdomada, possit adhuc absolvi.

RESOLUTIO CXLIII.

Negativè respondent Sanchez lib. 4. mor. c.54. num. 30. Suarez tom. 2. de relig. lib.6. c.16. num. 17. Bonac. to. 1. disp. 5. q. 7. punct. 5. §.2. num. 17. & alii. Fundamentum est, tùm quia in Iubileis, quæ hoc tempore concedi consueverunt, facultas lucrandi Iubileum conceditur sub forma disiunctiva, in prima scilicèt, vel secunda hebdomada, non verò copulativè, aut indefinitè: Tum quia in forma concessionis Iubilei dicitur. *Hac vice tantùm*; idest una vice in una, vel altera hebdomada: Ergo qui semel Iubileum, & absolutionem à reservatis obtinuit in prima hebdomada, non poterit rursus obtinere in secunda. Denium quia ita declaratum esse à Sacra Congregatione, ut semel tantum Iubileum aquiri possit, refert Polachus *in Bullam Iubilei anni Sancti* sect. 41. num. 3. & meminit Filliuc. to. 1. tract. 8. c. 10. q. 7. num. 261.

Oppositam tamen sententiam non improbabiliter sustinent alii. Quorum ratio est, tùm quia in Bullis, quę pro Iubileis expediuntur, non exprimitur, ut in una tantùm hebdomada quis Iubileum obtinere possit, sed in una, aut altera hebdomada, quæ alternativa non ponitur ad restringendum privilegium ad unicum actum, sed ad commodiorem Iubilei receptionem, ita ut respiciat tantùm commoditatem Fidelium, ut scilicèt qui non potuit, vel noluit opera præscripta implere in prima hebdomada; impleat in secunda.

Nec obstat illa clausula *pro hac vice tantùm*, in Iubileis apponi solita: Nam illa verba non important Iubileum semel tantùm posse comparari, sed illud non posse acquiri, nisi quandiù duraverit tempus talis concessionis. Unde valdè differunt *hac vice tantùm*, & *una vice*: nam ly *hac vice tantùm* non refertur ad Iubileum, sed ad tempus jubilei, Alphonso de Leone de Iubileo par. 2. q. 27. numer. 197. Naldo *v. indulg.* numer. 4. Diana p. 3. tr. 4. resol. 151. & p. 5. tract. 10. resol. 28. Tùm quia Iubileum est gratia, & beneficium Principis, non ambitiosum, nec prejudiciale tertio, sed maximè animabus favorabile, quod latissimè interpretari convenit. Ita præter citat. DD. Nald. Zerol. Sanctarel. Floron. apud Dian. cit.

Addo, quòd etsi quis semel tantùm Iubileum ex concessione Pontificis lucrari posset in alterutra hebdomada, non prohiberetur tamen ad majorem certitudinem, & pro spirituali sua utilitate bis, (sive in utraque hebdomada) opera præstare, & consequenter à reservatis in utraque hebdomada absolvi; etsi non nisi semel Iubileum lucraretur vel in fine operum hebdomadę primæ, vel secundæ. Ita Navar. *de anno Iubileo notab.* 32. n. 46. Henriq. lib. 6. c. 16. n. 3. & lib. 7. c. 11. de indulg. Reginal. tom. 1. lib. 8. c. 5. sect. 2. num. 64. Nald. cit. Graff. de indulg.

cap.

cap. 5 n. 53. Rodriqu. in Summ. cap. 183. n. 17. Filliuc. tract. 8. cap. 10. q. 3. Bassæus in florib. *v. Iubileum* num. 3. *versic. Cæterùm*. Alphonsus de Leone citat. Lazana tom. 3. summ. *v. Iubilei* num. 20. Dian. cit. & par. 2. tract. 3. resolut. 49. & par. 5. tract. 12. resol. 28. Floron. de cas. reserv. par. 1. cap. 6. §. 5. num. 2. Mazuchellus de cas. reserv. disput. 1. quęst. 4. different. 18. num. 66. & 67. Lupus de cas. reser. par. 1. distinct. 21. art. 3. diff. 1. numer. 2. & alii plures.

Cœterùm licèt hęc posterior sententia, tum ob allatas rationes, tum ob auctoritatem Doctorum videatur satis probabilis, & secura in praxi, saltem quandiù authenticè non constet de allegato Sacræ Congregationis decreto, priorem tamen censeo severiorem, & in praxi sustinendam. Quòd si verò prædictam Sacrę Congregationis declarationem authenticè extare constiterit, ei omninò standum erit. Sacrorum enim Purpuratorum responsa, velut oracula debita, ut par est, reverentia sunt excipienda, & in praxim deducenda.

His addendum ex Bonacina to. 1. disp. 6. q. 1. punct. 5. num. 34. Diana par. 3. tract. 4. resol. 153. quamvis posterior opinio à parte rei esset falsa, adhuc tamen pœnitentem validè à reservatis absolvi, sed non lucrari Iubileum. Et ratio est, quia opinio probabilis confert jurisdictionem: Ideòque pœnitens validè à casibus, & censuris absolveretur, non tamen prodest ad consequendam indulgentiam, si veritas sit in oppositum. Quia tunc ille non præstat opus ad acquirendam indulgentiam in Iubileo præscriptam. Vide etiam Bassæum citato numero tertio *versicul. cœterùm*.



An Pœnitens, qui absolutionem à reservatis, & commutationem votorum virtute Iubilei obtinuit peccet mortaliter, si postea mutata voluntate, Iubileum non lucretur.

RESOLUTIO CXLIV.

AFfirmant Rodriquez in sum. tom. 1. c. 183. num. 15. Suar. de Relig. to. 2. lib. 6. c. 16. n. 11. Coriol. de cas. res. p. 1. sect. 3. art. 17. Fill. tr. 16. c. 10. n. 301. quia talis videtur defraudare intentionem concedentis: imò violare pactum, in privilegio obtinendi absolutionem à reservatis, & commutationem votorum implicitè contentum, ut scilicèt pęnitens opera, præstare teneatur, ad consequendam Iubilei gratiam necessaria, si privilegio velit frui.

Sed in negativam partem resolvitur difficultas, nempè eum, qui initio Iubilei absolutionem à reservatis, & commutationem votorum obtinuit, animo lucrandi Iubileum, non peccare saltem mortaliter, si postmodum omittat opera; atque ideò Iubileum culpabiliter non lucretur. Et ratio est, quia talis retrocedens, & non lucrans Iubileum nihil promisit, nec Confessarius aliquam illi obligationem imposuit; neque de tali Pontificis intentione constat. Nam si Papa id intenderet, facilè exprimere posset, uti etiam sæpènumero in aliis concessionibus facit: Tale autem præceptum non est imponendum, neque obligatio astruenda sine firmo, urgentique fundamento, eo vel maximè, quòd in dubio de præcepto imposito judicandum est in favorem subditorum, suam libertatem possidentium. Proinde in proposito casu sufficere debet, si pœnitens cùm absolvitur, comparandi Iubileum intentionem habeat. Sanch. lib. 4. mor. c. 54. nu. 54. & lib. 1. de matr. disp. 43. n. 9. Bon. disp. 5. q. 7. punct. 5. §. 5. n. 18. Henriquez lib. 6. c. 16. n. 6. Escobar. tract. 7. de sacram. c. 8. *de indulgent. in fine*. Bassæus *in suis florib. v. votum 6.* n. 16. & v. cas. reser. num. 30. *vers. contraria tamen*. Diana p. 2. tr. 2. res. 11. & p. 3. tract. 4. resol. 145.

An qui virtute Iubilei bona fidè fuit à censuris, & casibus reservatis absolutus, reincidat in eosdem casus, & censuras, si voluntariè Iubileum non acquirat.

RESOLUTIO CXLV.

QUi à censuris, & casibus reservatis tempore Jubilei bona fide fuit absolutus ex communi doctrina remanet directè absolutus, nec reincidit in eosdem casus, vel censuras, licèt postea voluntariè negligat præstare opera ad lucrandum Iubileum injuncta: Ideòque culpabiliter Iubileum non acquirat. Ratio est, tùm quia absolutio à reservatis non fuit data ea conditione, ut pœnitens Iubileum lucretur, sed absque ullo pacto, & obligatione absolutus fuit. Unde statim absolutio sortita est suum effectum absque ulla dependentia à futura Iubilei consecutione: Tùm quia facultas obtinendi absolutionem à censuris, & peccatis reservatis non debet censeri ad reincidentiam concessa, nisi id à jure, vel Superiore concedente sit expressum: sed de hoc nihil in diplomate Iubilei agitur. Ergo, &c. Ubi enim lex, vel privilegium non distinguit, aut restringit, nec nos distinguere, aut restringere debemus. Ita Suar. to.4. disp.31. sect.4. n.5 Sanch. lib.4. mor. cap.54. n.44. Graff. lib.4. decis. aur. c. 15. n.37. Vasq. 3. par. to.4. q.91. ar.3. dub.6. Henriq. lib.7. cap.11. n.4. Filliuc. tract. 8. cap.10. n.280. Bonac. de sacr. disp. 4. q.7. punct.5. §.5. n.26. Dian. par.3. tr.4. resolutione 145.

Addit Sanch. cit. cap.54 num.49. idem dicendum esse de commutatione votorum virtute Iubilei, quod lucrari pœnitens intendebat, sed postmodum ex negligentia culpabili noluit comparare, ea scilicèt vota absolutè commutata semper manere commutata, eorumque obligationem, utpotè semel extinctam, seu potiùs ad aliam materiam translatam ampliùs non reviviscere: Quod etiam docet Henriq. lib.7. cap.11. num.4. Sà *v. absolutio* num.19.

An possit quis in Patria, & deinde in alia Diœcesi, ad quam negotiationis gratia se contulit, Iubileum lucrari, si tunc illud ibi celebretur.

RESOLUTIO CXLVI.

NEgant Filliuc. tom.1. tract 8. c. 10. num.278. Parochus *in Bullam Iubilei anni Sancti* sect.41. num.3. quorum opinioni tanquam probabiliori subscribit Mazuchell. disp.1. q.4. diff.19 num. 68. Tùm quia in forma concessionis Iubilei additur *hac vice tantùm*, id est, una vice vel in Patria, vel alibi: Tùm quia ferunt id decisum à Sacra Congregatione, ut semel tantùm Iubileum possit comparari.

Contrariam tamen sententiam expressè defendunt Alphonsus de Leone de Iubileo par.2. q.19. num. 68. Ignatius Lupus de cas. reserv. par.1. dist.21. art.3. diff. unic. num.2. Tùm quia in materia absolutionis non attenditur locus delicti, sed confessionis. Tùm quia quilibet iudicandus est juxta leges loci, in quo reperitur: in loco autem ubi tunc pœnitens confitetur, ejus delicta non sunt reservata cùm vigore Iubilei, quod adhuc ibi durat, cesset omnis reservatio, omnesque Confessarii approbati ab omnibus censuris, & casibus reservatis possint absolvere.

Posteriorem hanc sententiam interrogati sustinerent etiam ii Doctores, qui asserunt indulgentiam Iubileam in anno Sancto posse bis, ter, vel pluries comparari; & in jubileo extraordinario in altera ex duabus hebdomadis comparando, posse aliquem bis præstando opera, illud lucrari, & consequenter à censuris, & casibus reservatis absolvi: quos Doctores vide supra resol. 143. Nam rationes, quæ probant posse aliquem pluries in eodem loco Iubileum comparare, probant etiam posse illud pluries in diversis locis lucrari.

Utraque sententia est probabilis, & tuta in praxi: verùm prior magis placet, & videtur usu recepta, teste Dian. par. 3. tr.4. res.150. & seq.

Illud

Illud verò certius est, si quis in Patria neglexisset Iubileum lucrari, posse, pro eo comparando, ad alium locum, ubi Jubileum suscipiatur, se recipere ibique præstitis operibus, Jubileum lucrari. Idipsum asseritur de eo, qui Jubilei in Patria promulgari nullam cognitionem habuit: eo enim transacto, posse intra quindecim dies à die notitiæ illud comparare, docent Ugol. *de potest. Episc.* c. 54. num. 5. Sanctarel. *de Iubil.* cap. 7. dub. 1. Botton. *in observationib. Iubilei Sixti V. fol.* 131. Dian. loc. cit.

An qui ex malitia omisit opera in Iubileo præscripta, possit ultimo die, meliori mente, adhuc illud lucrari.

RESOLUTIO CXLVII.

Responsio est affirmativa, eum scilicèt, qui nolens lucrari Jubileum, omisit præstare opera ad comparandum Jubileum præscripta adhuc posse die Dominico secundæ hebdomadæ meliori mente illud lucrari, dummodò cętera opera è Confessario commutentur: Quia Confessarius eo casu potest cùm tali pęnitente dispensare, sicuti cum infirmo: Licèt enim ex sua malitia prærequisita opera non præstiterit, tempore constituto, tamen quando ad Confessarium accedit, verè dicitur impotens; illudque impedimentum pro eo tempore non reputatur voluntarium, sed necessarium. Neque refert quòd effluxerit tempus, cui addicta erant jejunia, quia Confessariis conceditur facultas jejunia in aliud pium opus commutandi, quæ facultas durat toto Jubilei tempore, quod, ut supponitur, nondum expiravit. Ita Henriq. Vival. Graff. Bonac. Layman, Leo, quos citat, & sequitur Dian. par. 3. tract. 5. resol. 152. & par. 5. tract. 12. resol. 26. quidquid in contrarium sentiant Filliucius, & Pollachus, existimantes pęnitentem in prædicto casu non posse à reservatis absolvi, & consequenter nec Jubileum lucrari, eò quòd putent facultatem absolvendi à reservatis ex pirare media nocte sabbathi secundæ hebdomadæ. Sed non est recedendum à communi sententia, praxi Confessariorum doctrina, ac probitate præstantium confirmata: Quia tandiù durare censetur facultas absolvendi à peccatis, & censuris reservatis, quandiù durat tempus Jubilei: tempus autem Jubilei durat toto die Dominico termininante secundam hebdomadam: Ergo toto die Dominico potest absolvi à reservatis, dummodò eo die pęnitens præstet opera, quæ præstare potest, ut communionem, orationem Ecclesiæ visitationem, &c. reliqua verò opera, ut jejunia, &c. in aliud pium opus commutentur. Vide Dian. loc. cit.

Utrùm verò Confessarius in tali casu commutare possit etiam confessionem, & communionem, vide infra resol. 151. & 160.

Pœnitens ultimo die, meliori mente, vult Iubileum lucrari, sed adeò ingenti premitur peccatorum, ac tricarum mole, ut tunc ritè, & rectè audiri non possit. Quæritur quid agendum Confessario in tali casu.

RESOLUTIO CXLVIII.

Aliqui, ut Graff. in append. ad decis. aur. lib. 2. cap 5. num. 22. Floron. de cas. reser. par. 1. cap. 6. §. 5. n. 1. Bossius de jubil. sect 1. cas. 39. respondent Confessarium in proposito casu posse pœnitentem à censuris, & casibus reservatis absolvere, commutareque ipsius vota: cœterorum verò peccatorum absolutionem in aliud tempus differre. Rationem assignant, quia cœpta causa, jurisdictio Delegati durat, donec ea causa finiatur cap. *ex litteris de off. Deleg.* sed in hoc casu intra tempus Iubilei cœpta est confessio: Ergo tamdiù durabit jurisdictio Confessarii, quousque confessio erit finita; ea verò post transactum jubileum absoluta, ceterisque peractis in Bulla præscriptis, pœnitens lucrabitur jubileum.

Alii verò Doctores, ut Dian. par. 1. tr. 11. resol. 24. & par. 4. tract. 5. resolut. 18. Mazuchellus de cas. reserv. disput. 1. q. 4 diff. 20. num. 73. docent Confessarium in præ-

prędicto dubio posse pœnitenti absolutionem à censuris impendere, votorumque commutationem facere, non tamen illum à reservatis absolvere, nisi etiam à cœteris peccatis absolvat. Prior pars patet, quia Confessarius virtute Jubilei potest à censuris absolvere, votaque commutare extra Sacramentum pœnitentię, ut resolutum fuit supra dubio 136. Posterior verò pars probatur, quia facultas absolvendi à reservatis tempore Jubilei (ajunt) restricta est ad forum pęnitentiæ, & solùm in ordine ad sacramentalem confessionem potest impendi, ut cõstat ex clausulis in Bulla Jubilei apponi solitis: Igitur Confessario non est integrum eo casu pęnitentem à reservatis absolvere, nisi etiam à cęteris peccatis absolvat.

Sed rectiùs puto in proposito casu Confessarium acturum, si tali pęnitenti proroget consecutionem Jubilei, cęteraque opera ad illud lucrandum necessaria in proximum tempus. Quod desumitur ex tenore ipsius Bullæ, quæ regulariter concedit, ut Confessarius electus non solùm carceratis, & infirmis, sed etiam aliis morale impedimentum habentibus, prorogare possit tempus: inter quos enumerandus est pęnitens, de quo hìc agitur. Nam is in tali statu, & angustia temporis censetur habere morale impedimentum, quominùs Jubileum intra præfixum tempus lucrari possit. Ita Filliuc. tract. 8. num. 268. & 273. Bonac. de Sacram. disp. 6. quęst. 1. punct. 5. num. 36. Alphonsus de Leone par. 2. num. 188. qui modus probatur etiam Sanctarell. & Barthol. à S. Faust. apud Dian par. 3. tract. 2. resol. 147

Idem resolvendum est etiam de eo, quem Confessarius deprehenderet existere in proxima peccandi occasione, subesseque recidivi periculum: rectè enim se gereret, si eo rerum statu absolutionem ei differret, possetque illi prorogare Jubilei consecutionem, etiam per plures hebdomadas, ut sic eum ab occasione peccandi arceret. Ita Graff. loc. c. num. 49. Mazuchellus disp. 1. q. 4. diff. 20. num. 75. qui ex Vega, & Toleto testatur tres Pontifices, Pium V. Gregor. XIII. & Sixtum V. de hoc consultos, vivę vocis oraculo ita declarasse. Qua ego probabilissima sententia innixus fateor, cum regimine fungerer animarum, me non semel id in usum deduxisse, spiritualique pęnitentium saluti non parum profuisse. Quod factum, cùm hęc scripta legisset, summoperè probavit doctissimus Dominus meus David Odasius, Cathedralis Basilicę Brixien. Canonicus, vir tùm Generis nobilitate, tùm egregiæ sapientiæ, ac Prudentię, cęterarumque Virtutum corona decoratus.

An is, cui Confessarius prorogavit Jubilei tempus, si interim alia peccata reservata committat, vel vota emittat, possit ab illis per eumdem Confessarium absolvi.

RESOLUTIO CXLIX.

NEgativè respondent Alphonsus de Leone de Jubileo par. 2. quęst. 16. num. 189. Sanctarellus de Jubil. cap. 8. dub. 7. quibus adhęret Cardin. de Lugo disp. 20. de sacram. pęnit. sect. 8. num. 134. Ratio illorum est, quia facultas absolvendi à reservatis, & vota commutandi non censetur se extendere nisi ad peccata commissa, vel vota emissa ante Jubileum, vel intra duas hebdomadas, ad lucrandum Jubileum, pręfixas: Ergo iis finitis, finitur etiam privilegium obtinendi absolutionem à reservatis post pręfixum tempus commissis.

Resolutio tamen est affirmativa, eum scilicèt, qui de Confessarii consensu distulit confessionem post transactum Jubileum, posse ab eodem Confessario absolutionem à reservatis obtinere post effluxum Jubilei tempus commissis, & similiter commutationem votorum, quę post ultimum duarum hebdomadarum diem emisit. Tùm quia prorogatio ex justa, & rationabili causa per Confessarium pęnitenti concessa operatur, ut respectu ejusdem pęnitentis non sit transactum, sed adhuc duret Jubilei tempus. Unde sicut pęnitens potest absolvi

solvi à reservatis intra Jubilei tempus commissis, ita etiam à reservatis, quæ, durante illa prorogatione, commisit. Tùm quia talis videtur esse mens Summi Pontificis inducendi scilicet pęnitentes per talem dilationem ad lucrandum Jubileum: alioquin pœnitens, in hoc casu non posset jubileum lucrari: sicque ex sua obedientia damnum reportaret, deteriorisque conditionis foret. Demum quia favor jubilei, cùm sit beneficium Principis, animarum saluti favorabile, ampliari debet, non restringi sine evidenti ratione. Ita Bossius, quem citat, & sequitur Diana par.3.tr.2. resol.147. & par.5. tract.12. resol. 27. Bassæus in suis florib. v.Jubil. notab. *Quintò*. Lupus de cas.reser. par.1. dist.21. differ.3. num.3. Mazuchellus de cas. reser. disp.1. quæst. 4. differ.20. numer.76. Quibus astipulatur Doctissimus Pater Vitus Maria Benaleus, vir morum integritate, ac religione, potissimùm verò doctrina, ac Prudentia pręclarus, Instituti Clericorum Regularium Theatinorum decus, & decor, hac de re Venetiis à me consultus.

An opera omnia, pro lucrando Iubileo præscripta, sint necessariò præstanda in una, & eadem hebdomada.

RESOLUTIO CL.

AFfirmant Henriquez libr. 7. de Indulg. cap.7.num.2. Ugol.de potest. Episcop. cap. 41. §. 4. num. 5. Fernandez in exam. theol. mor. par.3.c.7.§.8. num.5 quia videtur ita præscribere Bulla, quæ ita loquitur. *Qui quarta, sexta, & sabbato alterius ex duabus hebdomadis jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, & sanctissima communione refecti fuerint*. Ex quibus verbis colligitur (ipsi ajunt) opera omnia in una, & eadem hebdomada necessariò esse præstanda: & potissimùm id videtur innuere illa particula, *pariterque*, quæ connexionem, & unionem importat eorumdem operum in una, & eadem hebdomada.

Negant verò Layman lib.5. tract.7. c.8. num.10. Bonacina de pęnit. disput.6. q.1. punct.5. num. 34. Diana 3. par. tractat. 4. resol.153. & par. 5. tract. 12. resolutione 24. & alii apud ipsum, sustinentes opera omnia in Jubileo præscripta non esse necessariò implenda in una, & eadem hebdomada; sed sufficere, si quis in una observet jejunia, confessionemque instituat, in altera verò communionem sumat, Ecclesias visitet, eleemosynamque largiatur. Tùm quia Bulla Jubilei expressè non explicat, ut opera omnia executioni mandentur in una, & eadem hebdomada, sed in altera ex duabus hebdomadis, seu intra ambitum duarum hebdomadarum. Tùm quia Jubileum, cùm sit gratia, favor, & beneficium Principis est latè interpretandum. Proindeque secundùm EpiKejam interpretanda est mens Pontificis, ut etiam in tali casu acquiratur indulgentia: sicuti in simili notavit Rodriquez tomo 1. cap. 184. num.3.

Hæc posterior sententia licèt sit probabilis, prior tamen est probabilior, & securior: Quia in materia indulgentiarum non prodest opinio probabilis, si à parte rei veritas sit in contrarium. Unde qui opera partim in una, partim in altera hebdomada præstaret, etsi absolutionem à reservatis, & commutationem votorum verè obtineret, eò quòd opinio probabilis conferat jurisdictionem Ecclesia, seu jure Ecclesiastico universali eo casu supplente jurisdictionis defectum; nihilominùs si talis opinio re ipsa esset falsa Jubileum non obtineretur. Nam opinio probabilis, & bona fides non operantur, quòd Papa in hoc, aut illo eventu concesserit indulgentiam, si ipse revera id non intenderit. Et propterea prior sententia sicut est securior; ita, præcisa aliqua necessitate, vel rationabili causa, in praxi est consulenda. Ita Bassęus in suis florib. *v. Iubil.* notab. 2. Card. de Lugo de Sacram. pęnit. disp. 27. sect.7 n.104. Lezana tom.3. sum. *v. Iubil.* num. 19. Pellizar. in tr. de monial. cap. 9. numero quadragesimo, assertione vigesima.

Neque obstat, quòd communio fiat die Dominico, qui dies videtur spectare

non ad præcedentem, sed ad sequentem hebdomadam: Nam etsi dies Dominicus juxta morem Ecclesiæ spectet ad sequentem hebdomadam, in Jubileis tamen specialiter indultum est, ut communio fieri possit die Dominico post jejunia. (quæ concessio intelligitur etiam de prævia confessione, ut infrà fusiùs dicam) Idque declaratum esse à Greg. XIII. testis est Diana infrà citandus: sicque dies ille Dominicus habetur pro complemento hebdomadæ transactę. Ita Navar. Henriqu. Reginal. apud Diana par. 2. tract 15. resol. 28.

De Operibus, quæ injungi solent pro consecutione Jubilei, & primò, de Sacramentali Confessione.

An pro Iubilei consecutione necessariò præmittendi sit Sacramentalis Confessio.

RESOLUTIO CLI.

RESpondeo primò. Si qui suscepturus est Jubileum, non habet conscientiam peccati mortalis, non tenetur præmittere confessionem pro consecutione Jubilei: Tùm quia confessio peccatorum requiri solet, ut per eam certiùs, & securiùs tollatur obex lucrandi Jubileum: talem autem obicem non inducunt venialia, sed solùm mortalia, nondum remissa: Tùm quia secundùm stylum Ecclesiæ, cùm à fidelibus peccatorum confessio requiritur, ea intelligi solet de mortalibus, quæ sunt materia confessionis necessaria, ut constat ex cap. *omnis utriusque sexus*. Ergo secundùm eumdem stylum, & praxim sumenda est etiam confessio, quæ pro Jubileo comparando, præscribitur, ut ea scilicèt intelligatur tantùm de mortalibus, quę nunquam fuere clavibus submissa. Ita S. Antonin. par. 1. tit. 10. cap. 3. §. 5. Suarez tom. 4. disp. 52. sect. 3. num 5. ConincK de sacram. disp. 12. dub. 7. num. 38. Layman lib. 5. tract. 7. cap. 6. num. 6. Cardinalis de Lugo de Sacram. pœnit. disput. 27. sect. 7. num. 100.

Respondeo secundò. Si quis comparare intendit Jubileum, mortale peccatum habeat, Bullaque confessionem requirat, necessariò præmittenda est sacramentalis confessio. Et ratio est, quia id Jubilei verba sonant, à quibus in dubio non est recedendum. Quare dicere solent Doctores, quòd indulgentię tantùm valent, quantùm sonant. Quoties igitur in Bulla exprimitur confessio, ea erit necessaria. Ita Navar. de Indulg. notab. 18. num. 2. Henriquez libr. 7. cap. 12. dub. 7. num. 38. Layman loco cit. num. 7. ConincK cit. Bonacina de Sacram. pęnit. disp. 6. quęst. 1. punct. 5. num. 5. Bassęus in suis florib. v. Jubil. notab. 9. Diana parte 5. tract. 12. resolut. 30. qui addit, si quis sacramentaliter confessus post sumptam Eucharistiam in aliquod mortale incurrat, non teneri iterum confiteri ad lucrandum Jubileum; etsi nondum impleverit omnia requisita ad ejus consecutionem: cùm ad lucrandum Jubileum, sufficiat esse in gratia, cùm impletur ultimum opus: quę gratia comparari potest per solum actum contritionis.

Limitant aliqui hanc posteriorem resolutionem ut procedat, dummodò physica, aut moralis impotentia confitendi non impediat: putant enim eo casu sufficere contritionem. Quod an verum sit, mox examinandum.

An qui tempore Iubilei non potest confiteri, illud lucretur, si præstitis aliis operibus, cum sola contritione communicet.

RESOLUTIO CLII.

AFfirmativè respondent Suar. tom. 4. disp. 52. sect. 3. num. 12. Filliuc. to. 1. tract. 8. cap. 6. num. 148. Alphonsus de Leone de Jubil. par. 2. quęst. 17. num. 197. quem citat, & sequitur Lupus de cas. res. par. 1. dist. 21. art. 1. diff. 1. num. 5. asserentes, eum qui Jubilei tempore, vel ob carentiam Confessarii, vel ob aliud impedimentum non potest confiteri, posse elicito priùs contritionis actu, communionem sumere, & ita Jubileum lucrari, etiamsi teneatur conscientia mortalis

pec-

peccati: dummodo propositum habeat illud postea confitendi. Rationem assignat Suarez, quia Pontifex solùm videtur confessionem peccatorum requirere, ad tollendum obicem indulgentiæ, is autem sufficienter tollitur per contritionem, si præceptum confessionis annuæ eo tempore non obliget.

Sed longè probabilior, & securior est sententia contraria, nimirùm si in Jubilei Bulla exprimatur confessio, & pœnitens affectus sit mortali peccato, si Jubilei particeps esse velit, teneri sacramentalem confessionem instituere: Tùm quia Jubileum non obtinetur, nisi expleantur, quę in Bulla præscribuntur: Atqui in Bulla præscribitur actualis confessio, ut supponitur: Ergo sine actuali confessione Jubileum non obtinetur: Tùm quia in hoc casu non est recurrendum ad præsumptam Pontificis mentem, quia sumus in claris, & in claris non egemus coniecturis.

Neque verum videtur, quòd Summus Pontifex exigat confessionem tantùm, ut tollatur obex indulgentiæ: sed confessio mortalium requiritur tamquam opus, propter quod conceditur Jubileum: cujus operis præstatione certiùs deinde, ac securiùs tollatur obex mortalis peccati; cùm plerumque non satis certi simus, nos habere contritionem perfectam, & per se sufficientem ad conferendam justificationis gratiam. Ita Navar de Indulgent. notab. 18. num. 2. ConincK de sacram. disp. 12. dub. 7. num. 38. Bonac. de sacr. disp. 6. q. 1. punct. 5. nu. 5. Bassęus in florib. *v. Iubilei* notab. 9. Dian. part. 5. tract. 12. ref. 29. Card. de Lugo de sacram. pœnit. disp. 27. sect. 7. num. 100. Layman lib. 5. tract. 7. cap. 6. num. 7. qui tamen in fine fatetur, si quo in casu confessio sacramentalis alicui impossibilis esset, prçsumi posse mentem Pontificis esse, ut sufficiat contritio, modò reliqua etiam injuncta opera præstentur: Quod non videtur improbabile.

An opus Confessionis ad lucrandum Iubileum præscriptum censeatur impleri per Confessionem invalidam, & fictam.

RESOLUTIO CLIII.

AFfirmant aliqui, ut Diana part. 3. tract. 4. resolut. 148. ubi docet eum, qui tempore Jubilei facit confessionem sacrilegam, satisfacere, pro comparanda Jubilea indulgentia, si antequam elabatur Jubilei tempus in statu gratię per actum contritionis se constituat.

Sed oppositum est sustinendum, nimirùm in tali casu eum, qui sacrilegam facit confessionem, teneri postea, si velit Jubileum lucrari, intra præfixum tempus iterum validè confiteri. Ratio est, quia sicuti qui sacrilegè confitetur, non satisfacit Ecclesiæ pręcepto de annua confessione, ut communiter docent Doctores apud Layman lib. 5. tractat. 6. cap. 5. num. 11 & declaravit novissimè Sanctissimo D. N. Alex. VII *die 2. Octob.* 1665. imposita ipso facto in contrarium asserentes reservatæ excommunicationis pœna. Ita nec satisfacit Summi Pontificis intentioni, qui confessionem pro consecutione Jubilei præscriptam fictè, ac sacrilegè instituit: Quia confessio fictè, & sacrilegè facta non est confessio, sed irrisio. Ita Card. de Lugo disp. 27. de sacram. pœnit. sect. 7. num. 103. ubi pro hac sententia quàm plures citat Doctores.

An confessio, pro comparando Iubileo, præscripta sit necessariò intra hebdomadam instituenda, & nequaquam ad Dominicam sequentem protrahenda.

RESOLUTIO CLIV.

AFfirmativè respondent Fill. tom. 1. tractat. 8. cap. 10. num. 272. Bassæus *in suis florib. v. Iubilei* num. 4. & alii apud Diana par. 1. tract. 15. resol. 28. quod probant ex tenore Bullæ, quæ regulariter habet

habet hæc verba. *Atque peccata sua confessi, sequenti saltem die Dominico Eucharistiam sumpserint*. Ex quibus colligitur opera omnia præter communionem intra alternam ex duabus hebdomadis esse præstanda. Cùm igitur hebdomada incipiat à die Dominico, & duret usque ad sabbathum inclusivè; idcircò convincitur, ut quemadmodum eleemosinę largitio, Ecclesiarumque visitatio non possunt fieri die Dominico sequenti; ita neque confessio, sed sola communio; idque ex speciali Bullæ concessione, quæ concessio non videtur extendenda ad confessionem.

Cæterùm valdè probabile est, tam confessionem, quàm communionem die Dominico post jejunia sequente posse fieri. Tùm quia dies Dominicus sequens ex Bullæ concessione statuitur pro complemento transactæ hebdomadæ, in qua impleta sunt jejunia. Unde sicut eo die potest fieri communio, ita etiam confessio, quæ ex usu fidelium conjungitur communioni. Constat enim plurimos fidelium, & potissimùm operarios, ac rusticos regulariter confessionem instituere eo die, quo communicant, ut egrè admodum induci possent ad confitendum intra hebdomadam: quem usum cùm non ignorent Episcopi, ipsique Summo Pontifici innotescat; idcircò non est cur aliter de ejusdem Pontificis mente judicare liceat.

Quod verò ad allata Bullæ verba spectat, dico, quòd iis expresè conceditur ad sequentem Dominicum diem dilatio communionis, implicitè verò etiam confessionis, quæ ex usu fidelium communionem comitatur. Ita Diana loc. cit. cui subscribit Card. de Lugo dis. 29. de sacrament. pœnit. sect. 7. num. 105.

Pœnitens Iubilei tempore invalidè à censuris, & casibus reservatis fuit absolutus, eò quòd Confessarius non esset ab Ordinario approbatus. Quæritur, utrum habita nullitatis confessionis notitia post transactum Iubileum, possit à quocumque Confessario absolvi.

RESOLUTIO CLV.

Respondent Henriquez lib. 7. sum. cap. 10. l. N. Alphonsus de Leone de Jubil. par. 2. num. 82. Zerola de Jubil. lib. 1. cap. 15. dub. 13. & 60. pœnitentem in proposito casu comparasse Jubileum, dummodò intra tempus ad lucrandum Jubileum præscriptum, contritionis actum elicuerit. Quorum ratio est, quia in concessione Jubilei putant confessionem non exigi tanquam opus, propter quod conceditur Jubileum; sed tantùm requiri, ut securior ad obtinendam indulgentiam dispositio est. Cùm igitur pœnitenti eo casu moraliter sit impossibilis actualis confessio, utpotè cui nullitas confessionis ex defectu approbationis in Confessario sit ignota; idcircò satis illi esse debet contritio, seu confessio in voto, quæ sufficiens est ad tollendum obicem pro consecutione Jubileæ indulgentiæ, modò cœtera præstiterit ad lucrandum Jubileum necessaria, & consequenter vi Jubilei obtenti censetur aquisivisse jus, ut possit, detecto defectu, absolutionem à reservatis per quemcumque Confessarium, sicut & votorum commutationem obtinere.

Sed oppositum sustinuimus supra resolutione 130. Nam confessio in Jubileorum Bullis non videtur tantùm præscribi ut sit securior ad obtinendum Jubileum dispositio; sed potiùs ut opus, propter quod conceditur Jubileum illi, qui conscientiam habet mortalis peccati, sicuti rectè docent Navarr. ConincK, Graffius, quos citat, & sequitur Dian. par. 5. tract. 12. resolut. 29. quibus subscribit Bonacina de sacram. pœnit. disput. 6. quæst. 1. punct. 5. num. 5. Bassęus in suis florib. *v. Iubil.* notab. 9. Constat autem in hac

hac materia pro opere unius generis substitui non posse opus alterius generis, sine concessione Pontificis: Ideòque nec pro actuali confessione substitui potest sola contritio.

Cœterùm etsi negamus, contritionem pro confessione posse substitui, dicimus tamen prædictum pœnitentem, secluso contritionis actu posse, detecto errore, habitaque nullitatis confessionis notitia, eligere quemcumque Confessarium, à quo absolutionem à reservatis, commutationem votorum, cœteraque Jubilei privilegia obtineat, tanquam qui legitimè impeditus fuerit, quominùs intra præfixum tempus Jubileum lucrari potuerit, eo prorsus modo, quo conceditur etiam infirmis, carceratis, iter agentibus, aut iis, ad quorum aures effluxo præfixo tempore concessi Jubilei notitia pervenit. Ita Diana citat. Bossius *de triplici Iubilei privilegio* sect. 1. casu 33. n. 5. Mazuch. de cas. reserv. disp. 1. quæst. 4. diff. 24. n. 94.

Hinc patet resolutio ad difficultatem de qua aliquando consultus fui: est autem sequens.

Sacerdos simplex tempore Iubilei audivit multorum confessiones, eò quòd putaret virtute Iubilei cuilibet Sacerdoti facultatem impertiri pœnitentes absolvendi. Quæritur, an hujusmodi Pœnitentes Iubileum fuerint consecuti.

RESOLUTIO CLVI.

RESpond. Attenta sententia Henriq. lib. 7. sum. cap. 10. l. N. Filliuc. to. 1. tr. 8. cap. 6. num. 148. Alphonsi de Leone de Jubil. par. 2. num. 82. dicendum est, hujusmodi pęnitentes Jubileum obtinuisse, quoties intra pręfixum Jubilei tempus contritionis actum elicuerint: & consequenter vi Jubilei obtenti jus aquisivisse, ut possint deinde, detecto defectu, absolutionem à reservatis, & commutationem votorum per quemcumque Confessarium obtinere.

Juxta verò nostram sententiam, dicendum est prædictos pœnitentes Jubileum minimè comparasse, quamvis contritionis actum emiserint, & consequenter nullum jus sibi aquisitum esse, ut possint, detecto errore à reservatis absolvi: Quia Confessarius caruit approbatione Episcopi juxta Jubilei formam in Confessario requisita, à cujus Bullæ dispositione in dubio non est recedendum; posse nihilominùs eosdem pęnitentes, habita notitia defectus approbationis in Confessario, post transanctum Jubileum eligere Confessarium, ab eoque à reservatis absolvi, cęterisque Bullæ privilegiis frui. Ita Dian. p. 5. tract. 12. resolut. 29. Bossius *de triplici Iubilei privilegio* sect. 1. casu 33. num. 5. Bottonus in Jubil. Sixti V. & alii apud Dianam l. c.

Quid autem, si simplex Sacerdos errore communi, & titulo præsumpto haberetur ab Episcopo approbatus, ut si audiendis confessionibus à Parocho fuisset expositus, an tunc validè à censuris, & casibus reservatis absolveret?

Respond. quòd validè absolveret à peccatis non reservatis, sicut ab iis validè absolveret extra tempus Jubilei, Ecclesia tunc supplente jurisdictionis defectum; non tamen validam absolutionem impenderet à censuris, & peccatis reservatis neque validè commutaret vota: Quia actualis approbatio, vel saltem non reprobatio in Confessario electo tempore Jubilei est circumstantia essentialiter necessaria, cujus defectus non censetur ab Ecclesia suppleri. Est enim conditio in specie requisita, ut constat ex verbis Bullę. Quare & in hoc casu pęnitentes, detecto errore, perinde ac si legitimo impedimento fuissent detenti, possent eligere Confessarium ex verè ab Episcopo approbatis, à quo tum absolutionem à reservatis, & commutationem votorum tum Indulgentiam Jubileam obtinerent, quæ in priori confessione, ob defectum approbationis juxta formam Bullæ in Confessario requisitæ, non censetur obtenta. Ita Doctores supra citat. ll. cc.

DE COMMVNIONE.

Secundo pietatis opere, ad consequendum Jubileum præscripto.

Quotuplex sit communio, & qualis ad lucrandum Iubileum sit necessaria.

RESOLUTIO CLVII.

TRiplex à sanctis Patribus, & Conciliis statuitur communio, ut constat ex Trident. sess. 13. cap. 8. Prima est sacramentalis tantùm, per quam Sacramentum sumitur, non item ejus effectus, qui est gratia sanctificans; qui sumendi modus in peccatoribus, lethalis culpæ conscientiam habentibus, locum habet. Altera dicitur merè spiritualis, per quam Sacramentum non sumitur ore, sed desiderio, & voto: Tertia, eaque perfecta communio est spiritualis, & sacramentalis simul, per quam unà cum sacramento, etiam effectus ejus, qui est gratiæ sanctificantis augmentum, accipitur. Vide S. Tho. 3. par. q. 80. art. 12. & 13.

Igitur ad lucrandum Jubileum, certum esse debet, non sufficere communionem spiritualem tantùm: patet ex tenore Bullę, quę sic habet, *& Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reverenter sumpserint*, quibus verbis non spiritualis tantùm, quę fit per desiderium, sed sacramentalis, & realis, quæ fit per vitalem comedendi actionem, communio significatur.

Certum item esse debet, communionem sacramentalem, & spiritualem simul esse omnium perfectissimam, ad consequendum Jubileum, & gratiam; eamque indicari iis Bullę verbis, *reverenter, & devotè sumpserint*.

Utrùm verò sufficiat communio sacramentalis tantùm, absque spirituali, & sine effectu gratiæ, non est undequaque certum: Pro quo dubio ponitur sequens resolutio.

An qui S. Eucharistiam sumit cum conscientia peccati mortalis, satisfaciat oneri à Papa imposito pro consecutione Iubilei.

RESOLUTIO CLVIII.

HUjusce dubii resolutio pendet ex ea quęstione, utrum qui tempore Paschatis Eucharistiam indignè sumit, præcepto Ecclesiæ satisfaciat: Nam si hujusmodi communio sufficit ad satisfaciendum pręcepto Ecclesiastico, sufficiet etiam ad lucrandum Jubileum: de quo duę sunt Doctorum sententiæ.

Prima sententia negat, indignè S. Eucharistiam sumentęm tempore Paschatis satisfacere pręcepto Ecclesiæ, & consequenter neque opus, pro comparando Jubileo, implere: Quia licèt ex natura rei modus dignè communionem sumendi non cadat sub pręcepto, potest tamen ab Ecclesia pręcipi, & re ipsa tempore Jubilei pręcipitur à Pontifice; ut patet ex iis Bullæ verbis, *& Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reverenter, & devotè sumpserint*. Ex quibus colligitur, communionem pro consecutione Jubilei dignè, & sanctè esse sumendam. Ita Sylvius 3. part. quęst. 80. artic. 11. quęsito 2. Nugnus ibidem difficul. 3. dub. 4. quorum sententiam probabilem putat Bassęus in florib. Theol. mor. v. communio, num. 14.

Secunda opinio sustinet, eum, qui Eucharistiam indignè sumit, satisfacere operi pro consecutione Jubilei præscripto, dummodò ultimum opus perficiat in statu gratiæ. Et ratio est, quia hujusmodi communio sufficit ad satisfaciendum pręcepto Ecclesię, de sumenda Eucharistia in Paschate: Ergo sufficiet etiam ad satisfaciendum operi, & oneri communionis pro consecutione Jubilei à Papa imposito. Non enim videtur Papa strictiori vinculo obligare ad communionem pro lucrando Jubileo pręscriptam, quàm ad communionem, pro implenda Ecclesiastica lege, pręceptam, dummodò ultimum opus, ut dixi, perficiatur in gratia. Et hęc sententia videtur

tur

tur probabilior, quam sustinent Suar. to. 3.disp.70.sect.3.Fernand.in exam. Theol. mor.par.3. c.7.§.8.n.1. Regin. lib.29.n.87. Dian.par.3. tr.4. res.148. Bossius de Jubil. sect.4. cas.20. n.10. Card. de Lugo disp.27. de sacram.pœnit. sect.7. n. 100.

Neque obstant illa verba *reverenter, & devotè:* Tùm quia illa non continent pręceptum, sed consilium: Tùm quia aliud est reverenter, & devotè, aliud dignè, & sanctè Eucharistiam sumere. Vide Card. de Lugo cit.

Dices. Qui sacrilegè confitetur, non satisfacit Ecclesiæ præcepto de annua confessione, ut supra resolutum fuit dub. 153. Ergo nec satisfacit Ecclesiæ præcepto de communione Paschali, qui sacrilegè sumit S.Eucharistiam, & consequenter neque implet opus pro comparando Iubileo, à Pontifice impositum.

Resp.negando paritatem, quia Ecclesia, pro implendo præcepto Ecclesiastico de annua confessione, eamdem præcipit confessionem, quam præcipit Deus, pro implendo præcepto Diuino: Atqui præcepto Diuino nemo satisfacit, nisi per veram confessionem: Ergo nec Ecclesiastico. Laym.lib.5.tr.6.cap.5. n.11. Coninch. disp.5.de sacr.dub.9.nu.70.Fill.tr.7.nu. 41. Bass.in suis florib.*v.confessio.sacram.*1. nu. 12. Alia ratio est de communione Paschali, quæ præcipitur tantùm ab Ecclesia; cuius præcepto quilibet satisfacere censetur per communionem sacramentalem tantùm: nam communio sacramentalis tantùm, est vera communio, licèt indigna, & sacrilega. Vide Card.de Lugo loc.cit.

Addo, quòd confessio tempore Iubilei præscribitur tum u topus, propter quod conceditur Iubileum, tum per eam tollitur obex peccati, sicque certiùs, & securiùs obtineatur indulgentia, sicuti dictum est supra resol.152. At verò communio præcipitur tantùm ut opus, propter quod conceditur Iubileum. Unde non est ita necessaria communio, sicuti confessio; quo fit etiam, ut communio, concurrente iusta causa, in aliud pium opus cōmutari possit; vt infra fusiùs dicam resolutione centesima trigesima non ita verò confessio.

An communio, pro Iubileo comparando præscripta, possit legitimè impeditis prorogari.

RESOLUTIO CLIX.

NEgatiuæ sententiæ videtur adhęrere Card. de Lugo disp.27. de pœn. sect.7.num.118.ubi asserit, attentis Bullis modernis, quarum facultas videtur restricta, communionem pro consecutione Iubilei præscriptam prorogari non posse, facultatemque prorogandi se extendere tantùm ad nauigantes, & iter agentes, quibus expressè Bulla consequendi Iubilei prorogationem indulget cœteris verò impeditis solùm esse concessam prorogationem aliquorum operum, puta ieiunij, eleemosinæ, orationis, visitationis Ecclesiarum, non item confessionis, aut communionis.

Verùm magis placet opinio contraria, nempè legitimè impeditis, non solùm cętera pietatis opera, sed etiam confessionē, & communionem in tempus proximum prorogari posse. Nam cùm Bulla concedat, vt Confessarii possint Iubilei consecutionem in tempus proximum prorogare non solùm carceratis, & infirmis, sed etiam aliis legitimo impedimento detentis; consequenter videtur etiam concedere facultatem prorogandi confessionem; confessione autem prorogata, prorogari debet etiam communio, quam regulariter præcedit confessio. Ita Filliuc.to.1. tr. 8.c.10.num.268.Bonac.disp.6.q.1.punct.5. nu. 36. Sanctarellus de Iubil. cap.7. dub.1. Boss. de Iubil. sect. 4. cas.6. & cas. 20. Leo de Iubil.p.2.nu.188. Mazuch. de cas.reser. disp.1. q.4. diff.27. num.124. vbi in fine fatetur confessionem, & communionem legitimè impeditis prorogari posse, non tamen in alia opera commutari. Quam Mazuchelli limitationem profectò veram arbitror, quoad confessionis commutationem, ut dictum est supra resolut. 151. Utrum verò ea facultatis restrictio procedat etiam, quoad communionem, mox est examinandum.

An

An habenti physicam, vel moralem impotentiam communicandi tempore Iubilei possit communio in aliud pietatis opus commutari.

RESOLUTIO CLX.

NEgat Card. de Lugo disp.27. de pœnit. sect.7. num.118. cui subscribit Mazuchellus de cas.reser. disp.1. q.4. diff. 27. num. 123. qui ex nonnullis modernarum Bullarum clausulis fatentur, sibi videri facultatem commutandi hodie limitatam esse ad jejunium, eleemosynam, Ecclesiæ, vel Ecclesiarum visitationem, interventum in processione, & orationem, quę opera solummodò exprimuntur in commutandi facultate, non autem se extendere ad communionem. Unde licèt attentis Bullis antiquis, communio poterat commutari non posse, eò quòd modernę Bullę hanc communionis commutandę facultatem non admittant.

Cœterùm, quamvis hæc sententia sit securior, non videtur tamen improbabilis opposita, quæ docet ei, cui physicè, seu moraliter impossibilis est communio, non obstante formula, seu varietate formulæ pręsentium Bullarum, adhuc communionem, pro lucrando Jubileo pręscriptam, in aliud opus pium commutari posse. Unde si quis tussi, vel vomitu adeò vexaretur, ut sine irreverentiæ periculo S. Eucharistiam sumere non posset, communionem Confessarius dispensare non prohiberetur. Idem asseritur de pueris, qui ob ętatis defectum nondum sunt communionis sacræ capaces. Pręterea si quis alia opera pręstitisset, & die Dominico pro communione designato ex oblivione bibisset, vel inadvertenter aliquid deglutisset, communio ipsi in aliud opus pium commutari posset. Ita Henriquez, Sanctarellus, Grassius, quos citat, & sequitur Diana par.3. tract.4. resolut.152. quibus addo Basseum in florib. The. mor. v. Jubil. notab.4. Bossium de Jubil. sect.4. cas.20. num.6.

Adverte tamen hanc commutationem non esse faciendam propria auctoritate, sed à Confessario pro absolutione, & commutatione, vel etiam pro sola commutatione electo. Card. de Lugo loc. cit. num.120.

DE JEJUNIO.

Tertio pietatis opere, pro consecutione Jubilei pręscripto.

An in jejuniis, pro lucrando Iubileo, iniunctis ova, & lacticinia edi possint.

RESOLUTIO CLXI.

REspond. Jejunia, quę in Jubileis pręscribuntur, servari debent secundum usum, & consuetudinem cujusque Provinciæ legitimè pręscriptam. Unde si usus provincię servet, ut in jejuniis, quę occurrunt per annum, edantur ova, & lacticinia, poterit quisque iis vesci etiam in jejuniis Iubilei, taliaque jejunia erunt sufficientia, pro implenda obligatione à Summo Pontifice injuncta. Et ratio est, quia Iubileum non censetur pręscribere diversam abstinentiam ab ea, quam exigunt jejunia communia, nisi specialis modus exprimatur in Bulla. Ita Sanchez lib.4. mor. c.11. num.50. Portel. in dub. regul. *v. jejunium in addit.* num. 7. Bonac. de pręcep. Eccl. disp. ultim. q. 1. punct.2. num. 6. Bassęus in florib. Theol. mor. *v. jejun.* num.4. versic. *Rogabis tertiò*. Card. de Lugo de Sacram. pœnit. disp.27. sect.6. num.108. Dian. par.1. tr.9. res.6. & par.5. tr.12. res.25. qui etiam notat, si jejunia commutentur in aliud opus pium, necesse non esse tale opus impleri ea ipsa die, qua jejunandum esset.

Addo, eum qui ex voto, Iubileo, vel pœnitentia tenetur jejunare, satisfacere edendo lacticinia etiam in Quadragesima: Tùm quia jejunium in Iubileo pręscriptum attenditur secundùm communem jejuniorum usum per annum: in aliis autem jejuniorum diebus per annum non prohibetur lacticiniorum comestio secundùm communem Ecclesię legem, sed in sola Quadragesima. Tùm quia abstinentia à lacticiniis non est quid intrinsecum quadragesimali jejunio: Ideò-

Ideòque sine abstinentia à lacticiniis jejunium etiam in Quadragesima potest salvari. Violantes tamen sic jejunium peccant contra preceptum Ecclesiæ, prohibens eo tempore lacticiniorum usum. Ita Angles in floribus de jejunio articulo primo post septimam difficultatem dubio secundo. Sanchez citato num. 52. & 53. Portel. cit. num. 8. Bassæus in floribus Theol. moral. *v. jejun.* versic *sed difficultas est*. Pasqualig. in praxi jejunii decisione 78.

An senes, & adolescentes, alioquin excusati à lege jejunii, jejuniare debeant, si Iubilei participes esse velint.

RESOLUTIO CLXII.

Responsio est affirmativa, nimirùm senes sexagenarii, qui ordinariè eximuntur à lege jejunii, sicut & adolescentes, qui Ecclesiasticis jejuniorum præceptis nondum adstringuntur, teneri ad jejunium in Bulla expressum, si Jubilei participes esse velint. Et ratio est, quia Jubileum non continet præceptum, sed consilium cum promissione privilegiorum, quę in Bulla exprimuntur: sed etiam adolescentibus, sicuti & senibus non infirmis consultum est interdum jejunare: Ergò non poterunt Iubileum consequi, nisi id opus consilii hoc est, iniunctum jejunium adimpleant. Qui verò tridui jejunium sine magna difficultate perferre non possunt, uti sunt ægroti, pauperes, prægnantes, lactentes, laborantes, &c. his, & similibus Confessarius juxta concessionem Bullę, jejunium in alia pietatis opera poterit commutare; sicut etiam pauperibus, si eleemosynam largiri non posset, injungere debet, ut ejus loco preces ad Deum fundant, ut infrà fusiùs dicam. Ita Henriquez lib. 7. cap. 12. num. 2. Rodriquez to. 1. summ. cap. 148. n. 10. Layman lib. 5. tract. 7. cap. 8. n. 12.

An jejuniorum opera impleri possint per jejunia alioquin sub præcepto cadentia.

RESOLUTIO CLXIII.

Negativa pars videtur suadenda, quia supererogationis opera Deo gratiora sunt, magisque meritoria: Ideòque accommodatiora ad justificandam causam concedendi indulgentiam jubileam.

Sed hoc non obstante, affirmativa pars omninò est tenenda, jejunia scilicet pro consequendo Jubileo injuncta impleri posse per jejunia, alioquin sub præcepto cadentia: Tùm quia non repugnat unico actu pluribus obligationibus satisfieri, dummodo id naturæ talium obligationum, & intentioni obligantis non repugnet: Tùm quia si jejunia omninò indebita exigerentur ad consecutionem Iubilei, sequeretur, quòd si Summi Pontifices concederent Iubileum obtinendum in Quadragesima, fideles, qui eo tempore adstringerentur ad jejunium ex precepto Ecclesiæ non possent Iubileum lucrari, eò quòd jejunia tunc essent aliundè, nempè jure Ecclesiastico præcepta: Atqui usus, & praxis Ecclesiæ est contraria: Nam Pontifices regulariter Jubileum publicare solent in Quadragesima. Sufficiunt igitur jejunia, alioquin sub præcepto cadentia. Ita Diana parte quinta, tractatu duodecimo, resolutione 31. 33. & 34. Henriquez lib. 7. cap. 10. n. 5. Layman lib. 5. tr. 7. c. 8. num. 13. Bassæus in floribus Theol. pract. *v. Iubileus* notab. 1. Card. de Lugo disp. 27. de Sacram. pęn. sect. 7. n. 100.

DE ORATIONE.

Quartò pietatis opere pro Jubilei comparatione injuncto.

Quę præces sint dicendæ pro lucrando Iubileo.

RESOLUTIO CLXIV.

Respondeo. Quando in Bulla Jubilei non præscribuntur certæ preces, suffi-

sufficit orare juxta intentionem Pontificis, quamcumque orationem recitando, etiam minimam, & quacumque lingua, dummodò ea devotè fiat, hoc est, sine voluntaria mentis evagatione: Conditio enim orationis indefinitè præscriptæ per quamlibet orationem etiam minimam impletur, juxta illud Aristot. lib. perhiermenias. *Ad propositionis indefinitæ veritatem sufficit quælibet singularis* Ita Diana par. 5. tract. 12. resol 33. ex Suar. Filliuc. Pollac. Bossio, ConincK, & aliis. Et quamvis regulariter requiratur oratio vocalis, probabile tamen est sufficere etiam orationem mentalem, quoties in Bulla dicitur tantùm orandum esse: quia oratio mentalis propriissimè dicitur oratio, & cœteris paribus, præferenda est vocali, teste Dian. cit. tract. 12. resol. 44.

Neque refert, etsi oratio pro consecutione Iubilei ad Deum fundenda, aliunde sit debita, v. gr. ex voto, pœnitentia, &c. ut probatum est superiori Resolutione *de jejunio*, ubi resolutum fuit sufficere jejunium alias præceptum. Vide Layman lib. 5. tract. 7. cap. 8. n. 13.

Quando verò Iubileum conceditur visitantibus Ecclesiam, vel orantibus in Ecclesia, illud obtinetur ab eo, qui accedit ad Ecclesiam, sed cùm nequat ingredi corporaliter præ hominum concursu, & multitudine, preces effundit ante Ecclesiæ fores: Quia moraliter rem æstimando in hoc casu talis Ecclesiam visitat, quando præsentiam suam exhibet, quatenùs potest. Unde in ejusmodi concessione etiam adjunctum cœmeterium nomine Ecclesiæ comprehenditur; quia in favorabilibus verba sunt latè interpretanda. Layman l. 5. tr. 7. cap. 3. n. 3. ex Suarez.

Utrum verò pro comparanda indulgentia, quinque Altaria visitantibus concessa, satis sit preces effundere ex uno loco sine motu de uno ad aliud altare.

Affirmant Bonac. tom. 1. disp. 5. quest. 7. punct. 5. §. 2. n. 25. Dian. par. 1. tr. 11. resol. 102. & par. 5. tr. 12. res. 16. Bassæus in floribus *verb. Iubil.* notab. 8. Unde consequenter sufficere ajunt, si lucraturus indulgentiam, quinque altaria visitantibus concessam, moveatur corde ab uno altari in aliud, secluso etiam omni impedimento.

Sed oppositum mihi videtur probabilius, & in praxi consulendum, videlicet ad lucrandam prædictam indulgentiam opus esse aliqua accessione, seu motu locali de uno ad aliud altare: itavt saltem moraliter, visitans ad illa altaria orare, censeri possit. Et ratio est, quia in concessione hujusmodi indulgentię commutatur visitatio Ecclesiarum Urbis Romæ in visitationem altarium particularis Ecclesiæ: Atqui pro comparanda indulgentia, Ecclesias Urbis Romæ visitantibus concessa, requiritur visitatio corporalis, hoc est, accessio, & motus localis ad ipsas Ecclesias. Ergo visitatio, etiam altarium, quæ à Pontifice substituitur in locum visitationis Ecclesiarum Urbis, exigit, ut fiat cum aliqua accessione, & motu locali de uno ad aliud altare: præsertim si templum esset ingens, & altaria inter se dissita.

Confirmatur, quia visitatio secundum propriam ejus significationem, & intelligentiam importat accessionem, & præsentiam corporalem, interveniente motu locali, & à qua significatione, & intelligentia non est recedendum; cùm simus in materia indulgentiarum, in qua non prodest opinio probabilis, si à parte rei veritas non subsistat, uti resolutum fuit sup. res. 143. Ergo tutior via est amplectenda, & consequenter visitatio corporalis, sive accessio ad quodlibet altare cum aliquo motu locali videtur necessaria. Ita suadeor, & suasioni meæ favet Card. de Lugo de sacram. pœnit. disp. 27. sect. 6. n. 98. ubi ait, opus esse, ut visitans altaria eo loco, & situ intra Ecclesiæ ambitum existat ut moraliter ad illa altaria orare censeri possit: Ergo sentit non sufficere solum accessum ad Ecclesiam, motumque cordis de uno ad aliud altare; sed requiri debitum locum, & situm, hoc est, aliquam accessionem, seu motum localem ad altaria inter se dissita.

Quod meum judicium, de eo à me consultus, probavit Doctissimus Dominus meus Antonius Guerrinus, Cathedralis Bergomen. Canonicus, vir in utraque Theologia, ac sacrorum canonum doctrina præstantissimus.

Preces verò effundere cum expressa in-

intentione impetrandi à Deo, quod Papa intendit, quamuis valdè commendabile sit, non est tamen necessarium. Quare sufficit virtualis intentio, animusq; orandi juxta Papæ intentionem. Ita Sanctar. de Jubil. c. 7. dub. 1. Lavor. de Iubil. p. 1. c. 14. n. 4. Botton. *in Bullam Sixti V. v. Oratio.* Dian. loc. supra cit.

DE ELEEMOSINA.

Quinto pietatis opere, pro consecutione Jubilei pręscripto.

Quænam eleemosina pro comparando Iubileo sit facienda.

RESOLUTIO CLXV.

RESp. Ad lucrandum Jubileum non sufficit eleemosina spiritualis, quę septem comprehendit opera, ut docere ignorantem, corrigere peccantem, solari męstum, consilium prębere animo hęsitanti, remittere offendenti, sufferre molestos, & orare pro mortuis: Sed eleemosina debet esse realis, & temporalis, quam etiam pauperes impendere debent nec excusantur ob indigentiam, quia implenda sunt pręscripta in Bulla nec sufficit bona voluntas, sed requiritur injuncti operis executio. Ita Bottonus *in Bullam Sixti V.* pag. 194. quem citat, & sequitur Dian. p. 5. tr. 12. res. 14.

Pauperes tamen, qui de quotidiano labore vivunt, vel ostiatim mendicant, petere debent commutationem in aliud opus pium, vel curare, ut Confessarius sibi applicet eleemosinam, vel ut alter eam pro se eleemosinam impendat, aut impensam ratam habeat, quam ipsi, pro consequendo Jubileo largiri deberent. Ita pręter DD. citatos Bass. in florib. the. pract. *v. Iubil.* notab. 6.

Quanta eleemosina sit impendenda.

RESOLUTIO CLXVI.

RESp. Quando eleemosina, pro lucrando Jubileo, indeterminatè statuitur, sufficit quęcumque etiam minima & parva, tàm respectu divitum, quàm pauperum: Si verò in Bulla mandetur eleemosyna, pro cujusque facultate, tunc major eleemosina impendenda est à divite, quàm paupere. Non sunt tamen mensurandæ facultates, & redditus mathematicè, sed moraliter viri prudentis judicio. Ea verò eleemosina statui congrua, & ad comparandum Iubileum sufficiens esset existimanda, quam homines talis status, & conditionis communi. Dian. p. 5. tr. 12. resol. 14. & 15. Bassæus in florib. The. pract. *v. Iubil.* notab. 6. Botton. *in Bullam Sixti V.* pag. 200. Mazuc. disp. 1. q. 4. diff. 26. nu. 116. qui rectè monet abundantiorem eleemosinam, cęteris paribus, abundantiùs profuturam ad meriti, & præmii essentialis acquisitionem.

Herus dat famulo eleemosinam in Iubileo pręscriptam, ut eam pauperibus tradat, sed famulus sibi retinuit. Quæritur, an herus Iubileum comparaverit.

RESOLUTIO CLXVII.

AFfirmativè respondent aliqui, ut Sà *v. indulg.* n. 4. ea nixus ratione quia dominus ex parte sua fecit, quod debuit, committendo famulo eleemosinam pauperibus tradendam: nec enim Bulla videtur requirere, ut lucraturus Jubileum propriis manibus pauperibus eleemosinam impendat, nec videtur rectæ rationi consentaneum, ut herus priuetur Jubilei beneficio ex famuli maleficio.

Cœterùm in negativam partem resoluitur dubium, videlicèt herum, qui commisit, vel tradidit famulo eleemosinam pauperibus elargiendam, si eam sibi retineat, aut post transactum Jubilei tempus eam tradere differat, nequaquam comparare Jubileum. Et ratio est, quia ad acquirendum Iubileum requiritur actualis pręscripti operis impletio intra legitimum tempus; in proposito autem casu eleemosinæ largitio verè, & actualiter non est impleta, cùm ejus dominium in pauperes non fuerit translatum. Ita Bonac. & Graff. apud Dian. p. 1. tr. 12. res. 14. & 15. Card. de Lugo de sacram. pœnit. disp.

disp.27.sect.7. num. 112. Bassæus in floribus The. pract. *v. Iubil.* notab.6. *versic. Qui commisit famulo*.

An Religiosi, Moniales, uxores, filii familias, &c. teneantur impendere eleemosinam in Bulla iniunctam, si Iubilei participes esse velint.

RESOLUTIO CLXVIII.

Resp. Religiosi, qui ex expressa, vel præsumpta suorum Superiorum licentia pecuniarum usum habeant, sicut etiam moniales, item uxores, servi, filii familias, si Jubilei participes esse velint, eleemosinam in Bulla præscriptam impendere debent. Servanda est enim forma in diplomate Jubilei expressa. Ita Dian. p.5.tr.12.ref.14. & 15. Graff. in append.lib.2.c.5.n.58. Sanch.lib.7.mor.c.19. n.92. & 93. & 100.

Addo, Religiosos etiam, quibus usus rerum in particulari non permittitur, adhuc moderatam eleemosinam pro implendo Jubilei onere ex Monasterii bonis elargiri posse, vel curare, ut alter, v.gr. sæcularis amicus eleemosynam pro se tribuat. Ita preter Doctores supracitatos, Card. de Lugo disp.27. de Sacram.pœnit. sect.7. num.116. Diana p.5.tr.12.resol.55. qui extendunt hujusmodi obligationem ad Fratres etiam Minores: Quia licèt hi neque in communi rerum dominium habeant, non carent tamen usu cum facultate libera transferendi dominium, & alienandi, quod sufficit ad rationem verę eleemosynæ, ad hoc, ut pauperi rei acceptæ acquirant dominium.

Posset etiam Superior ex communibus Monasterii bonis dare eleemosynam pro omnibus Religiosis, quæ consuetudo servatur in multis Ordinibus, etiam observantibus; dummodo id illi scirent, & approbarent intra debitum tempus. Ita Card. de Lugo, & Diana l.c.

Supradicti tamen omnes, hoc est, Religiosi, Moniales, uxores, servi, filii familias, &c. si nullam eleemosynam impendere possint, commutationem in aliud opus pium juxta Bullæ concessionem petere debent. Ita Bonac. tò.1.disp.5. quæst. 7. punct. 5. nu.58. Diana cit. Card. de Lugo cit. Bassęus in floribus Theol. pract. *v. Iubil.* notab.6.

Quibusnam eleemosyna pro lucrando Iubileo injuncta, sit impendenda.

RESOLUTIO CLXIX.

Resp. Hujusmodi eleemosyna ex pręscriptione Bullę pauperibus est impendenda. Nomine verò pauperum in favorabilibus veniunt non solùm priuati mendici, sed etiam loca pia, ut Monasteria, Hospitalia pauperum, Ecclesiæ item carentes sacra supellectile ad divinum cultum necessaria: Imò etiam defunctorum animæ in Purgatorio existentes, quæ jugiter ad nos clamant *miseremini*, &c. comprehenduntur nomine pauperum. Ita Navar. man. c. 17. n.93. Suarez tomo 2. de relig. lib.4. c.30. n.17. Reginal. lib.10. n.196. Azor. lib.4. instit. moral. cap. 26. Dian. par.8. tract.5. ref.50. & par.2. tr. 16. resol.19.

Pręterea nomine pauperum venire eum, qui victum potest quærere, aut quærit labore suo: item qui non habet, unde sibi consulat secundùm suam conditionem, & statum, docent Molin. de just. tract.2. disput.747. num.1. Navar. cit. cap.17. num.93. Pet. Navar. de resti. lib.4. cap.2. num.50. Reginal. tom.1. lib.10. c. 24. n.197. Card. de Lugo de just. disput. 6. sect. 10. num.148. ubi docet majorem, vel minorem paupertatem desumi non ex majoribus, vel minoribus diuitiis; sed ex majori, vel minori indigentia, juxta cujusque statum, ac conditionem.

Unde sicut qui ex voto, pœnitentia, legato, &c. tenentur ad aliquid dandum pauperibus, vel qui gravanter onere restituendi incerta injustè, v.g. per fraudem furtum, rapinam, usuram acquisita, satisfaciunt, ea largiendo Monasteriis, Hospitalibus, Ecclesiis, vel in suffragium animarum Purgatorii, ut docet Filliucius tr.23. cap.10. q.9. num.324. Navar. cit. Petrus Navar. de restit. lib.4. c.2. num.50. Vasquez in opusculo de restit. cap. 5. §.4. dub.1. num. 6. & 12. Diana cit. Layman lib.3. tr.2. cap.9. num.2. Ita etiam dicendum

dum

dum est de eleemosyna, pro lucrando Iubileo injuncta: favorabilia enim sunt amplianda, non restringenda; & propterea hujusmodi eleemosynæ largitio non videtur restringenda ad pauperes, & mendicos, secundùm strictam, & naturalem vocabuli proprietatem sumptos, sed ad omnes, qui secundùm communem acceptionem veniunt nomine pauperum juxta supra dicta. Sumus enim in re fauorabili, quæ meritò restrictionem respuit. Quod, præter usum, & praxim Confessariorum tum eruditione, tum probitate præstantium, probauit auctoritas Eminentissimi Cardinalis Petri Ottoboni tunc Brixiæ Episcopi, cujus altissima, prematuraque Eminentissimarum Virtutum, ac meritorum præconia jam Urbem, Orbemque fama, & admiratione complevere. Is enim in mandatis ad Parochos suæ Diœcesis pro euulgatione, ac susceptione Jubilei Sanctiss. D.N. Alexandi Septimi Anno M.DC.LXIII. die 15. Februarii, & M.DC.LXIV die vigesimasexta ejusdem Mensis, pręcepit, ut eleemosynæ in ejusdem Jubilei Bulla pręscriptę, pauperibus elargiendæ, in usus pios converterentur.

Finis Prioris Elucidarii Partis.





INDEX QVÆSTIONVM ET RESOLVTIONVM.

Quæ in priori Elucidarii parte continentur.

Re-



ELV·



ELUCIDARIUM CASUUM RESERVATORUM:

Continens dilucidas Adnotationes

In Censuras, & Casus in Diœcesi Brixien. Reseruatos.

PARS ALTERA.

In Primum Casum Reservatum in Edicto reservationis sub his terminis propositum.

Censuræ omnes, quæ in Decretis Visitationis Apostolicæ, Conciliis Provincialibus, & in nostris Constitutionibus, & Edictis feruntur.



TRIA censurarum genera, ut literam intuenti patet, continentur, ac reservantur in casu. Primò Censuræ omnes, quæ latæ sunt in decretis tam particularibus, quàm generalibus, conditis in Visitatione Episcopali cujuslibet Ecclesię Urbis, & Diœcesis Brixiensis. Secundò censuræ omnes latæ, & dispersæ in septem Conciliis Provincialibus Mediolanis celebratis, in cujus Metropolitanæ Ecclesiæ gremio existit hæc Brixiensi Ecclesia. Tertiò censuræ omnes contentæ in libello, cui titulus, *Constitutiones ad usum Cleri Brixiani, veteres simul, &c.* quæ olim ab Illustrissimo D. Marino Georgio primùm, & post ipsum à Successoribus Brixiæ Episcopis in Synodis à se celebratis renovatę, roborata que fuerunt, nonnullis additis, seorsim impressis, prout conditio temporum requirebat: Quas omnes Illustrissimus, & Reverendiss. D. D. Marinus Joannes Georgius, nunc Sanctæ Brixien. Ecclesiæ Episcopus (cujus summa sapientia, Prudentia, æquitas, ac pietas admirabilis nullo vel palmarię eloquentię elogio satis pro dignitate celebrari possunt) reno-

novavit, & confirmavit in ejus prima Synodo celebrata 20. Aprilis 1668. His annumerantur censuræ, quæ ab eodem Sapientissimo Legislatore, vel ejus Generali Vicario specialibus Edictis, ad mores corrigendos, seu disciplinam Ecclesiasticam retinendam, vel hactenus latæ sunt, vel deinceps ferri contigerit. Propterea cùm censurarum, quæ hoc primo casu continentur, & tria sint genera, & inter se distincta, ita eas in tres distinguere partes, singulasque distinctis percurrere tractatibus operæ pretium duxi.

In Priorem Primi Casus reservati partem, in Edicto sub hac litera propositam.

Censuræ omnes, quæ in Decretis Visitationis Apostolicæ feruntur.

ANNOTATIONES.

1 *Censura quid sit.*
2 *Quotuplex sit censura.*
3 *Sub casu comprehenduntur tres censurarum species.*
4 *Quid sit excommunicatio, suspensio, & interdictum.*
5 *Excommunicatio minor reservationis non est capax.*
6 *Censura alia est latæ sententiæ, alia ferendæ.*
7 *Litera reservationis loquitur de censura latæ sententiæ.*
8 *Quando censeatur censura esse latæ sententiæ.*
9 *Quando sententiæ ferendæ.*
10 *Censura alia à jure, alia ab homine.*
11 *Discrimen inter utramque.*
12 *Censuræ in Decretis Visitationis latæ sunt ab homine.*
13 *Censuræ ab homine cessant, mortuo, vel amoto Conditore.*
14 *Decreta visitationis, ut obligent, priùs promulganda.*
15 *An lex Ecclesiastica vim obligandi obtineat, si usu non recipiatur.*
16 *Refertur sententia negativa.*
17 *Proponitur sententia contraria.*
18 *Verior opinio, cui adhæret Auctor.*
19 *An populus unius Parœciæ obligetur ad legem generalem pro tota Diœcesi ab Episcopo latam, si in ea Parœcia non sit acceptata, aut certè fuerit abrogata.*
20 *Parochi tenentur promulgare Visitationis decreta.*
21 *An obligentur deducere in usum decreta ab antecessoribus non deducta.*
22 *Quæ causæ excusent ab incurrenda censura.*
23 *Quotuplex sit ignorantia.*
24 *Quæ, & quando excuset ignorantia.*

ANNOTATIO I.

1 Censura, nominis etymologiam spectando, deducitur *à censendo*: Verùm in casu sumitur, prout est in usu Ecclesiæ, videlicet pro spirituali pœna quam Ecclesiastici Prælati contumacibus infligunt; & sic definitur. Censura est pœna spiritualis, & medicinalis, inflicta ab Ecclesiastica potestate, privans hominem baptizatum delinquentem, & contumacem usu quorumdam bonorum spiritualium. Ita Sayrus de censuris lib. 1. c. 1.

2 Sed notandum, censuram Ecclesiasticam esse veluti quoddam genus, quod tres sub se continet censurarum species, quæ sunt excommunicatio, suspensio, & interdictum. Neque audiendus est Sotus in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. qui irregularitatem, & cessationem à divinis inter censuras enumerat.

3 Cùm igitur litera reservationis dicat, *censuræ omnes*, clarè indicat, se comprehendere singulas censurarum species, hoc est, omnes excommunicationes, suspensiones, & interdicta, quæ lata fuerunt tùm à Sancto Carolo in Apostolica Provinciæ Mediolanensis Visitatione, intra cujus ambitum continetur Brixien. Diœcesis: Tùm quæ feruntur ab Episcopo Brixien. successivè occasione visitationis diversimodè pro diversitate Ecclesiarum Diœcesis uti constat ex praxi interni fori Ecclesiæ Brixiens. & Confessariorum usu. Ita à me consultus respondit Reverendissimus Dominus meus Carolus Antonius Luciagus, Curiæ Episcopalis Bri-

Brixiensis Generalis Vicarius, Præsul tum nobilitate Generis, ac Dignitatum insignibus, tum præstanti Prudentia, omnique doctrinarum genere præclarissimus: Ideòque à me sæpè allegatus.

ANNOTATIO II.

4 Excommunicatio quæ in jure sæpè nuncupatur anathema, mucro Episcopi, virga ferrea, nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, sic finitur. Est censura, quæ privat hominem baptizatum participatione Sacramentorum communibus Ecclesiæ suffragiis, & communione fidelium; estque excommunicatio pœna, qua nulla major in Ecclesia reperitur. Suspensio est censura, per quam persona Ecclesiastica functionibus Ordinis, vel juribus beneficii impeditur uti. Navar. in man. cap. 27. numer. 151. Interdictum verò est censura, quæ divinorum officiorum, aliquorum Sacramentorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ prohibet usum. Layman lib. 1. tract. 5. par. 4. c. 1. Verùm cùm quælibet supradictarum censurarum rursus subdividatur, videlicet excommunicatio in majorem & minorem, suspensio in suspensionem ab officio tantùm, à beneficio tantùm, & ab utroque simul: similiter interdictum in locale tantùm, in personale tantùm, & in locale & personale simul.

5 Idcircò notandùm, quòd casus, quoad excommunicationis censuram, intelligitur de excommunicatione majori: Quia minor non fertur per decreta, sed contrahitur per communicationem cum excommunicato vitando. Quoad reliquas verò censuras, cùm litera dicat, *censuræ omnes*, clarè indicat sub casu comprehendi suspensiones omnes, & interdicta, quę in Decretis tam generalibus quam specialibus Visitationis in contumaces feruntur, cujuscumque generis illa sint. Nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

ANNOTATIO III.

6 Verùm pro clariori hujusce casus expositione rursus notandum est, quòd quælibet censura subdiuiditur in eam, quæ est latæ sententiæ, & in eam, quæ est ferendæ. Censura latæ sententiæ dicitur, quę de ipso facto, seu criminis admissione incurritur, absque alia judicis sententia. Censura verò sententiæ ferendæ dicitur, quę non incurritur ipso facto, sed requirit judicis, vel Superioris sententiam, vel declaratoriam admissi criminis, & contractæ pœnę, vel damnatoriam ejusdem criminis. Ita communiter Doctores apud Bonacin. de censuris disp. 1. q. 1. par. 1. num. 5. & 6. quę duplex censurę distinctio in discussione hujus primi casus Confessariis ob oculos semper est habenda.

7 Litera itaque reservationis, cùm dicit, *censuræ omnes*, loquitur de censuris latę sententię, quę incurruntur ipso facto, nulla expectata Superioris declaratione. Quod clarè constat ex illo termino, *feruntur*.

ANNOTATIO IV.

8 Sed hinc obiter inquires, quomodò potest discerni, an censura sit latæ sententiæ, an tantùm ferendę? Respond. Quatuor modis id posse discerni. Primo si in lege addatur ista particula, *ipse jure*, quia tunc censura per jus ipsum fertur: vel hęc alia, *ipso facto*, quia posito facto, seu inobedientia talis legis, statim incurritur. Quæ propterea dicitur etiam latę sententię, quia per ipsam legem jam lata est sententia de illa censura, etiam ante comissum delictum. Quare hęc tria *ipso jure, ipso facto, latæ sententiæ* eamdem rem significant. Secundò quando censuram comitantur hęc verba. *statim. continuò. illicò. mox. confestim. &c.* Tertiò cum adhibentur verba modi indicativi, v. g. excommunicamus, suspendimus, &c. vel qui hoc fecerit, est excommunicatus, suspensus, &c. vel sciat se excommunicatum, suspensum, &c. Quartò cùm censura fertur

per

per verba præsentis imperativi, v.gr. sub jaceat excommunicationi, incurrat excommunicationem,&c. Vide Avilam de censu. par.2. cap. 2. disp. unic. & Bonac. de censur. disp.1. quęst.1. punct.1.num.5. & 6.

9 Quòd si sub aliis terminis imposita fuerit, v gr. si dicatur, excommunicetur, suspendatur,&c. vel qui hoc fecerit, erit excommunicatus, suspensus &c. Similiter si verba sint tantùm comminatoria sub pœna excommunicationis, sub interminatione suspensionis &c. censura sententiæ ferendæ censenda erit; ut docet Avila loc.cit. Layman de censu. lib.1. cap. 11. nu.10. 11. 12. & 13. In dubio autem an verba involuant sententiam latam, vel ferendam, in mitiorem partem interpretanda esse, ut scilicèt contineant sententiam tantùm ferendam, docet ex communi Bonac. l.c. n.6. & Layman l.c. cap. 2.num.3. Quia odia non sunt amplianda, sed restringenda.

ANNOTATIO V.

10 Verùm ulteriùs notandum, censuram aliam esse à jure, aliam ab homine: censura à jure dicitur, quæ fertur per canones, constitutiones, vel statuta Ecclesiastica stabili, & permanente lege contra omnes subditos. Censura verò ab homine dicitur illa, quæ infligitur à Iudice, vel Pręlato per modum sententiæ, vel decreti, seu mandati in aliquo facto particulari, vel contra certas personas.

11 Inter quas censuras hoc discrimen intercedit, quòd censura ab homine lata cessat, mortuo, vel amoto Legislatore: censura verò à jure adhuc durat, Legislatore sublato, nisi à successore revocetur, vel contraria consuetudine legitimè præscripta tollatur: sicuti constat ex cap. fin. de off. legati: & cap. unic. de major. & obedien. & cap. Pastoralis §. 1. de offic. Ord. & docet Ugolinus de cens. tab. 1. cap. 9. §. 4. Suarez 3. par. tom. 5. disp. 5. sect. 1. Sayr. de censu. lib.1. cap. 7. num.11. & 12. Layman lib.1. tract.4. cap. 5. num.5.

12 Modò cùm censuræ in decretis visitationis Episcopalis, de quibus in prima hujus casus parte loquitur Edictum, infligantur per modum pręcepti, ac decreti, & in factis particularibus Ecclesiarum Urbis, & Dięcesis Brixien. Idcircò reputari debent censuræ ab homine. Ugolinus loc.cit. d. 1. & 2. de off. & potest. Episc. par. 2. cap. 47. §. 2. num. 1. & 2.

13 Unde consequenter dicendum est, censuras in visitatione conditas penitùs vim suam amittere, mortuo, vel amoto conditore, ut nemo deinceps eas incurrere possit; quamuis si antea incurrerat, iis innodatus maneat, donec absolvatur. Ita Suarez cit. disput.3. sect.1. Sylvest. V. excomm.3. ConincK tom.2. disp. 13. dub.1. numer.11. Layman de censur. lib.1. tract.5. cap.2. num. 2. Sayrus cit. n. 11. & 12.

ANNOTATIO VI.

14 Cœterùm pro pleniore casus discussione notandum; sicut ad valorem legis inter cœteras conditiones, prærequiritur authentica ipsius promulgatio, juxta morem in singulis locis receptum, & institutum, ita sentiendum esse de decretis à Providissimo Legislatore, & Episcopo nostro in Visitatione conditis. Nam illa sunt leges, vel particulares Paræciarum, vel generales totius Diœcesis, & obligant ad modum aliarum legum Ecclesiasticarum. Propterea, quandiù hujusmodi decreta, ad Parochos transmissa, ab ipsis non fuerint sufficienter publicata, vel saltem ad valuas Ecclesiæ, aut in sacristia (cùm ad Clericorum disciplinam spectant) affixa, non vigebit eorum obligatio: nullique culpæ, vel pœnę transgressores erunt obnoxii. Neque refert, etsi priuata notitia aliquibus innotescant decreta in visitatione condita, adiectis censurarum pœnis. Nam priuata illa notitia non supplet promulgationis defectum, quę essentialis est ad valorem legis. Ita Suarez de legib. lib. 3. cap. 16. num. 2. & 6. ex communi.

AN-

ANNOTATIO VII.

15. Major difficultas est, an ad valorem Ecclesiasticæ legis requiratur etiam populi acceptatio, ita ut vi careat, quamvis sit legitimè promulgata, si populus, vel major pars populi prosequatur facere, quod facere consueverat ante legis promulgationem: quo casu lex dicitur usu non recepta.

16. Affirmant Navar. in man. c. 23. n. 41. Azor. tom. 1. lib. 5. cap. 4. Sylvest. V. lex Beccan. 1. 2. tr. 3. cap. 6. q. 8. num. 3. Valen. de legib. disp. 7. q. 5. p. 5. qui licèt fateātur legislatorem Ecclesiasticum posse obligare subditos ad observantiam suæ legis independenter ab eorum acceptatione: tamen benignè interpretandam esse ipsius mentem, ajunt, ut quandiù ipsius lex non est recepta, velit obligationem suspendi, ne detur peccandi occasio. Potestas enim (inquiunt) Pręlatis Ecclesiæ à Christo data est in ædificationē, non in destructionem: Quod non esset, si vellent uti sua potestate contra communem subditorum consensum.

17 Oppositum docent Suarez lib. 3. de leg. cap. 19. Regin. lib. 13. numer. 161. Rodriq. tom. 1. qq. reg. quæst. 6. art. 6. asserentes legem tam ciuilem, quàm Ecclesiasticam legitimè conditam, quamvis à subditis non acceptetur, obligationem inducere.

18 Sed mihi distinguendum videtur cum Layman infra cit. Nam vel Superior scit suam legem à maiori populi parte non recipi, nec observari, & tamen tacet; & tunc censetur legem revocare tanquam subditis difficilem, & incommodam. Vel nescit non recipi, nec in usum deduci, & tunc durat legis obligatio, sicut & adnexa pœna, donec elabatur decennium: quo elapso, sublata censetur per decennalem præscriptionem. Vel denique scit legem non acceptari, sed ipse reclamat, & vrget subditos ad observationem: & tunc subditi eam observare tenentur, & peccant non observando. Alioquin majoris potestatis essent subditi, quàm Superior; quod absurdum est dicere. Ita Layman lib. 1. tr. 4. cap. 3. n. 3. cui subscribit Medulla themor. l. 1. tr. 2. c. 1. dub. 3.

Addo hanc propositionem. *Subditi non peccant, si absque justa causa non recipiant legem à Principe*, (vel Superiore) *promulgatam*. nouissimè inter plures alias prohibitam, & damnatam fuisse à Sanctiss. D. N. Alexandr. VII. die 2. Octob. 1665. sub pæna excommunicationis latæ sententiæ cujus, absolutionem sibi Successoribusquè reservavit: Ideòquè profligata manet contraria sentētia. Quæ doctrina valdè conducit ad primi casus cognitionem. Nam si visitationis decreta aliæquè leges, quę recensentur in casu, in suo robore, ac firmitate permaneant firmæ regulariter subsistent etiam adnexę censurarum pęnę. Dixi regulariter, quia in raro casu lex cessare potest quòad unam partem, nēpè quoad pęnam interim manente quoad alteram, videlicet quoad culpam: sicuti docet Abb. Nau. Suarez, quos citat, & sequitur Laym. lib. 1. tr. 4. c. 24. nu. 12.

19 Placet hic resolvere dubium olim mihi propositum, an scilicèt in casu, quo Episcopus edictum generale condidisset pro tota Diœcesi, si constet illud in aliqua Paręcia non fuisse receptum à majori parte populi dictę Parœcię, aut certè fuisse postea abrogatum, sciente, & non reclamante legislatore, an, inquam, istud edictum obliget populum illius Paręciæ.

Resp. videri non obligare, & inde suadetur, quòd quando dicitur acceptatio legis debere fieri à majori parte populi, vel communitatis, id non intelligitur solùm de populo, v.g. totius Regni, Provincię, vel Dięcesis, sed etiam de populo, seu communitate particulari, & quidem etsi non sit satis ampla, (quod est contra Baldellum lib. 5. disp. 18. n. 23. requirentem in proposito casu, ut communitas sit satis ampla) qualis utique est etiam particularis Paręcia alicujus Dięcesis. Cùm ergo lex non obliget, nisi sit acceptata, si populus unius Paręcię pro majori parte non acceptet legem ab Episcopo pro tota Dięcesi latam, is ad illius observationem non obligatur, quamvis populi aliarum Paręciarum communiter illam ob-

servent, utpotè ab ipsis acceptatam, & postea non abrogatam. Ita colligitur ex Bonacina de legib. disp.1. qu. 1. punct.4. num.33. pro se citante Navar. Azor. Sala. Valen. Reginal.

20 Parochis itaque ex officio incumbit visitationis decreta, cęteraque Episcopalia edicta, postquam ipsis transmissa fuerint, in Parœcia promulgare, vel promulganda curare, in usumque deducere, alioquin si incuriosi fuerint, graviter possunt peccare.

21 Parochi tamen quorum antecessores ejusmodi decreta, vel edicta publicare, & in usum deducere neglexerunt, excusari possunt, si ipsi quoque ea non promulgent, nec observari curent. Ita Bonac. loc. supra cit. num.40. Azor. lib. 5. cap 4. q. 5. Becan. 1. 2. tract. 3. cap. 6. quęst. 6. num. 4.

ANNOTATIO VIII.

22 Superest videndum, an legum Ecclesiasticarum aliquando cesset obligatio, & consequenter etiam illis adnexa censurarum pœna. Pro quo notandum pluribus de causis id accidere posse, nimirùm ex inaduertentia, vel ignorantia, de qua in sequenti annotatione, ex impossibilitate, ex periculo gravis incommodi, ex lege contraria, dispensatione, cessatione causę finalis, ex Epicheja, quæ est benigna legis interpretatio, in aliquo casu particulari privatim facta, quatenùs per Epichejam aliqui casus censentur excepti: Ex contraria denique consuetudine, de qua infra in secunda hujus primi casus parte, *annotat. 2.* Quando igitur aliqua ex enumeratis causis concurrit, sicut cessat Episcopalium decretorum obligatio, sic etiam adiecta censuræ pœna, utpotè obligationi legis accessoria. Ruente autem principali, ruit etiam accessorium ut clarum est apud omnes.

ANNOTATIO IX.

23 Ex causis verò, quę frequentiùs à censurarum pœna excusant, potissima est ignorantia. Pro cujus intellectu breviter notandum, quòd ignorantia alia est juris, alia factis alia pœnæ. Ignorantia juris dicitur, cum quis ignorat legem, sive Superioris præceptum. Ignorantia facti, cùm quis ignorat factum ipsum. Ignorantia verò pœnę, cùm quis ignorat latam esse talem pęnam in transgressores. Ignoranria juris, vel facti subdividitur; quòd alia est invincibilis, alia vincibilis. Invincibilis dicitur, quæ morali diligentia vinci, & tolli non potest, vel quia nunquam venit in mentem cogitare de opposita veritate, vel etsi venerit, tamen adhibita diligentia, error depelli non potuit. Ignorantia verò vincibilis dicitur, quæ superari, ac tolli, & opposita scientia acquiri potuisset. Et hęc rursus dividitur, quòd alia est purè vincibilis, alia crassa, seu supina, alia affectata. Ignorantia purè vincibilis jam descripta est. Ignorantia crassa, seu supina est illa, quę procedit ex magna cognoscendi negligentia: Et dicitur crassa, sumpta metaphora ab hominibus crassis, & obesis, qui desides esse solent: Supina verò, sumpta metaphora ab iis, qui de rebus suis nullam curam suscipiunt, sed supinè in lecto jacent. Ignorantia verò affectata est illa, cùm quis, data opera, vult ignorare, & non inquirere veritatem, sive ob discendi tœdium, sive, ut legis obligatione ignorata, liberiùs peccare possit.

Solet etiam ignorantia dividi in antecedentem, comitantem, & consequentem. Antecedens dicitur, quæ est causa operis, quia si abesset, opus non fieret; & non distinguitur ab ignorantia inuincibili. Comitans illa, quæ non est causa operis, quia si abesset, adhuc opus fieret. Consequens verò illa, quę aliquo modo voluntaria est, & non distinguitur ab ignorantia culpabili, & vincibili. Quæ ignorantię divisiones accomodari possunt inaduertentię, oblivioni, & inconsiderationi, quę in moralibus æquiparantur

tur ignorantię. Ita D. Thom. 1. 2. quæst. 76. Sanch. l. 1. mor. c. 16. nu. 6. Laym. lib. 1. tr. 2. c. 4. n. 2. 3. 4. & 5.

ANNOTATIO X.

24 Nunc ad rem propriùs deveniendo, dicendum est.

Primò ignorantiam invincibilem facti, sicut excusat à culpa, sic etiam excusare à pęna: Nam pęna infligitur propter culpam. Ita Sanch lib. 9. de matr. disp. 32. n. 23. Neque refert, licèt ignorans daret operam rei illicitæ. Idem Doctor l. c. n. 26.

Secundò ignorantiam invincibilem juris similiter excusare à culpa, & pęna. Idem Sanch. l. c. num. 9. & 17. Quod verum est tam de pęnis per statuta Ordinariorum, quàm per Summum Pontificem impositis. Ita communiter D.D. quos citat, & sequitur Sanch. l. c. num. 17. contra Vgolinum de censu. tab. 1. cap. 9. §. 8. numer. 10. & alios. Neque officit, etsi quis ignoranter violando legem ecclesiasticam sub censura, scienter delinquat contra jus divinum, vel naturale: Nam etiam eo casu non ligatur censura, quę non afficit nisi contumaces contra legem Ecclesiæ sicuti docent Azor. ConincK. Sanch. Nav. Bonac. Layman quos citat, & sequitur Dian. par. 3. tr. 6. resol. 41.

Tertio dicendum, ignorantiam invincibilem pœnæ, seu censuræ excusare ab incurrenda censura: Quia censurę non afficiunt, nisi contumaciter delinquentes contra ipsas. Imò Sanch. l. c. nu. 16. Nav. in man. cap. 27. n. 274. Dian. par. 4. tract. 2. resol. 85. sustinent hoc habere locum etiam in irregularitate ex delicto, quæ imponitur, tanquam delicti pœna. Secus in irregularitate ex defectu, quæ incurritur etiam ab ignorantibus; cùm nullam præexigat culpam.

Quartò ignorantiam etiam vincibilem facti, vel juris, simpliciter imponentis censuram, excusare ab illa, dummodo crassa non sit, aut supina Constat ex *cap. de constit. Vt animarum periculis obvietur, &c.* & docet Sanch. l. c. n. 31. Dian. par. 4. tract. 5. resol. 13. quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia; qui autem ignorat etiam culpabiliter censuram, is contumax censeri non potest: Nam contumacia præsupponit scientiam.

Quintò dicendum, ignorantiam crassam, non excusare ab incurenda censuræ pœna, simpliciter inflicta; patet ex supra relata *constitutione*, ubi dicitur. *Dum tamen eorum ignorantia crassa non sit, &c.* Ergo quando ignorantia est crassa, non excusat. Et quamvis in dicta constitutione solùm de Episcopis mentio fiat; idem tamen dici debet etiam de Pontificiis censuris: Nam censura instituta est ad medelam, non periculum animarum. Layman loco citato ex communi.

Sextò ignorantiam crassam, vel supinam eximere à censuris, latis contra pręsumentes, vel audentes facere; dummodo non sit ingens temeritas, quæ dolo, ac pręsumptioni æquiparetur; vt si Confessarius negligeret scire ea, quæ ex officio scire tenetur. Ita Nauar. man. cap. 27. numero 141. Sanch. loc. c. numer. 36. & libr. 2. moral. cap. 10. numero 38. Henriq. Auila, Mol. Bonac. quos citat, & sequitur Dian. loc. c. & par. 3. tract. 6. resol. 7. Finellius de cas. reser. cap. 6. num. 8. & cas. 1. num. 9. contra Toletum lib. 1. cap. 48.

Septimò ignorantiam affectatam, seu directè volitam non excusare ab incurrēda censura, quamvis imposita sit scienter, & temerario ausu peccantibus: Tum quia ignorantia affectata æquiparatur scientiæ, & præsumptioni: Tum quia hæc non minuit, sed potiùs auget malitiam, cùm affectetur ad liberius peccandum: Ideoquè dolum formalem in se contineat. Quò spectat vers. Psalm. 35. *Noluit intelligere, vt benè ageret.* & illud D. Greg. loc. 25. mor. cap. 11. *nescire ignorantia est, nolle autem scire superbia.* Ita Nauar. cons. 1. in princ. de constitut. Sanch. lib. 7. de matrim. disput. 48. sibi contrarius, lib. 2. moral. cap. 10. nu. 38. Suarez, Henriq. quos citat, & sequitur Layman lib. 1. tract. 5. part. 1. cap. 5. nu. 8. Molin. Graff. Naldus, quos citat, & sequitur Sylvius 1. 2. quæst. 76. artic. 4. conc. 3.

conc. 3. contra Bonac. Fill. Dian. apud ipsum cit. par. 3. tract. 6. resol. 7. Quorum tamen opinio, cùm sit probabilis ob rationes extrinsecas, potest quilibet eam sequi in praxi.

RESOLUTIVA PRAXIS
Pro incidentibus.

1 Ex prænotatis resoluitur illum ligari casu, qui contraxit censuram vel excommunicationis, vel suspensionis, vel interdicti, si quæ in decretis visitationis ipso facto lata est: dummodo hujusmodi decreta sufficienter fuerint promulgata, in usumque deducta, patet *ex annotatione 6. & 7.*

2 Subjacent tum culpæ, tum pœnæ etiam Fœminæ, si Episcopalia Visitationis decreta huiusmodi sint, vt comprehendant etiam fœminas, ac indistinctè omnes transgressores afficiant. Nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

3. Afficitur casu, qui post promulgata alicubi visitationis decreta, domicilium ibi fixit, censuramque in iis decretis contentam contumaciter contraxit: Quia huiusmodi decreta sunt particulares illius loci leges, quæ afficiunt, & ligant omnes in illo loco domicilium habentes. Ugol. de cens. cap. 9. §. 3. num. 4. Floron. de cas. reser. par. 1. cap. 2. §. 2. num. 21.

4. Incidit, qui scienter violat supradicta decreta legitimè promulgata, & in vsum deducta, quamvis ignoret adnexam censuræ pœnam, si talis ignorantia crassa sit, aut supina. Quia ignorantia crassa non excusat à censura, præterquam si in temerario ausu peccantes sit decreta; patet *ex annotatione 8.*

5 Subjacet reseruationi, qui non ignoranter transgreditur Visitationis decreta, quibus adiecta est censura; à majori populi parte vsu sint recepta; liquet *ex annotatione 7.*

6 Idem resoluitur, cùm dubium subest, an eius generis decreta in aliquo loco sint in vsum deducta. Quia in dubio possessio stat pro obligatione legis, sicut pro ipsa stat etiam presumptio. Lessius lib. 2. cap. 22. dub. 13. Bonac. de legib. 1. disp. 1. quest. 1. punc. 4. n. 44. Subsistente autem obligatione legis, subsistit etiam adnexa censuræ pœna, nisi per contrarium usum fuerit abrogata; sicut rectè notat Laym. lib. 1. tr. 4. c. 24. n. 12.

Quot verò, & qualia sint visitationis decreta, ad Rectores duntaxat, & Cõfessarios particularium Ecclesiarum id scire spectat; quibus etiam ex officio incumbit decreta ipsa, eisque adjectam cẽsurarum pœnam in Parœcijs evulgare, ac in usum deducere. Instituti nostri est generalia tantùm, quæ occasione Episcopalis visitationis ab Illustrissimo Visitatore condita sunt, totamquè respiciunt diœcesim, recensere decreta. Cujus generis hoc unum reperi.

Liber etiam in omnibus Ecclesiis perpetuò asservetur, in quo Sacerdotes obligati, posse quam sacrum fecerint, nomen, & cognomen proprium inscribant. Qui verò id omiserint, habeatur, ac si non celebrassent. Qui autem scribere audebunt missa non celebrata, pœnam suspensionis eo ipso incurrant. Et eadem pœna teneantur, qui tales libros succiderint, conspurcauerint, absconderint, vel dedita opera perdiderint.

7 Vnde resolvitur, suspensionem incurrere ipso facto singulos diœcesis Brixien. Sacerdotes, qui obligatione celebrandi adstricti, in libro notandis missis in Ecclesiijs exposito nomen, & cognomen inscribere præsumunt, missa non celebrata. Clara sunt decreti verba.

8 Eidem suspensionis pęnæ subiacet Sacerdos ille, qui vnam, vel alteram missam votiuam, vel de *requiem* suscepit celebrandam, si falsò, & scienter notet in libro se eas celebrasse, cùm nõ celebraverit. Quia talis Sacerdos ratione receptæ, vel recipiendæ eleemosinæ est obligatus ad celebrandum. Cui autem conveniunt verba legis, & eius dispositio convenire debet.

9 Non sunt immunes ab hac pœna Regulares, si in Ecclesijs Episcopo subjectis onere celebrandi adstricti, decretum hocce violare pręsumant: Tùm quia Regulares in Ecclesiis Episcopo subjectis tenentur vi coactiva, & non directiva tantùm servare Episcopi præcepta, celebrationem missarum respicientia.

Si-

Siquidem Episcopi ex Tridentini decreto sess.22. possunt tanquam delegati Sedis Apostolicæ censuris compellere Regulares, ut circa celebrationem missarum vitent, & observent, quæ vitanda, & observanda ipsi prçceperint. Vide Barbos. & Merollam, quos citat, & sequitur Januar. de cas. res. resol. 44. num. 16. & subscribit Franc. Leo *in thesauro fori Ecclesiastici* par. 1. c.8. n.19. ubi etiam ex Triden. sess. 25. cap.12. probat censuras, & interdicta nedum à Sede Apostolica, sed etiam ab Ordinariis emanata à Regularibus in eorum Ecclesiis esse publicanda, & servanda: Ergo multò magis in Ecclesiis Episcopo subiectis.

10 Nec eximitur à reservatæ suspensionis pœna, qui ex ignorantia affectata transgreditur prædictum decretum: quia ignorantia affectata çquiparatur scientię, & præsumptioni. Quæ resolutió verificatur de omnibus censuris in scienter, & temerè peccantes inflictis. Vide supra *annotationem* 10. sub divisione 7. de ignorantia.

RESOLUTIVA PRAXIS
Pro non incidentibus.

1 In casum non incurrit, qui Episcopalis Visitationis decreta cum annexa censura non servat ante legitimam eorumdem promulgationem, non obstante, quòd privata notitia ea sibi innotescant: quia promulgatio est de eorum essentia. Vide supra annot.6.n.14.

2 Idem deciditur de illo, qui hujusmodi decreta, sub censuræ pœna non observat, eò quòd à populo non sunt acceptata, & in usum deducta, sciente, & tacente Sapientissimo Conditore. Laym. lib.1.tract.4.cap. 3. n. 2. vide supra annot. 6.n.17.

3 Non incidit, qui promulgata, usuque recepta violat visitationis Episcopalis prçcepta, si eis tantùm si adiecta ferendæ sententię censura; patet ex termino, *feruntur*, qui latam sententiam importat.

4 Non subiacet culpæ, nec censuræ pœnę, qui transgreditur decreta à Prçdecessoribus Brixię Episcopis in eorum visitationibus condita, si ea postmodum à Successoribus Brixiæ Episcopis in eorum visitatione, nec renovata, aut confirmata fuerint sub eadem censuræ pœna. Quia hujusmodi decreta, cùm sint leges ab homine, expirant, mortuo, vel deposito conditore. Vide supra annot.5. n.12.& 13.

5 Non afficitur censura, qui prædicta prçvaricatur decreta in re levi, & parva, quæ venialem culpam non excedit: quia culpa tantummodo venialis non est capax censurę gravis, nec reservationis. Ita communiter DD. apud Bonac. de censur. disp.1. q.1. punct.3. n.6.

Adverte tamen cùm dicitur, culpam venialem non esse capacem censuræ, id intelligendum esse de censura gravi, v.g. majori excommunicatione, majori suspensione, vel interdicto gravi, non autem de censura levi, v. gr. suspensione, vel interdicto ad breve tempus, quæ censurç validè interdum imponuntur, & contrahuntur ob solam culpam venialem, teste Sayro de cens. lib.1. cap. 9. & lib.4. cap.1. num.19. Tolet. lib.1. cap.8. n. 1. & cap.44. num.4. Bonac. de cens. disp.1. quęst.1. punct.3. Layman lib.1. tract.5. par. 1. cap.5.

6 Eadem immunitas extenditur ad eum, qui culpabiliter quidem violat visitationis decreta, non tamen per contumaciam, sive contemptum, quasi auctoritatem Illustrissimi Visitatoris, sub censurę pœna præcipientis, contemnat: quia ad incurrendam censuram non sufficit prçcisè culpa mortalis, sed requiritur etiam contumacia, quę proxima est censurę materia: nam qui Ecclesię inobediens non est, pęnas Ecclesiasticas subire non debet. Ita Tolet. lib. 1. cap. 8. Bonac. l.c. num.19. Layman l.1. tr.5. c.5. num.1.

Rectè tamen advertit Avila de censuris par.1 cap.5. disp. 1. dub.11. ad censuram non requiri inobedientiam directam, seu contemptum formalem; ne fateri cogamur, eum duplex peccatum committere, qui opus sub censura prohibitum exercet, sed sufficere inobedientiam generalem, & comtemptum interpretativũ, qui semper intervenit, quoties

quis violat præceptum cum notitia censuræ.

7 Non est obnoxius reservatæ censuræ, qui cum ignorantia sive juris, sive facti, agit contra id, quod in decretis Visitationis præceptum, vel prohibitum est sub censuræ pœna, dummodò talis ignorantia crassa non sit, aut supina: Quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia, ut dictum est, qui autem censuram ignorat, is contumax, vel clavium contemptor censeri non potest. Layman cit. cap. 5. n. 7.

8 Non innodatur, qui cum ignorantia comitante, non crassa transgreditur visitationis decreta, quibus adnexa est censura: Quia ignorantia comitans non differt ab ignorantia antecedente, nisi ob pravum affectum ad opus sub censura prohibitum: at hæc excusat, quando non est crassa, aut affectata: Ergo & illa. Neque officit pravus affectus: nam excommunicatio (& idem est de aliis censuris) sicut etiam irregularitas, & restituendi obligatio nunquam contrahitur ob pravum affectum, sed ob effectum, hoc est, actum externum cum effectu consumatum. Vasqu. 1. 2. disp. 125. cap. 3. num. 9. Graff. de cas. reseru. lib. 1. cap. 4. reg. 3. n. 7. Bonac. de Sacram. disp. 5. quæst. 7. punct. 5. §. 1. n. 4.

9 Ampliatur immunitas etiam ad eum, qui ex ignorantia crassa violat censuram in visitationis decretis contra præsumentes, vel audentes latam: Quia talis ignorantia non æquiparatur præsumptioni: siquidem præsumptio includit cognitionem, dolum, & contemptum, teste Grassio de cas. reseru. lib 2. cap. 5. num. 52. Diana par. 4. resol. 187.

10 Non ligatur, qui hospitandi gratia, existens in aliena Parœcia, ibi violat Visitationis decreta, quæ non obligant in propria: Quia illa non ligant nisi incolas, qui sunt de communitate illius Parœciæ, pro qua condita sunt. Hic autem non est incorporatus illi communitati. Diana par. 3. tractat. 5. resolut. 73. potest tamen esse, ut peccet ratione scandali.

11 Non subjacet, qui existens extra propriam Parochiam non observat visitationis leges, respicientes propriam Parochiam: Quia hujusmodi decreta afficiunt tantùm territorium Parochiæ, & exinde Parochianos existentes in Parochia. Et quamvis existens in alia Parœcia semper maneat subditus eidem Legislatori, non tamen per ordinem ad leges propriam Parœciam respicientes. Diana cit. tr. 5. resol. 74.

12 Quoad suspensionem verò latam in decreto respiciente totam Diœcesim, de notando nomine, & cognomine celebrantis, resolvitur non incidere Sacerdotem, qui nulla obligatione adstrictus, notavit in libro se celebrasse, cùm non celebraverit: Tùm quia decretum expressè loquitur de Sacerdote obligato: Tùm quia finis Superioris censetur esse, ut innotescat, an Sacerdotes obligati oneribus suis satisfaciant. Quò spectat monitio ad Episcopos Concilii Provincialis Mediolanens. 7. tit. de Missis, quod non militat in nostro casu.

13 Non innodatus Sacerdos, cui incumbit onus celebrandi, si ex ignorantia etiam crassa notet in exposito libro missam, quam non celebravit: Quia, ad incurrendam hanc suspensionis pœnam, requiritur ausus temerarius, ut constat ex illo termino, *audeant*. Ignorantia autem crassa non æquiparatur ausui temerario: Secus dicendum de affectata: ut supra resolutum fuit resolut. 10. *pro incidentibus*.

14 Idem resolvitur de illo, qui ex oblivione, inconsideratione, vel inadvertentia, etiam culpabili falsò notavit in libro se sacro operam dedisse. Nam ista æquiparantur ignorantiæ: ausumque ac contumaciam excludunt. Layman lib. 1. tr. 5. par. 1. c. 5. n. 7.

15 Eadem immunitas à suspensionis censura extenditur ad eos Clericos, qui ex eadem ignorantia, inadvertentia, incogitantia, vel ex loco, aut levitate animi, hujusmodi expositum librum discindunt, conspurcant, occultant, vel perdunt: Quia ut sæpè dictum est, deficiente mortali culpa, vel saltem contumacia, non incurritur censura. Navar. in man. cap. 27. num. 101. & 102. Layman loco

locco citatò cap. 11. num. 5. & 6. Quomodo autem se gerere debeat Pœnitentiarius cum pœnitente, irretito aliqua censura in decretis visitationis contenta, vide infra in fine tertię partis hujus primi casus.

In Secundam primi Casus Reservati Partem, in Edicto sub his terminis expressam.

Censuræ omnes, quæ in Conciliis Provincialibus, &c. feruntur.

ANNOTATIONES.

1 *Concilia, alia sunt Generalia, alia Nationalia, alia Provincialia, alia denique Synodalia.*

2 *Septem Mediolanensis Provinciæ sunt Concilia; diversis temporibus celebrata.*

3 *Casus comprehendit censuras omnes in septem Conciliis Provincialibus contentas.*

4 *Quid sit consuetudo.*

5 *Consuetudo legitimè præscripta an habeat vim abrogandi legem.*

6 *Quo temporis decursu præscribatur consuetudo.*

7 *Ad tollendam legis obligationem, an sufficiat tacitus Legislatoris consensus.*

8 *Casus intelligitur de censuris in Conciliis Provincialibus contentis, quæ modò vigent.*

ANNOTATIO I.

1 Suppositis iis, quæ de censurarum doctrina in præcedentis partis annotationibus dicta sunt, restat notandum Concilia esse in quadruplici differentia; quędam dicuntur Generalia; quę summi Pontificis auctoritate congregantur, universi Christiani Orbis Episcopis convocatis; eaque potestatem habent condendi universales leges, ac fidei controversias decidendi. Hujusmodi tamen Conciliorum Generalium decisiones, ac decreta, ut robur, & auctoritatem habeant, omninò necesse est, ut à summo Pontifice fuerint approbata, & confirmata: uti ex communi docet Cajet. in opusculo de auctoritate Papæ, & Concilii, cap. 6. Alia sunt Nationalia, quæ convocatis ejusdem nationis Episcopis, & Archiepiscopis à Primate, seu Patriarcha indicuntur. Alia Provincialia, quæ ob Archiepiscopo, seu Metropolitano convocatis ejusdem Provinciæ Episcopis, olim semel in anno, secundum Tridentini verò constitutionem sess. 24. cap. 2. de reform. quolibet saltem triennio celebrantur, vel celebrari deberent. Alia denique Diœcesalia, quæ auctoritate Episcopi, convocatis ejusdem Diœcesis Prælatis, & parochis, quot annis celebrantur, vel certè celebranda essent, ex eodem Trident. decreto.

2 Cœterùm in nostro casu agitur dumtaxat de Conciliis Provincialibus, Mediolani diversis temporibus celebratis, quibus Mediolanensis Provinciæ Episcopi interfuerunt: Quorum Amplissimum concessum Brixienses Episcopi, Duces, Marchiones, Comites, &c. (tot enim titulorum gemmis corruscat Brixiensis Insulæ Corona) peruenustè decorant. Hęc autem Mediolanensis Provincię Concilia septem usque ad pręsens numerantur; in quibus permultæ, tam ad animarum medelam, quàm ad disciplinam Christianam retinendam, latę sunt censurę.

3 Reservantur itaque in hac secunda primi casus parte censuræ omnes, hoc est omnes excommunicationes, suspensiones & interdicta, quę in septem prędictis Conciliis continentur. Terminus enim indefinitus indefinitè sumi debet. Quod intelligendum est, dummodò hujusmodi censurę adhuc vigeant, & in desuetudinem non abierint.

ANNOTATIO II.

4 Quod ut clariùs intelligatur, notandum est, pluribus de causis cessare legum Ecclesiasticarum obligationem, & consequenter annexam censurarum pęnam: quas causas supra recensuimus *annotatione* 8. pręcedentis primi casus partis: In quarum numerum consuetudinem con-

tra legem reposuimus, quę consistit in actibus frequentatis contra legem,& vim habet abrogandi legem, concurrentibus duabus conditionibus,quarum prima est ut justa & rationabilis sit,altera, ut sit legitimè pręscripta.

5 Tunc autem consuetudo censetur justa & rationabilis, quando ex una parte prodest bono communi, & ex altera non adversatur naturali,aut Divinæ legi. Nam contra eas nulla potest fieri præscriptio. Tunc verò censetur legitimè pręscripta, quando contra legem Ecclesiasticam invaluit contrarius usus, per temporis lege definiti decursum,hoc est, per spatium quadraginta annorum. Nam quamvis nullo jure determinatum sit tempus pro pręscriptione consuetudinis, vim legis obtinentis, sicuti aliarum rerum: Nihilominus communis ferè sententia recepta est, ut idem tempus, quod requiritur ad pręscriptionem aliarum rerum, requiratur etiam ad pręscriptionem consuetudinis.

6 Unde fit, ut consuetudo contra legem civilem requirat decem annorum spatium, contra Ecclesiasticam quadraginta: quo elapso, non censetur amplius vigere lex, sed firmari contraria consuetudo. Vide Layman lib. 1. tract.4. c. 24. num.4. & 6. & Filluc. tr.21. numer. 431. Quod verum est, etsi leges illę Ecclesiasticę censuras latę sententię adjunctas habeant: Nam adhuc abrogari possunt vel simpliciter, vel secundum quid,hoc est, quoad culpam. Sicuti docent Abb. in cap. 1. *de tregua,& pace*, Navar.comm. 3. de Reg. num 52. Suar.lib.7.de legib. c. 19. num.1.

7 Neque ad tollendam vel legis obligationem, vel censuræ pœnam videtur requiri expressus Legislatoris consensus, sed sufficit tacitus, in eo consistens, quod sciat contrarium populi morem, & cùm possit prohibere, longo tempore taceat. Layman loc.cit.num.2. Sed neque requiritur bona fides, cùm ex malis,& illicitis actibus convalescere consuetudo,legemque abrogare possit: saltem quando Superior id non ignorat, & tacet: sicut ex communi docet Sanch. lib.7. de matrim. disp.4. n.14.

8 Litera itaque reservationis intelligenda est de censuris latæ sententię in Conciliis Provincialibus contentis, quæ impręsentiarum in hac Brixiensi Diœcesi vigent: non verò de iis,contra quas invaluit rationabilis, & legitimè pręscripta consuetudo: Ideòque in desuetudinem abierunt. Quæ doctrina accomodari potest censuris, quę in pręcedenti, ac sequenti parte recensentur. Quęnam autem ex prędictis censuris in desuetudinem abierint: non est facilè definire: peritiorum Confessariorum praxis consulenda est.

ANNOTATIO III.

Alię complures causę, ab incurrenda censura excusantes, enumerantur à Doctoribus, quas ego tum ut consulam brevitati, tùm quia supra *annotatione 8. præcedentis partis* relatæ sunt, hic rursus recensere absre duxi. Vide singulas loco citato,quę universis primi casus,censuris applicari, ex iisque multi casus resolui possunt. Verùm antequam ad casus practicos procedamus censuras in prędictis Conciliis contentas, ex ipsisque à me collectas,& selectas recenseamus.

EXCOMMUNICATIONES
In Conciliis Provincialibus contentæ, ac reservatæ.

1 Prima est contra eos, qui negligunt sistere infantes in Ecclesia ad Baptismum ante nonum ab ortu diem: habetur in Prov. 1. tit. *de iis, quæ pertinent ad Baptismi administrationem.*

2 Est contra eos, qui tenent infantes in lecto sine pręscripta cautione: habetur in Prov.4. tit. *de iis, quæ ad extremam unctionem, & reliqua, erga morientes officia, &c.* Et in Prov. 6. tit. *de Baptismo*. Ubi censura hęc extenditur ad alias plures personas, nempè Matrem, Nutricem, Maritum etiam,& alios quoscumque cogentes ad hanc detentionem, vel impedientes ne debita cautio adhibeatur.

3 Contra eos, qui cogunt Sacerdotes Missam anticipare,aut differre: habetur in

in Prov.1. tit. *de iis, quæ ad celebrationem Missæ pertinent*.

4 Contra eos, qui hæreticos, seu de hæresi suspectos non denunciant habetur in Prov.2. tit. *Quæ ad fidem tuendam pertinent, &c.* Quę denunciatio in Brixiensi Diœcesi fieri debet intra terminum quadraginta dierum. Ex Edicto contra hæretic. ad pręscriptum prædicti Prov. 2. decreti 1.

5 Contra eos, qui edunt, evulgant, aut conscribunt libellos famosos: habetur in Prov. 5. tit. *de iis, quæ ad fidei tuendæ studium pertinent*.

6 Contra Medicos, qui ad ęgrotos inconfessos post quatriduum accedunt: habetur in Prov.1.tit. *de iis, quæ ad Sacram. Pœnit. administrationem pertinent*.

7 Contra eos, qui invadunt bona Clerici mortui: habetur in Prov.2. tit. *de iis, quæ ad bona, & jura Ecclesiarum, piorumque locorum attinent*.

8 Item contra eos, qui sine invasione aliquid ejusdem Clerici mortui trasportant: Provinc.3.tit. *de iis, quæ ad bona Ecclesiastica tuenda pertinent*.

9 Contra Sacerdotes, qui audiunt confessiones sine Episcopi approbatione: habetur in Prov.1.tit. *de iis, quæ pertinent ad Sacram. pœnit. administrationem*.

10 Contra eos, qui contrahunt matrimonium in gradu prohibito: habetur in Prov.5.tit. *de iis, quæ ad Sacram. matrim. pertinent*.

11 Contra eos, qui adhibent fascinationes, & veneficia, ad dirimendum matrimonium, aut solvendis veneficiis utuntur verbis improbatis, & superstitiosis: habetur in Prov.5. *de iis, quæ ad Sacramentum Matrimonii pertinent*.

12 Contra Notarios, qui intra tres menses à die habitæ de morte testatoris notitiæ, non denunciant legata ad pias causas: habetur in Prov. 2. tit. 3. dec. 17. & Prov. 1. tit *de locor. pior. administratione*.

13 Contra Prefectos Hospitalium, qui consenserint pecuniam mutuò dari: habetur in Pro.2. tit. *de iis, quæ ad bona, & jura Ecclesiarum, piorumque locorum attinent*.

14 Contra Confessarios cujusvis Ordinis, qui à casibus Episcopo reservatis sine ipsius licentia, aliquem absoluere attentaverint: habetur in Prov.5.tit. *de iis, quæ ad Sacram. pœnit. pertinent*.

15 Contra eos, qui ingrediuntur Monasteria Monialium, sine Episcopi, aut ejus Vicarii licentia. Prov.1. tit. *de Clausura*, & Prov.7. tit. *de Monial.* inhęrendo Triden. decreto, & summorum Pontificum Pii V. & Gregorii XIII. constitutionibus.

16 Contra eos, qui dederint licentiam accedendi ad monasteria Monialium, aut illa ingrediendi, sine auctoritate Episcopi: habetur in Prov.6. tit. *de iis, quæ ad Moniales pertinent*.

17 Eadem excommunicatio proposita est Monialibus, quę aliquem ingredi in earum monasteria permittunt, sine licentia, vel auctoritate ejusdem Episcopi; *ibidem*.

18 Contra eos, qui pernoctant in iis monasteriis, aut id permittunt: habetur in Prov.1. tit. *de Clausura*.

19 Contra eos, qui barbara immanitate vendunt filios Cingaris. Prov.7. tit. *de vend. fil. Cinga.*

20 Contra eos, qui Parochos inuitos, & repugnantes matrimonio assistere cogunt: habetur in Prov. 7. tit. *de Sacram. matrimon.* quę excommunicatio ad opem & consilium pręstantes extenditur.

21 Contra Confratres, qui expresse, vel tacitè invitant, vel persuadent alicui ex Confratribus, ut sepulcrum sibi deligant in suis Ecclesiis: habetur in Prov. 7.tit. *de societatibus, & scholis*.

SUSPENSIONES
In Conciliis Provincialibus latæ.

Prima est contra eos, qui celebrant in Ecclesia Monialium sine Episcopi facultate: habetur in Provinc. 2. tit. *de iis, quæ ad Missam, Divina officia, Ecclesiæ cultum, & ad Ecclesiasticos homines spectant*.

2 Contra Confessarios quoscumque, etiam Regulares, qui criminis alicujus, culpævè mortalis socios, aut quoquo modo participes, absoluunt: habetur

betur in Prov. 7. tit. *de Sacramento pœnitentiæ*.

3 Contra Confessarios cujusque Ordinis, qui absoluunt à casibus Episcopo reservatis vi privilegiorum, aut facultatum abrogatarum: habetur in Prov. 5. tit. *de iis, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent, aut indulgent.* Prov. 6. tit. *quæ ad Sacram. pœnitent. pertinent*.

4 Est contra Clericos, qui illegitimè promoventur Sacris Ordinibus: habetur in Prov. 3. tit. *de iis, quæ pertinent ad Ordinis Sacramentum*

5 Contra Confessarios, qui mulierum confessiones alibi, quàm ad fenestrellam Confessionalis, eamque crate ferrea fultam, audiunt: habetur in Prov. 7. tit. *de iis, quæ ad Sacram. pœnit. pertinent*.

6 Contra eosdem Confessarios, qui in ministerio, & occasione ministrandi Sacram. Pœnitent. aliquid etiam à sponte dantibus recipiunt: habetur in Prov. 7. *eodem titulo*.

7 Contra Parochos, & Sacerdotes, qui aliquid recipiunt, etiam à sponte dantibus, pro ministerio exhibendi Sacramentum Eucharistię, vel inferriendi exhibentibus: habetur in Prov. 7. tit. *de Sacram. pœnit.*

8 Contra Parochos, qui ante Festum Ascensionis nomina eorum, qui in Paschate communionem non sumpserint ad Episcopum non deferunt: habetur in Prov. 7. tit. *de Sacram. Eucha. in Pascate*.

9 Contra eos, qui ab Episcopo non deputati colligunt eleemosinas occasione indulgentiarum; in utilitatemque ejus Ecclesiæ eas non extendunt: Prov. 7. tit. *de Indulgentiis*.

10 Contra Parochos, qui instituunt, vel institui permittunt societates sine Episcopi censensu: habetur in Prov. 7. tit. *de Societatibus*.

11 Contra Sacerdotes, qui in Confratrum Oratoriis, Ecclesiisuè celebrant feria quinta, & Sabbato majoris hebdomadæ, & in solemnitatibus Eucharistiam ministrant, vel benedictiones faciunt habetur in Prov. 7. tit. *de Societatibus*.

INTERDICTA

In Conciliis Provincialibus lata.

Primum est contra eos, qui non sumunt Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ post trinam monitionem tempore Paschatis: habetur in Prov. 2. titul. *Quæ ad fidem, Sacram. administranda, & alia Pastoralia munera pertinent*, capit. 13.

2 Contra eos, qui laruatas vexationes, & spectacula edunt in Quadragesima: habetur in Prov. 5. tit. *de iis, quæ ad matrim. pertinent*.

3 Contra eos, qui traducunt sponsam, aut celebrant nuptialia conuivia, tempore interdicti nuptiarum: habetur in Prov. 5. tit. *de iis, quæ ad matrim. pertinent*.

4 Contra caupones, & tabernarios, qui meretrices ad turpem quęstum alunt: habetur in Prov. 5. *eodem titulo*.

5 Contra eos, qui post exactam mediam noctem, quę primum Quadragesimę diem antecedit, vel choreas ducere, vel larvati incedere ausi fuerint: habetur in Prov. 7. tit. *de festis diebus*. Hoc tamen non est latę sententię, sed Episcopi arbitrio ferendæ.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro incidentibus.

1 Ex pręnotatis in hac, & prędecedenti primi casus parte, resoluitur, illos omnes in reservationem incidere, qui aliquam, vel excommunicationis, vel suspensionis vel interdicti in Conciliis Provincialibus contentam contraxit censuram, concurrente vigore, & firmitate ex parte censurę scientia, & contumaciæ ex parte contrahentis.

2 Idem deciditur de illo, qui ex ignorantia crassa, vel supina latam in iisdem Conciliis incurrit censuram: Quia ignorantia crassa, aut supina non excusat à censura, pręterquam si in scientes, & temerè peccantes fuerit imposita. Vide annotat. 8. pręcedentis partis.

3 Sub-

3 Subiacet reservationi, qui scienter in decretis Provincialibus contentam incurrit censuram, quamvis ex dispositione eorumdem Conciliorum non esset Episcopo reservata. Quia in hac Brixiensi Diœcesi censuræ omnes in Provincialibus contentæ Episcopo reservantur: patet ex litera reservationis.

4 Innodatur casu Diœcesanus Brixiensis, qui in aliena Diœcesi, intra Provinciam Mediolanensem existente, incurrit censuram in prędictis Conciliis expressam; sed ibi non reservatam. Unde reuersus in patriam, si voluerit confiteri, non poterit, nisi ab habente facultatem absolui: Quia quilibet judicandus est juxta leges loci, in quo fit judicium: In hac autem Brixiensi Diœcesi censuræ omnes Provincialium sunt reservatæ.

5 Afficitur censura, qui, antequam consuetudo tendens ad abolendam legem ita inualeat, ut eam etiam viri probi sequantur, violat Conciliorum Provincialium legem, cui annexa est censura: Nam eo casu tam in foro interno, quàm externo possessio stat pro obligatione legis. Lessius lib 2. cap. 22. dub. 13. Bonac. de legib. disp. 1. q. 1. punct. 4. n. 44. Excipe, nisi lex videatur abrogata quoad censuræ pœnam, manente adhuc obligatione quoad culpam: quod usu venire posse, docet Laym. lib 1. tract. 4. cap. 24. num. 12.

Reservationi videtur obnoxius, qui ex ignorantia affectata contraxit censuram in decretis Provincialibus latam, quamvis in audentes, & præsumentes sit imposita: Quia ignorantia affectata æquiparatur ausui, & presumtioni, cùm affectetur ad liberiùs peccandum. Vide supra annotat. 10. sub divisione 7. *de ignorantia*, & Doctores ibi citatos.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro non incidentibus.

Pro generali regula sit resolutio prima ut incurratur in Conciliis Provincialibus reseruata censura, requiritur effectus completus, quem Concilium intendit prohibere sub censuræ pęna. Unde quantumvis perfecta sit actio ex parte delinquentis, si effectus impediatur etiam culpabiliter, non incurritur censura. Quod verum est, nisi sub censura comprehendatur etiam conatus ad actionem Ugol. de cens. tab. 1. c. 9. §. 13. Diana par. 2. tr. 3. resol. 63.

2 Non subiaceat censuræ pęnæ, qui violando Provincialia decreta sub censura, non comittit lethalem culpam. Quia censura, cùm sit pęna gravis, ut sit commensurata, requirit gravem culpam. Layman lib. 1. tract. 5. par. 1. c. 5. nu. 1. ex communi.

3 Non afficitur censura, qui transgreditur legem in prædictis Conciliis sub pęna censurę latam, postquam contrarius usus ita inolevit, ut etiam viri probi, & docti sine remorsu conscientię eam legem non obseruent. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 4. n. 14.

4 Non incurrit, qui violat legem aliquam in Provincialibus sub eadem censuræ pęna latam, concurrente aliqua ex causis ab incurrenda censura excusantibus, quæ enumeratę sunt in priori hujus casus parte *annot.* 8. n. 20.

5 Impuberes ante decimum ætatis annum, violando legem Ecclesiasticam, etsi delinquant, nulla tamen censura præsertim excommunicationis, vel interdicti ligantur. Quia non censentur contumaces, hoc est, clavium Ecclesiæ contemptores. Ita Emanuel Sà. Sotus, Vasqu. Ugol. quos citat, & sequitur Layman lib. 1. tractat. 4. capit. 10. num. 5. & 6.

6 Diœcesanus Brixiensis non innodatur censura per statutum Conciliorum Provincialium lata, si contra illud agat extra Provinciam, vel in loco exempto, quia statuta Provincialia per se, & direc-

ctè

ctè respiciunt locum, eique sunt affixa, atque ideò non afficiunt nisi existentes intra Provinciam. Locus autem exemptus æquiparatur loco sito extra territorium Provinciæ. Ita Navar. Sanchez, Lessius, Suar. Ugol. quos citat. & sequitur Dian. par. 3. tr. 5. resol. 74.

Adverte tamen, quòd per locum exemptum hic non videntur intelligi Monasteria à jurisdictione Episcopi exempta: Quia exemptio Monasteriorum est in ordine ad Religiosos, ibi degentes, non verò respectu Diœcesanorum ad ea accedentium, qui propterea non desinunt esse Episcopo subjecti; alioquin delicta ibi à Diœcesanis patrata manerent impunita: quod non est dicendum. Vide, quæ fusiùs dixi in prima Elucidarii parte resol. 23. & Doctores ibi citatos.

7 Idem resolvitur de illo, qui in aliena Diœcesi, intra Provinciæ Mediolanensis ambitum existente, violat censuram in decretis Provincialibus contentam, sed ibi contraria consuetudine legitimè præscripta abrogatam: Tùm quia non obligatur absens ad leges patriæ: Tùm quia in aliena Diœcesi ad summum contraxit culpam, non pœnam, quæ supponitur sublata: In hac autem Diœcesi reservatur pœna, scilicèt censura: non culpa.

In Tertiam Primi Casus Reservati Partem, in Edicto sub hac litera propositam.

Censuræ omnes, quæ in nostris constitutionibus, & Edicti feruntur.

ANNOTATIONES.

1 *Quæ, & quot sint constituciones, de quibus loquitur litera casus.*
2 *Quodnam Edictorum genus comprehendant Edicti verba.*
3 *Constitutiones Synodales afficiunt Diœcesim.*
4 *An afficiant etiam Diœcesanos, extra Diœcesim existentes.*
5 *Quid sit Edictum.*
6 *Edicta sunt præcepta, non personalia, sed localia.*
7 *Censura in Edictis contenta, an liget subditos extra Diœcesim commorantes.*
8 *Censuræ omnes in Edictis Episcopalibus latæ reservationi sunt obnoxiæ.*
9 *Sententia Superioris censuram ferentis an afficiat personas extra Diœcesim existentes.* Refertur duplex sententia.
10 *Verior opinio, cui adhæret Auctor.*
11 *An comprehendatur sub litera casus censura per sententiam generalem lata.*
12 *Quid de censura per sententiam particularem inflicta.*
13 *Differentia inter constitutiones Synodales, & Edicta Episcopalia.*

ANNOTATIO I.

1 Suppositis iis, quæ in priori, & posteriori hujus casus parte de censurarum ratione dicta sunt, restat tertia pars discutienda. Pro qua notandum, multas, & varias à multis, & variis Episcopis, qui Ecclesiæ Brixien. præfuerunt, conditas esse constitutiones, quæ in libello, inscripto. *Constitutiones ad usum Cleri Brixiani, veteres simul, & novæ*, jussu Illustrissimi, ac Reverendissimi Marini Georgii tunc Brixiæ Episcopi, felicis recordationis, in unum collectæ, &c. continentur. In quibus complures latæ sunt censuræ. Quas constitutiones postmodum Successores Brixiæ Episcopi in Synodis à se celebratis renovarunt, sub iisdemque censurarum pœnis confirmarunt, nonnullis pro conditione temporum adiectis, quas seorsim typis excussas cernere licet.

2 Varia postremò ab Illustrissimo, & Reverendissimo D. Marino Joanne Georgio, nunc Sanctæ Brixien. Ecclesiæ Episcopo, pro summa ejus solicitudine, & sapientia, tum à Generali ejus Vicario, ad mores corrigendos, vel Ecclesiasticam disciplinam retinendam, condita sunt Edicta; quibus permultæ adnexæ sunt censurarum pœnæ. De his om-

omnibus itaque loquitur litera reservationis. Reservantur igitur omnes, quę in pręddictis constitutionibus, & præfatis Edictis continentur, censuræ. Quęnam verò, quotuè sint, vide, ac lege libellum, qui inscribitur censurarum Sylloge, nuper impressum Brixiæ.

ANNOTATIO II.

3 Cœterùm notandum est, constitutionem, quòad significationem, quam hic habet, idem esse quod statutum, seu legem, singulasque legis proprietates constitutionibus convenire. Inter quas hæc potissima numeratur, quòd statutum, sive lex, cùm stabilem, ac perpetuam obligationem habere debeat, immediatè censetur afficere locum, sive territorium, atque hinc in subditos, ibi existentes transire; sicut ex communi docet Laym. lib. 1. tr. 4. cap. 11. n. 1.

4 Quapropter cùm Episcopus extra propriam Diœcesim jurisdictionem extendere non possit, sequitur, quòd ejus Synodalibus constitutionibus subditi, extra Diœcesim existentes, non comprehendantur. Quod constat ex cap. 2. de const. in 6. ff. *de jurisdictione omnium judicum*: ubi dicitur. *Extra Territorium jus dicenti impunè non paretur; idemque est, si supra jurisdictionem suam velit jus dicere*. Ex quo infertur, si quis delictum statuto Episcopali sub censura prohibitum extra Diœcesim committat, vel inchoet intra diœcesim, consumet verò extra, non incurrere censuram tali delicto annexam. Ita Suar. de cens. disp. 5. sect. 5. n. 9. & Layman lib. 1. tr. 5. cap. 4. n. 6.

ANNOTATIO III.

5 Eadem ferè ratio est de Episcopalibus Edictis, quæ idem valent perinde ac pręceptum, sicuti notat Lexicon juris, *v. Edictum*. Edicta verò sunt inducta, ut facilior gubernatio sit Episcopo, dum vivit, ut tradit Ugol. de cens. tab. 1. c. 9. §. 4. d. 1. & 2. Sed notandum est præcepta esse duplicia, alia personalia, quæ propterea ita dicuntur, quia tendunt ad personas; alia localia, quę respiciunt locum seu territorium.

6 Edicta itaque sunt præcepta, non personalia, sed localia, seu diœcesalia, quę per se, & directè respiciunt Diœcesim, eique sunt affixa: atque ideò non obligant, nisi existentes intra illam: sicuti docent ConincK Avila, Sayr. quos citat, & sequitur Dian. p. 3. tr. 5. resol. 74. Unde quoad extensionem obligationis, Edictum non differt à constitutione, seu statuto, quod obligat tantùm subditos in Diœcesi commorantes.

7 Hinc si Episcopos edicto suo prohibeat Clericis sub censurę pęna, ne arma deferant, vel aleis ludant Clerici deferentes arma, vel ludentes aleis extra Diœcesim, non ligantur censura: sicuti docet Layman lib. 1. tract. 4. c. 11. n. 5. Bonac. de legib. loc. cit. punct. 6.

8 Reservantur itaque sub litera casus censurę omnes in edictis Episcopalibus contentæ, quas Providissimus Antistes, vel ejus Generalis Vicarius in contumaces decrevere: sicuti clarè constat ex termini casus.

ANNOTATIO IV.

9 Major difficultas est de censura per sententiam lata, an scilicet ea ligentur subditi extra territorium existente. Negant expresè ConincK disput. 13. dub. 7. concl. 6. Avila par. 2. cap. 3. disp. 2. dub. 2. concl. 1. Sayr. lib. 11. thesauri cap. 6. n. 4. Dian. par. 3. tract. 5. resol. 74. asserentes, subditum, qui contra licentiam Superioris, puta Episcopi sui sub excommunicationis, vel suspensionis pęna aliquid pręcipientis, vel prohibentis, agit extra Diœcesim, vel in loco exempto, censuram non incurrere. Fundamentum est, quia extra territorium jus dicēti impunè non paretur: si autem Episcopus aliquid sub censura prohibeat, vel pręcipiat, agendum extra Diœcesim suam jus dicit extra Diœcesim: Ergo ipsi impunè non paretur.

Contrarium sustinent Ugol tab. 1. c. 9. §. 3. num. 4. Sà *v. Iudex* num. 8. Bonac. de censur. disp. 1. q. 1. punct. 11. num. 14. Fill. tract.

tractat. 12. cap. 5. num 152. & 153. Quorum ratio est, quia sententia tendit in personas, semperque illas respicit, ut subditas, & in ordine ad actum talis subjectionis: Ideòque censetur ligare subditos etiam extra Diœcesim commorantes.

10 Sed mihi cum Suarez, & Layman infra citandis videtur distinguendum: Nam vel censura lata est per sententiam generalem contra omnes subditos, qui tale crimen commiserint, vel per sententiam particularem contra aliquam, vel aliquas personas particulares, ut si Episcopo Clerico, vel quibusdam Clericis peregrinaturis sub pęna suspensionis præcipiat ne aleis ludant, vel arma prohibita ferant, vel ut singulis septimanis sacrificent. Si censura lata est priori modo, videlicèt per sententiam generalem, prima sententia videtur magis accedere ad naturam statuti, vel potiùs edicti localis, quàm præcepti personalis. Quare valdè probabilis est sententia ConincK citat. disput. 13. dub. 7. conclus. 4. ejusmodi sententia generali non tantùm obligari eos, qui tempore promulgationis subditi sunt, sed etiam eos, qui postea subditi fiunt; propterea quòd ita generatim lata pertinere videatur ad omnes quocumque tempore inhabitantes: atque in eo tantùm differre à lege, sive statuto, quòd talis sententia morte latoris expiret; statutum verò semper duret, donec revocetur, vel contraria consuetudine, legitimè pręscripta, tollatur.

Si verò censura lata est per sententiam sive præceptum personę impositum, vera omninò est posterior opinio: Quia tale præceptum, & sententia immediatè afficit personam subjectam, ejusque ossibus cohęret, undecumque discesserit: Ideòque obligat eam, etiam extra Diœcesim existentem, ut in exemplo superiùs allato. Nam eo casu Episcopus non fert sententiam extra, sed intra Dięcesim suam. Et licèt censura, commisso crimine incurratur extra territorium, id tamen fit sine cognitione causæ, & strepitu judiciario. Vide Suarez de cens. disputat. 5. in fine. Layman libro 1. tractat. 5. cap. 4. numer. 7. & Sylv. *v. excommun.* 2. num. 8.

ANNOTATIO V.

11 Sed quæres, an censura per sententiam lata sub litera casus sit comprehensa?

Respondeo primò, censuram per sententiam generalem contra omnes subditos à Superiore latam, quoad rem non differre à censura in Edictis Episcopalibus contenta; Ideòque implicitè, & reductivè sub genere censuræ ab homine per Edicta impositę contineri, & consequenter tali censura innodatum non posse à non habente facultatem absolui. Cùm enim sit ab homine, & expiret morte ferentis, videtur recedere à natura censurę per statutum impositæ. Et cùm non liget subditos extra Diœcesim, non potest dici censura per pręceptum personale inflicta. Remanet ergo, ut sit per edictum, sive pręceptum locale imposita. Ita Doctores primæ sententię supra citati *annot.* 4. n. 9.

12 Respondeo secundò, censuram per sententiam particularem à Superiore latam, nec expresse, nec implicitè sub dispositione casus contineri. Non enim reducitur ad genus censuræ per constitutiones latæ, quia hęc non extinguitur morte, vel depositione ferentis, nec ad genus censurę per edictum impositę, quia ista non ligat subditos extra Dięcesim commorantes. Oppositum accidit censura per sententiam particularem personę imposita; ut constat ex supra dictis *annotatione* 4. n. 10.

Neque propterea inferas hujusmodi censuram, cùm non sit sub litera reservationis comprehensa, nec seorsim reservata, à quocumque Confessario auferri posse. Nam à censura per sententiam particularem lata is solùm absolvere potest, qui eam tulit, vel ejus superior, aut successor, aut delegatus. Sicuti constat *ex cap. Pastoralis, §. Præterea*, & docet Abb. ibid. n. 1. Bon. de cens. disp. 1. q. 3 punct. 1. prop. 2. n. 5. Laym. lib. 1. tr. 5. p. 1. c. 7. n. 2. Finell. de cas. reser. casu 1. n. 1.

Di-

Dices. Censura per sententiam particularem est illa, quæ fertur à Judice in subditum contumacem ob peccatum præteritum, pręcedente monitione, servataque forma judicii, non autem illa, quæ imponitur à Superiore adnexa, pręcepto, quo aliquid personę particulari prohibetur, vel pręcipitur sub censura ipso facto incurrenda: hęc enim non videtur distingui à censura per sententiam generalem imposita.

Resp. Duplex est censura per sententiam particularem, altera, quæ alicui ob contumaciam nominatim infligitur, pręcedente monitione, servataque forma judicii; altera, quæ fertur à Superiore, adnexa præcepto personæ particulari imposito, quo aliquid ei præcipitur, vel prohibetur sub censura ipso facto incurrenda: quæ censura profecto distinguitur à censura per sententiam generaliter latam, quod ex eo constat, quia illa non excedit personam, cui præceptum impositum est: Ergo distinguitur à censura per generalem sententiam lata, quæ afficit omnes subditos: Tùm quia censura per sententiam generalem non incurritur, si subditi præceptum, cui adnectitur, violent extra Diœcesim, vel in loco exempto, sicuti docent Conin. Avi. Sayr. Dian supra citati *annotatione* 4. n. 9. Quia in hac parte accedit ad naturam censuræ per statutum impositę, quod non ligat extra territorium existentes, ut dictum est supra *annotatione* 4. num. 10. & notat Layman cit. l. 1. tract. 5. p. 1. c. 2. num. 2. Censura verò per sententiam particularem, adnexa pręcepto, ut supra incurritur etiamsi subditus pręceptum, sub tali censura impositum, violet extra Diœcesim, vel in loco exempto, ut resolutum fuit supra cum Layman cit. tr. 5. c. 4. num. 7.

Propterea sicut à censura per sententiam particularem priori modo inflicta is solùm in foro externo potest absolvere, qui eam tulit, vel Superior, aut successor, aut Delegatus; ita etiam à censura lata per sententiam posteriori modo quæ commisso crimine, trahit secum executionem, is solùm in foro interno videtur posse absolvere, qui eam tulit, Superior, Successor, aut Delegatus: Vide Layman Finell. & Bonacina ll. cc.

ANNOTATIO VI.

13 Verùm hoc loco prętereunda non est alia differentia, quę inter censuram per constitutiones synodales, & Edicta Episcopalia intercedit. Nam censura per constitutiones perpetuò durat: sicut & ipsę constitutiones, nisi vel à successore revocentur, vel contraria consuetudine legitimè pręscripta abrogentur: sicuti dictum est in pręcedenti hujus primi casus parte *annotatione* 2. numer. 4. & 5. Censura verò per Edictum lata, cùm non sit à jure, sed ab homine per temporale, & locale præceptum, extinguitur, extincto, vel ab officio amoto Episcopo, nisi à Successore renovetur, & confirmetur, ita, ut nemo eam deinceps incurrere possit, quamvis si antea incurrerat, ligatus maneat, donec absolvatur. Ita Ugol. de cens. tab. 1. cap. 2. §. 2. num. 3. Suar. 3. p. to. 5. disp. 4. sect. 3. numer. 7. Sayr. de cens. l. 1. c. 7. num. 11. & 12. Layman lib. 1. tr. 5. cap. 2. num. 2.

CENSURÆ,

Quæ in Constitutionibus Ecclesiæ Brixiensis, & Edictis Episcopalibus continentur.

EXCOMMUNICATIONES

Quæ habentur in Constitutionibus:

Prima est in eos, qui in curam baptizandi infantem incumbere debent, si differatur illis ultra octavum diem Baptisma: habetur in libello const. tit. *de Baptismo pagina mihi* 93.

Secunda est in eos, qui defuncto Ecclesię Parochialis Rectore, supellectilem scriptā, res ve ad Ecclesiam Parochialem pertinentes, rapiunt, aut aliò asportant: habetur in eodem libel. tit. *de Ecclesiis pagina mihi* 45.

Tertia est in piorum locorum Confratres, mutuum dantes, vel recipientes: ha-

habetur in libello constit. tit. *de cura piorum locorum pag. mihi* 20.

Quarta est in Sacerdotes sine legitima facultate vel confessionem audientes, vel à casibus Episcopo reservatis absolventes: habetur in eodem libel. tit. *de pœnitentia pagina mihi* 116. inhærendo concil. Prov. 4. par. 2. *de iis, quæ pertinent ad pœnitent. Sacramentum*.

Quinta est in Virgines, vel mulieres, quæ in sodalitatem Sanctæ Ursulæ non cooptatæ, aut ab eadem ejectæ, proprium illius sodalitatis habitum deferre audent: habetur in libello constitutionum tit. *de cura piorum operum*.

Sexta est in eos qui infantes tenent in lecto, sine debita cautione, à Parochis præfinienda, ante expletum octauum mensem: habetur in Edicto casuum reservatorum, quod est in libello constit. *post varia edicta pagina mihi* 83. & in eod. libello tit. *de Baptismo in fine ejusdem tit.* inhærendo decretis concilii Prov. Mediolanen. IV. tit. *de Baptismo*, & concil. Prov. VI. *eodem titulo*: de qua excommunicatione vide in fine hujus secundæ partis primi casus: ubi variè, & fusæ instituuntur, ac resolvuntur difficultates.

EXCOMMUNICATIO

Contenta in Edicto condito ab Illustriss. & Rever. D. Marino Ioanne Georgio, nunc Episcopo Brixiæ Vigilantissimo, promulgato die 7. Septemb. 1667.

Et est in Sacerdotes, & Clericos, qui deferunt tàm sclopulos, vulgò *accialini*. quàm illos cum ignito fune, qui vulgò nuncupantur sclopuli *da fuoco*. Quæ prohibitio sub excommunicationis latæ sententiæ pœna inhæret decreto decimo Illustriss. & Reverend. D. Marini Georgii, Brixiæ Episcopi, felicis recordationis, quod Ecclesiasticis prohibet delationem armorum sub pœnis in ipso contentis.

Hæc tamen prohibitio non comprehendit Ecclesiasticos, qui supra dictos sclopulos deferunt in campis, aliisque locis à communi hominum frequentia remotis ad usum aucupandi tantùm: sicuti constat ex ejusdem pœnalis decreti exceptione.

SUSPENSIONES

In Libello constitutionum propositæ.

Prima est in Confessarios, qui mulierum confessiones excipiunt ante solis ortum, vel post occasum, aut extra sedem confessionalem publicè expositam, crate ferrea, aut saltem lignea munitam: habetur *in libello constitutionum tit. de Pœnitentia*.

Secunda est in Sacerdotes, qui in libro pro missis notandis exposito scribere audent, missa non celebrata: habetur *in eodem tit. de celebratione missarum, pagina mihi* 108.

Tertia est in Clericos ab ordine sacro recepto, qui vestibus clericalibus Ordini, dignitatiquè suæ conuenientibus non utuntur: habetur *in eodem tit. de vita, & honestate Clericorum pagina mihi* 141.

SUSPENSIONES,

Quæ habentur in Edicto promulgato in prima Synodo sub Eminentiss. ac Reverendiss. D.D. Petro Ottbobono, Cardinali Amplissimo, tunc Brixiæ Episcopo.

Prima est in Parochos, qui Clericis suę Parochię, quos noverint deferre tormenta pulveraria, *Accialini*, nuncupata, testimoniales conficiunt literas; dum ad ordinationes sunt accessuri.

Secunda est in Sacerdotes, & Clericos, qui hyberno tempore commorantur in stabulis, in quibus sæculares utriusque sexus commorari solent. Hæc tamen suspensio videtur limitata ad Sacerdotes tantùm, & ad casum, quo commorentur in stabulis sine necessitatis causa, quam causam quisque priùs suo Vicario Foraneo exponere debet, isque facultatem ab Episcopo obtinere: constat ex declaratione decreti de eodem facto, in Episcopali Edicto *die 7. Septembris 1667. n.* 3. contenti: de quo Edicto infra.

Tertia

Tertia est in eosdem Sacerdotes, & Clericos, qui in choreis quocunque in loco, etiam privato instrumenta musicalia pulsant.

Quarta est in Sacerdotes alienigenas, qui in Civitate, vel Diœcesi Brixiensi celebrant sine licentia Episcopi, vel Generalis Vicarii.

Quinta est in Parochos, & Sacristas, qui Sacerdotes alienigenas sine prædicta licentia in suis Ecclesiis celebrare permittunt.

Sexta est in Parochos, qui Sacerdotes, & Clericos suæ Parochiæ transgressores decreti, in supra relato Edicto contenti *de vita, & honestate Clericorum*, ad Episcopum non deferunt cum nomine, cognomine, & conditione transgressorum.

Septima est in eosdem Parochos, qui Sacerdotibus prædictum decretum *de vita, & honestate Cleric.* contemnentibus permittunt, vt celebrent in aliqua Ecclesia intra fines suę Parochiæ sita. Quę suspensionis pęna tunc solùm habet locum, cùm Parochi, Rectores, & Sacristę huic decreto sine magno incommodo parere possunt: Quod constat ex declaratione, decreti de eodem facto, in Edicto die Septemb. 1667. n. 3. contenti.

SVSPENSIONES

Adnexæ decretis contentis in Edicto condito ab Illustr.s. & Reverendiss. D.D. Marino Ioanne Georgio, Brixiensi Episcopo Vigilantissimo. die 7. Septemb. 1667. Quæ decreta postea in Synodo Brixiæ celebrata 20. Aprilis 1668. confirmata fuerunt cum adjecta moderatione.

Prima est in Sacerdotes, qui intersunt comędiis aut theatralibus operibus (exceptis sacris, & spiritualibus) iis scilicet, quę ab histrionibus exhibentur.

Item in Sacerdotes, qui in ipsis comędiis seu theatralibus operibus recitant, pulsantve cujuscumque generis instrumentum, aut cantant.

Item in eosdem Sacerdotes, qui indulgent cantionibus vel pulsationibus sive nocturnis, sive diurnis, quę vulgò dicuntur *serenate*, aut *matinate*.

Item in Sacerdotes, qui saltant, aut pulsant in choreis, iisque intersunt sive publicę, sive privatę sint: Intellige tamen si hujusmodi choreis intersint in aliena domo: in propria verò tunc solùm cùm ipsi chorearum fuerint procuratores.

Item in eosdem Sacerdotes, qui in publicis laicorum conviviis, vel eorum occasione pulsant, aut cantant.

Item in eosdem: qui adeunt circulatores, ac mimos ludrica exhibentes.

Item in Sacerdotes, qui sine necessitatis causa adeunt stabula, vbi fœminę commorantur. Hujusmodi tamen necessitatis causa priùs Vicariis Foraneis exponenda est, ac per eosdem facultas ab Episcopo obtinenda. Quę suspensionis pęna extenditur etiam ad Sacerdotes, qui adeunt loca, vbi linum fęminæ conficiunt, vulgò *à spadolonze*.

Eadem suspensio à Divinis inflicta est in Sacerdotes, qui pila, vel folle, vel taxillis, aut aleis publicè ludunt.

Et hę enumeratę suspensionis pœnę ipso facto incurrendę, habent locum tantùm in Sacerdotibus. Clerici verò supra dicta decreta transgredientes, committunt mortalem culpam: cujus delicti, sicut etiam à suspensionibus prędictis absolutio specialiter reservatur Episcopo latori, iisque tantum, qui ab eodem Episcopo specialem obtinent facultatem: itaut generalis absolvendi à reservatis facultas minimè sufficiat: sicuti constat ex tenore ejusdem pœnalis decreti num. 3.

Secunda suspensio à Divinis ipso facto incurrenda, est in Sacerdotes, & Clericos, qui comam nutriunt, capillosque ita oblongos deferunt, ut ad tempora nimis promineant aures obducant, ac in occipite debitę longitudinis limites excedant.

Item in Sacerdotes, & Clericos, qui etiam extra Ecclesiam deferunt vestes breviores, quæ non demittuntur à genu, vel utuntur illis aliis, quę vulgò vocantur *giustacuori*, In Ecclesia verò, & functionibus Ecclesiasticis non deferunt vestes talares, scilicet quę saltem ad media crura extendantur, iuxtà declarationem 20. *Aprilis* 1668.

Tertia est in Parochos, Rectores, & Sacristas, qui in Ecclesiis sibi commissis eum Sacerdotem celebrare, vel Clericum inservire permittunt, qui decreto de vita,& honestate Clericorum contento in Episcopali Edicto nu.5. in singulis ibi expressis debitam obedientiam non præstant. Quæ tamen suspensionis pœna non contrahitur, quoties huic decreto Parochi, Rectores, & Sacristæ prædicti sine incommodo parere non possunt: sicuti constat ex moderatione, seu potiùs declaratione ejusdem decreti quinti emanata *die 20 Aprilis 1668*.

Quarta est in Sacerdotes, vel Clericos, qui in laicorum ædibus inserviunt in aliquo famulatu, vel docendis pueris, puellis, aut mulieribus: idquè sine Episcopi facultate præstant.

Quinta est in eosdem Sacerdotes, ac Clericos, qui alias mulieres quouis prætextu, quàm matres & sorores, quibus adde Fratrum uxores, ac filias secum in quibuscumque ædibus, sive Ecclesiasticis, siue propriis, non obtenta Episcopi licentia, detinent.

Hæc tamen suspensio non videtur latæ sententiæ, sed ferendę quod colligitur ex eo, quòd in hoc decreto septimo, non item in præcedentibus jam recensitis, illę particulę, *eo ipso, ipso facto, ipso jure*, vel alia verba, quę latam sententiam indicant, desiderentur. Vide, quæ supra diximus in priori hujus primi casus parte *annot.4. nu.8.* & 9. & Doctores ibi citatos.

INTERDICTA

In Constitutionibus contenta.

Primum est in eos, qui in quibuscumque festis de pręcepto choreas ducunt, publicos ludos exercent, vel etiam spectacula publica & torneamenta exhibent tempore divinorum officiorum habetur *in constitutionibus tit. de prædicat.*

Secundum est in eos, qui die festo Sanctorum Faustini & Iouitæ Tutelarium Ciuitatis, & Diœcesis Brixiensis, aut Patronorum cujuscunque Parochię de Dię. cesi, choreis, ludis, aut spectaculis, vt supra, indulgent quacunque hora illius diei: habetur *eodem tit. pagina mihi 26.*

Quæ interdicti pœna in decretis postea promulgatis in Synodo Brixiæ celebrata *die 13. Maii 1621.* sub Illustriss. & Reuerendiss. D. Marino Georgio, decreto nono, extensa fuit ad eos etiam, qui hujusmodi constitutionem violari fecerint, mandando, vel auxilium præbendo. Insuper eodem decreto statutum est, ut in casu inobedientiæ omnes Ecclesiæ illius loci, & viciniæ interdictæ existant. Verba decreti sunt ista.

Ad tollendam ambiguitatem, quæ aliquando oriri solet, à quo tempore scilicèt incipiat, & finiatur festum, quòad prohibitionem tripudiorum & saltationum in festis Sanctorum Faustini & Iouitæ Tutelarium Ciuitatis, & Diœcesis Brixiensis, & aliorum Patronorum cujuscunque Parochiæ de Diœcesi, declaramus, vt ab ortu solis diei festi Tutelaris vsque ad mediam noctem sequentem, intelligantur prohibita tripudia & saltationes sub pœna Ecclesiastici interdicti ipso facto incurrendi ab omnibus, qui hoc decretum nostrum violarint, vel violari fecerint, mandando, auxiliumquè aliquo modo præbendo. Et præterea in casu inobedientiæ volumus, vt omnes Ecclesiæ illius loci, & viciniæ tandiù subjaceant interdicto, quandiù per nos, cognita emendatione, hæc censura relaxetur. Hoc idem observari sub iisdem pœnis volumus in aliis festis, dum celebrantur diuina officia in Parochiali Ecclesia, vel sit exercitium Doctrinæ Christianæ.

Tertium est in eos, qui post trinam monitionem vel vnicam pro trina deseruientem, præcepto Ecclesiæ de Sacra Eucharistia in Paschate sumenda, non satisfaciunt, inhærendo Concilio Prov. VII. *tit. de Sacra Eucharistia*: habetur *in constitutionibus tit de Sacra Euch. pag. mihi* 101.

Eadem pœna afficiuntur qui extra Parochialem Ecclesiam absque proprii Parochi licentia, & sine legitima causa communionem Paschalem sumunt, *ibidem pagina* 103.

R E-

RESOLVTIVA PRAXIS

Pro incidentibus.

1 Ex prænotatis tùm in hac, tùm præcedentibus primi casus partibus, resolvitur, illos omnes censura ligari, qui scienter & contumaciter agunt contra Eccl. Brixien. constitutiones, quibus annexa est censura: dummodò transgressores intra Diœcesim Brixien. existant.

2 Innodatur censura qui ex ignorantia culpabili & crassa transgreditur prædictas constitutiones, vel Episcopalia edicta lata sub censura: Quia ignorantia crassa à censuris Ordinariorum non excusat: patet *ex cap. de constit. Vt animarum, &c.* Excipe, nisi in temerario ausu peccantes sit inflicta. Sanch. lib.9. de matrim. disp.32. n. 31.

3 Idem deciditur de illo, qui ex ignorantia affectata sive directè volita, violat hujusmodi constitutiones, vel edicta condita sub censuræ pœna; etiamsi in audentes & prusumentes fuerit imposita: quia ignorantia affectata æquiparatur præsumptioni, cùm dolum formalem includat. Sanch. l.c. n.40. Laym. lib.1. tr.4. c.5. n.8. *vers. multò verò minùs.*

4 Famuli, Scholares, artifices, qui Brixiam, vel in Brixien Diœcesim se conferunt animo ibi manendi majori anni parte, si scienter & contumaciter agant contra constitutiones, vel edicta Episcopalia, innodantur censura tali delicto adnexa: Quia per hujusmodi longam moram censentur acquirere domicilium, & sortiri forum. Sanch. l.3. de matr. d.18. & li.1. mor. c.12. n.37. ex communi.

5 Qui contra præceptum sibi ab Ordinario sub censuræ pœna impositum agit extra Diœcesim, incurrit censuram tali delicto adnexam: Quia præceptum, & sententia afficit personam, ejusque ossibus cohæret etiam extra Diœcesim. Uide supra *annotationem* 4. n.10. & licet talis censura non sit in casu contenta; est tamen reservata. *Vide annotationem* 5. n.12. *in tertiam primi casus partem.*

6 Subjacet censuræ, & reservationis pœnę, qui prævaricatur constitutiones, vel edicta Episcopalia, de quibus post legitimam promulgationem & acceptationem dubium subest, an deinde moribus populorum firmata sint, vel infirmanda: Quia in dubio possessio stat pro obligatione legis, & adiectæ pœnæ. Less. lib.2. cap.22. dub.13. Bonac. de legib d.1. q.1. p.4. nu.44. Laym. lib.1. tr.4. c.4. num.6. Nam factum in dubio præsumitur, si de jure faciendum erat. Glos. in l.2. ff. de probat.

7 Videtur reservatę obnoxius censurę Civis Brixien. si, v. g. Bergomi existens ibi violet constitutiones & leges, quę tàm Brixiæ, quàm Bergomi obligant sub eadem censurę pena: Quia hęc est praxis & vsus communis vnanimi fidelium & Superiorum consensu receptus. Ita Sanchez l.1. mor. c.12. n.38. Suarez de relig. cap.14. n.15.

Contrarium tamen non improbabiliter tenet Fagund. 2. pręcep. Eccles. lib.8. c.7. nu.11. cujus sententię subscribit Sancius in select. disp.54. n.31. Dian. p.1. tr.9. resol.18. Januar. de cas. res. resol.10. nu.6. asserentes talem Civem eo casu ad neutras constitutiones, & leges obligari, non ad leges loci quia non est subditus legislatori illius loci, neque ad leges Patrię, quia hę non ligant existentem extra territorium.

RESOLVTIVA PRAXIS

Pro non incidentibus.

1 Non ligatur censura, constitutionibus vel edictis Episcopalibus adnexa, qui delictum sub censura prohibitum incœpit, sed non perfecit: vel quia noluit, vel quia non potuit: Nam lex pęnalis requirit actum completum & consumatum: quod verum est, nisi verba legis comprehendant etiam conatum ad delictum. Vg. tab.1. c.9. §.13. Dian. p.2. tr.3. resol.63.

2 Idem resolvitur de eo, qui hujusmodi constitutiones, vel Edicta transgreditur in re parva, ita ut actus quoad effectum externum non excedat culpā venialem, licèt pertingat ad mortalem quoad effectum internum: Quia gravis pœna, qualis est censura, prærequirit gravē culpam.

pam. ConincK. disp.13.dub.8.n.66. Nav. in man.cap.27. n.9.

3 Idem deciditur, quamvis illarum legum transgressio mortalem culpam involvat: dummodo inobedientiam, & contemptum contra Superioris auctoritatem excludat: Quia talis inobedientia, sive contumacia est materia censurę proxima, quæ tunc tantùm intervenire censetur, cùm quis Legislatori obedire recusat, eò quòd auctoritatem ejus negat, vel contemnit, Fill. tr.11. c.6. num.158. Laym.li.1.tr.5.c.5. num.1. Vide quæ dixi supra in priori hujus casus parte resol.5. *pro non incidentibus*.

4 Non afficitur censura qui non observat decreta Episcopalia, quæ constat non esse recepta, & in usum deducta, sciente & tacente conditore. Facit doctrina, quam tradit Laym. lib.1.tr.4. c.43. num.3.

5 Idem probabiliter dicitur de impubere infantiæ proximo, hoc est, ante decimum ætatis annum, si constitutiones Episcopales violet, quibus annexa est censura: Quia ante decennium, etsi mortaliter delinquere possit, si doli sit capax, tamen censuram non incurret: propterea, quòd non censetur contumax, hoc est, tam gravis pœnæ cognitor, & clavium Ecclesiæ contemptor. Quod verum est tàm de censuris à jure, quàm ab homine. Ita Sà. *v.censura* num.2. Sotus, Vasq. Vgol.quos citat, & sequitur Laym. lib.1. tr.4. cap.10. n.5.& 6. Imò multi Doctores apud Henriq.lib.8. c.42. in fin. quibus ipse adhęret, existimant impuberes non ligari censura ab homine, nimirùm ante decimum quartum annum. Vide Ugol.tab.1. de cens. c.17. §.3. n.5.& Suar. de cens. disp.5. sec.1. n.19.

6 Immunis est à reseruata censura qui ex ignorantia tàm juris, quàm facti non observat Episcopalia statuta, vel edicta sub censura latæ sententię condita: modò talis ignorantia crassa non sit aut supina: Quia hujusmodi ignorantia excludit contumaciam, quę est materia censuræ proxima. Filliuc. & Layman superiùs citati *resolut*.3.

7 Quod si censura inflicta sit scienter & temerè peccantibus, etiam crassa ignorantia transgressiorem ab ea incurrenda excusat. Nam ignorantia crassa non ęquiparatur scientię, & pręsumptioni, vt clarum est apud omnes. Secùs resolvendum de affectata. Vide quæ de excusatione ob ignorantiam diximus in priori hujus primi casus parte *in resolutiva praxi pro non incidentibus casu* 7. & 8.

8 Extendenda est immunitas, ut etiam locum habeat in oblivione, inconsideratione, incogitantia censuræ in constitutionibus & edictis contentæ: Quia hæc in jure æquiparantur ignorantiæ: siquidem fieri non potest, vt contumax existat, qui ad impositam censurę pœnam non attendit. Suar.de legib. disp.4. sect.8. num.17. Laym.l.c. cap.5.n.7.

9 Non incidit qui Episcopalia statuta, & Edicta sub censurę pęna non observat, eò quòd ex observatione timet sibi notabile detrimentum vel in bonis corporis, vel honoris, vel etiam fortunę. Quia Superior Ecclesiasticus non censetur velle obligare subditos cum tali rigore, qui ipsorum fragilitatem excedat. Nav.man.c.23.n 43.Fill. tr.11. cap.6. q.4.num.171.

10 Idem deciditur, etiamsi quod prohibetur lege humana sub censura, prohibitum esset etiam lege naturali Divina. Nam tum etiam licèt non excusaretur a mortali culpa, eximeretur tamen à censurę pœna. Fill.cit.tr.11. cap.8. n.269.

11 Idem infertur de illo, qui per contumeliam, & vexationem cogitur facere, vel omittere id, quod præcipitur, vel prohibetur in Dięcesanis constitutionibus, & edictis sub censuræ pœna: Tùm quia tali casu censetur deficere contumacia: Tùm quia lex, vel Legislator Ecclesiasticus non censetur obligare cum tanto rigore. Fill. & Navar.ll.cc.

12 Subditus Episcopo Brixien. non innodatur censura in Episcopalibus constitutionibus, & Edictis decreta, si contra eas leges agat extra Diecesim. Layman ll.cc.tr.5. p.1. c.4. n.5. Dian.p.3. tr.5. reso.74. Vide supra *annot*.2. & 3. num.4. 5. & 6.

13 Advenæ, peregrini, mercatores, qui Brixiam, vel in Brixiensem Diecesim se recipiunt absque intentione ibi consti-

stituendi domicilium, vel ibi manendi majori anni parte si transgrediantur Episcopalia statuta, vel Edicta, non incurrunt censuras illis adnexas: Quia constitutiones & Edicta Episcopalia obligant tantùm subditos Episcopo Brixien. Advenæ autem, & peregrini non sunt subditi, ut supponitur: Ubi autem non est subjectio, neque jurisdictio, quæ sunt correlativa. Ita Sanch. Sayr. ConincK. quos citat, & sequitur Laym. loc. cit. & tr.4.cap.12. asser.3. Ad evitandum tamen scadalum certum est, supradictos teneri ad leges locorum saltem sub mortali culpa. Sanch.lib.1.mor.cap.12. num.25.

Dices cum Abb. *in cap. à nobis de sentent.excomm.* nu.7. Vgol.tab.1.c.9.§.2. nu.4. advenas delinquentes contra statutum, vel edictum continens censuram, fieri subditos ratione delicti, ideòque censuram incurrere posse.

Respondet Layman, falsum esse advenam, secluso scandalo, delinquere contra statutum continens censuram: Quia priùs requiritur, ut aliquis sit subditus, quàm ut statuto obligetur, & contra illud delinquat: sicuti rectè docet idem Laym.li. 1.tr.5. par.1. c.4. nu.5. Bonac.disp.1.de legib.q.1.p.11. n.20.& 21. Fill.tr.11.c.5. nu. 154. Si tamen advena delinquat contra legem communem omnibus gentibus, vel ipsius naturæ, ratione hujus delicti fit subditus: Ideòque citari potest, atque Ecclesiasticis censuris compelli ad satisfaciendum. Vide citatos Doctores ll.cc.

14 Contrafaciens edictis Episcopi post ejus mortem, vel amotionem non innodatur censura in illis contenta: Quia Edicta sunt leges ab homine, quæ expirant, mortuo, vel amoto Conditore, prærterquam si renoventur & confirmentur sub iisdem pœnis à Successore, vel Capitulo, quòd, sede vacante, in locum Episcopi, quoad ea, quæ sunt jurisdictionis, non dignitatis Episcopalis, succedit. Vgol. de cens. tab.1. c.47. § 4. d.1. & 2. & de Offic. & potest. Episc.par.2.c.47. §.2. nu.1.& 2. Franc. Leo *in thesauro Eccles.* par.2. c 10. n.8. qui rectè notat, Capitulum sede vacante, succedere tantùm in jurisdictionibus Episcopo de jure communi spectantibus, non autem competentibus de jure gratioso & speciali ut sunt causæ delegatæ: quod etiam docet Abbas *in cap. verum* num. 9. *de foro cumpetent.* & constat ex iis, quæ diximus in priori parte *ref.* 118.

15 Juxta sententiam Fagundez, & Sancii, quos citat, & sequitur Dian. par.1. tr.9. resol.18. & subscribit Januarius de cas. reser. resol.20. n.6. Extra censuræ telum existit incola Brixiensis Diœcesis, qui hospitandi, non habitandi gratia, existens Bergomi constitutiones non servat sui Episcopi, dato, quòd eædem & sub eadem censuræ pœna etiam Bergomi obligent: Quorum ratio est, tùm quia is Episcopo Bergomen. non est subditus; Ideòque ipsum ad observationem suarum legum obligare non potest: Tùm quia non tenetur absens servare leges patriæ. Oppositum tamen cum Sanch. & Suar. sustinuimus supra *in resolutiva praxi pro incidentibus casu* 7.

16 Præterea, si contra patratores alicujus delicti lata sit censura, & quis post datam delicto causam, ante illius effectum per confessionem resipiscat, secuto postmodum effectu, non incurrit censuram, neque tenetur rursus peccatum confiteri. Prior pars constat, quia eo casu cessavit omnis contumacia, quam vel actualem, vel in habitu saltem durantem supponit censura. Posterior probatur, quia nullus tenetur sua peccata semel ritè confessa iterum confiteri: sicuti docet Bonac.to.1.disp.5.q.7.pun.5.§.3.n.4.Dian. p.3.tr.4.res.74.Bass.in florib.v.casus res.n. 22.Januar. de cas.reser. resol.23. n.1.

17 Excusatur tandem generaliter ab incurrenda censura qui Synodales constitutiones, Episcopaliaque Edicta non observat, eò quòd existimat se justam & rationabilem habere causam, legitimamque excusationem ea non servandi. Tùm quia tali casu bona fides censetur excludere pravum voluntatis affectum, transgressorq; non potest reputari contumax. Tùm quia eo casu rationabiliter præsumi potest de legislatoris voluntate, qui si adesset, subditum ab obligatione legis excusaret. Ita D. Th. 2.2.q.147.art.3. Cajet. in summ. v. Fest. prohi. Nav. in man.c.23. n.43. Sal. de leg.

disp. 11. sect. 4. n. 63. Januar. de cas. reser. resol. 36. n. 6. Director Conf. tr. 1. de jurisd. c. 4. de cens. §. 1. exc. 5.

Supra dictæ rationes, sive excusationes vitandi, vel incurrendi censuras applicari possunt censuris primæ & secundæ hujus primi casus partis, & è converso:

Quoniam verò non vulgares, quæ sæpè Confessarius implicant, occurrere solent difficultates circa excommunicationis censuram, latam contra detinentes in lecto infantes ante præscriptum ætatis terminum. Idcircò hic eam fusiùs, & ex professo expendere, ac exponere non abs re duxi.

IN EXCOMMUNICATIONEM

Latam contra detinentes in lecto infantes sine præscripta cautione, nondum octavo ætatis mense completo.

ANNOTATIONES.

1 *Excommunicatio contra detinentes infantes in lecto sine præfinita cautione lata fuit in Concil. Prov. Mediolan. IV. quæ comprehendebat tantùm mulieres.*

2 *Eadem excommunicationis censura in Cōcilio Prov. VI. ad Patrem etiam, sive Maritum, & ad quoscumque cogentes ad hanc detentionem, vel impedientes, quominùs præscripta cautio adhiberetur, fuit extensa.*

3 *Hujusmodi Concilij Prov. VI. extensio in constitutionibus Ecclesiæ Brixiensis fuit restricta.*

4. *Tempus tenendi infantis in lecto cum præscripta cautione in Diœcesi Brixien. se extendit tantùm ad octavum ætatis mensem.*

5 *Impedientes, vel cogentes detinere infantes in lecto sine præfinita cautione in Episcopatu Brixien. excommunicatione hac non ligantur.*

6 *Quinam veniant nomine tenentium infantes in lecto.*

7. *Parochis omnibus in hac Brixien. Diœcesi, circa detentionem infantium in lecto, integrum est cum miserabilibus personis dispensare.*

8. *Quinam intelligendi sint nomine miserabilium personarum.*

9 *Facultas Parochis concessa dispensandi cum miserabilibus personis se extendit tantùm ad tollendam obligationem legis Episcopalis, non juris naturalis.*

10 *Paupertas, vel ægritudo an excusent detinentes infantes in lecto sine præscripta cautione.*

11 *Dispensatio in lege an differat à declaratione ejusdem legis secundum Epicheiam.*

12 *Dispensatio sine justa causa per Parochum Diœcesis Brixien. collata circa detentionem.*

13 *An qui sine justa causa obtinuit dispensationem à Parocho detinendi infantem in lecto sine præscripta cautione, peccet mortaliter, ea utendo.*

14 *Si justa dispensandi causa subsit, quamvis ea ritè per Parochum non fuerit cognita, utrùm talis dispensatio sit valida.*

15 *An defectus justæ causæ supleatur probabili opinione Parochi dispensantis.*

16 *An bona fides dispensationem petentis in conscientia reddat ipsum securum, licet reipsa justitiæ causa deficiat.*

17. *An liceat detinere infantem in lecto sine debita cautione, vel dispensatione, quando nullum subest periculum suffocationis.*

18 *Refertur sententia negativa.*

19 *Opinio contraria non damnatur.*

20 *Authoris placitum.*

21 *Quædam probibita sunt, quia mala, quædam verò mala sunt, quia probibita.*

22 *Cessante causa finali, legis, an cesset ejusdem obligatio.*

23 *Detinentes infantes in lecto sine præscripta cautione, vel dispensatione, an duplex peccatum committant.*

24 *Quidam affirmant.*

25 *Author negat.*

ANNOTATIO I.

1 Circa hanc excommunicationis censuram, cùm ex diuturno Cōfessarii munere probè didicerim, quam ea sit

sit frequens, quamvè Parochis, cæterisque Confessariis ejusdem cognitio non tam vtilis, quam necessaria sit: Idcircò eam fusiùs exponere, casusque praticos afferre, ac resolvere operæ pretium censui. Pro quo notandum in Concilio Provinciali Mediolanf. IV. tit *de iis, quæ ad Sacram. pænit. pertinent*, latam fuisse excommunicationem ipso facto incurrendam, quæ comprehendebat tantùm mulieres detinentes infantes in lecto sine præscripta cunarum cautione, ante completum ętatis annum.

2 Posteà in Concilio Provinciali Mediolanen. VI. tit. *eodem* hujusmodi excommunicationis pęna fuit extensa tùm ad Patrem infantis, cubantē in lecto cum propria prole, anno ętatis non expleto, sine pręscripta cunarum cautione; tum etiam ad quoscumque alios, qui cogerent vel impedirent eos, qui curam infantis suscepissent, quominùs pręscriptam cunarum cautionem adhiberent, quod clarè constat ex verbis ipsius decreti.

3 Cęterùm extensio hęc Concil. Provinc. VI. quoad cogentes, vel impedientes in hac Brixien. Diœcesi non fuit usu recepta, vt constat tum ex praxi interni fori Ecclesię Brixien. & Confessariorum vsu; tum ex libello constitutionum ejusdem Ecclesię tit. *de Baptismo in fine, pagina m hi 90. in veteri editione*: vbi circa hanc infantium detentionem statutum est.

4 Primò, ut anni tempus, quod à Provinciali Concilio IV. & VI. pręfinitum erat, tenendi infantem cum pręscripta cautione, ad octo menses restrictum intelligatur.

5 Secundò, ut excommunicationis pęna comprehendat tantùm tenentes in lecto infantes, ante octauum ętatis mensem; non autem cogentes, vel impedientes eos, qui tenent, quominùs pręscriptā cautionem adhibeant, ut suprà dictum est · tum quia de his nulla fit mentio in pręcitatis constitutionibus: In lege autem pęnali non est facienda extensio vltra personas expressas, vel quas ob identitatem rationis adęquatę credibile est, legislatorem comprehendere voluisse, sicuti rectè notauit Suarez lib. 6. de legib. cap. 3. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 18. nu. 9. Tùm quia ita seruat consuetudo (saltem in hac Brixiensi Diœcesi) quę est optima legum interpres, sicut mihi testatus est Reverendissimus Dominus meus Carolus Antonius Lucciagus, Curię Episcopalis Brixiensis Generalis Vicarius iamdiu in hac materia versatissimus.

6 Nomine autem tenantium infantes in lecto censeo venire eos omnes, ad quos cura infantium pertinet, puta Matrem, Nutricem; item Auiam, & Ancillam, si ipsis infantis cura demandata sit: Imò etiam Patrem, siquidem & ad ipsum pertinet proprię prolis consulere saluti. Quod tamen intelligendum est, dummodo in eodem lecto dormiat, & in eam detentionem consentiat: quia si in eodem lecto non dormiat, vel in eam detentionem non consentiat, non dicitur propriè infantem in lecto tenere: cùmque eo casu vel non sit particeps culpę, vel inobediens Ecclesię, neque obnoxius esse debet censurę pęnę. Faciunt, quę habet Layman loc. cit. num. 9.

Tertiò, intermissā cautione cunarum, relinquit Parochis pręfiniendam eam cautionis forman, quę Parochiœ suę incolis ad arcęndum suffocationis periculum, opportuna visa fuerit: qua in re jubetur adhibere in consilium obstetrices, aliasque probas mulieres, quę matres extiterunt.

7 Septimò, facultatem concedit cuilibet Parocho, ut cum miserabilibus personis suę Parochię dispensare possit circa detentionem infantium in lecto, absq; alia cautione. Quas restrictiones, & facultates clarè cernere licet in pręcitata constitutione.

8 Miserabiles autem personę hic censeri debent, quę ęgestate, vel ęgritudine, aut alia necessitate graui laborant, v. g. qui ob carentiam, vel angustiam cubilis, vel egestatem in pannis, quibus ab infante frigoris asperitatem depellant, aut ob ęgritudinis obicem non possunt vti pręscripta à Parochis cautionis forma. Priuilegia enim paupertatis multa sunt. Tenentur tamen etiam pauperes; cum quibus dispensatum fuit, omnem adhi-

bere diligentiam pro suffocatione infantium impedienda. Quocirca.

ANNOTATIO II.

9 Notandum, quòd concessa Parochis facultas in hac Brixiensi Diœcesi dispensandi cum miserabilibus personis circa detentionem infantium, se extendit tantùm ad tollendam obligationem præcepti Ecclesiastici sub censuræ pęna impositi, integra interim & firma manente juris naturalis obligatione, nisi aliunde cesset talis obligatio. Siquidem in lege naturali, si excipias votum, & juramentum, concurrente justa causa, non cadit dispensatio; sed tantùm obligationis cessatio ob mutationem alicujus circumstantiæ, qua constante durat, & qua mutata, tollitur naturalis juris obligatio, sicuti doctè explicat Valen. 2.2. disput.7.quęst.4. punc.6. Sanchez lib.8. de matr. disp.6. & disp.17. quęst.1. nu.3. & 4. Vasquez in 1.2.disp.278.cap.2.Becanus in Sum.Theol.schol.12. trac.3.cap.3.qu.1. n. 5. & 9. Quamobrem, si quis obtenta à Parocho dispensatione ante octavum ętatis mensem detineat infantem in lecto cum suffocationis periculo, licèt eo casu beneficio dispensationis non incurrat excommunicationis censuram, committit tamen mortale peccatum ob transgressionem juris naturalis, quod dictat impediendam esse quantum fieri potest, suffocationem infantis. Quod est valdè advertendum.

10 Si verò Mater, vel Nutrix post obtentam à Parocho dispensationẽ, paupertate, vel ęgritudine cogatur detinere infantem in lecto sine pręscripta cautione, adhibeat tamen, quam potest, diligentiã, pro infantis suffocatione vitanda, immunis cẽsenda est ab omni culpa & pęna. Nõ enim peccat contra legem Ecclesię, tùm quia per dispensationem eximitur ab ejus obligatione: tùm quia leges humanę, quales sunt etiam censurę, non obligant cum tanta severitate, teste Laym. lib.1. tr.4.c.14. nu.5. & tr. 5.p.1.c.5.nu.9. Neque contra jus naturale, quia hujusmodi detentio est involuntaria, vel saltem non libera, & consequenter inculpabilis. Ita Gambar. de cas. reser. cap.14. Belloch. de cas. res.p.2. q.1. n.411. & 413. Vide etiam Comitol. in suis respons. mor. lib. 4. quęst.12.

ANNOTATIO III.

His addendum, quòd perdurante misericordię vel necessitatis causa, neque opus est dispensatione, sed sufficit legis declaratio. Pro quo notandum, dispensationem legis differre ab irritatione, abrogatione, derogatione, declaratione, seu interpretatione. Nam irritatio est, cùm lex aboletur, ante quam perfectè obliget; quod tunc fit, quando plena & perfecta legis obligatio pendet ex voluntate alterius, qui illam non vult approbare. Abrogatio est, quando lex, quę jam perfectè obligabat, simpliciter tollitur seu aboletur. Derogatio, quando ex parte tollitur, & ex parte manet. Dispensatio, quando in aliquo casu, quo revera viget, & obligat lex, tollitur ejus obligatio ab aliquo homine in particulari, reliquis manentibus dispositioni legis subjectis. Declaratio verò quando declaratur, legem in aliquo casu particulari non obligare. Aliqui vocant interpretationem legis secundùm EpiKejam: qua de re Covar. in 4. decret.par.2.cap.6.§.9.n.2. Suarez lib.6. *de voto* cap.9.n.2.Laym. lib.1. tract.4. cap.22. num.1.

11 Quamvis autem nonnulli pro eodem accipiant dispensationem, & declarationem, valdè tamen inter se differunt. Primò quia dispensatio non potest fieri, nisi à Superiore: declaratio sępè fit à subdito, pręsertim quando res clara & liquida est. Nam in re dubia potest Superior sibi ipsi reservare legis interpretationem. Igitur ad dispensandum, opus est potestate, & jurisdictione: ad declarandum doctrina, & prudentia. Secundò tunc locum habet dispensatio, quando lex viget, & obligat; tunc declaratio, quando putatur non obligare. Tertiò, dispensatio requirit, ut maneant circumstantię, sub quibus antea lex obligabat; declaratio, ut mutatę sint: de qua re vide

Va-

Valen. & Vasqu. ll. cc. Azor. lib.6. instit. moral.cap.1.qu.3.Becan.1.2. trac.3. cap.3. num.4.

Cùm igitur in casu paupertatis, & ęgritudinis mutetur circumstantia possibilitatis, sub qua lex obligabat, nam lex debet esse possibilis, (quod autem valdè difficile est, moraliter impossibile censetur, teste Layman lib.1.trac.4. cap.14. n.5 ex communi) propterea obligatio legis videtur per seipsam cessare, quando evidens est paupertatis excusatio. Verùm quoniam non raro ea in re subest aliquid dubii: Idcircò præstat tutiorem dispensationis viam sequi.

ANNOTATIO IV.

12 Verùm circa hanc dispensandi potestatem oritur dubium, si Parochus Brixien. Diœcesis fretus facultate Diœcesano statuto sibi concessa, dispenset sine justa causa circa detentionem infantis in lecto ante octavum ętatis mensem, utrùm talis dispensatio sit valida & firma.

Responsio est negativa. Et ratio est, quia delegatus, si excedat limites commissę potestatis, nihil efficit: Parochus autem in hac dispensandi functione est delegatus Episcopi, & dispensando sine justa causa, excedit limites commissę potestatis: Ergo nihil efficit. Quòd verò in tali casu excedat limites commissę potestatis: patet quia facultas Parochis concessa dispensandi circa detentionem infantium in lecto limitata est ad miserabiles personas, ut clarè constat ex citato libello constitutionum tit. *de Baptismo in fine:* ubi sic habet. *Cùm miserabilibus autem personis eos* (scilicet Parochos) *dispensare posse volumus, prout in Concilio Provinciali indultum est*. Ergo si eam extendant ad personas alterius conditionis, vel ea utantur extra misericordię, vel necessitatis casum, planum est, eos excedere limites cõmissę potestatis: ideòq; dispensationem irritam existere. Ita Sanch. li.8. de matr. dis.17.q.1. n.4. Suar. de leg.li.5.c.31. n.9. & lib.6.cap.19. n.1. Layman lib.1. tract.4. cap.16. num.7. & cap.22. num.11. in simili de eo, qui sine justa causa dispensat in lege Superioris.

13 Hinc infertur, tum Parochum qui, justa non intercedente causa, sed temerè in ea lege modo explicato dispensat, tùm eos, qui talem dispensationem petunt, eave utuntur, mortaliter peccare. Ita pręter Doctores citatos Cajetan. in sum. v. dispensatio. Navar. in man. prælu. 6. num.13.

14 Cęterùm ne assertio hæc anxietatem ingerat, limitationes aliquæ sunt adhibendæ. Prima etsi Parochus justam dispensandi causam non cognoscat; ideòquè temerè & non sine culpa dispenset, si tamen revera causa justa suberat, valida est dispensatio: sicuti docet Sanchez, & Layman ll.cc. Salas disp.20.sect.1. n.81. Dian.par.8.trac.3. resol 16.

15 Secunda, si Parochus probabiliter arbitretur, justam adesse dispensandi causam, quamvis eum errare contingat, valet tamen dispensatio ob præsumptam voluntatem Superioris, puta Episcopi, in cujus lege dispensatur; sicuti rectè advertit Sanchez cit.disp.17. quęs.1.num.8. ubi probat id procedere, etiamsi dispensatio fiat in jure Dei, puta si Papa rationabiliter existimet, justam subesse causam dispensandi in votis, & juramentis.

16 Tertia, si Parochianus bona fide dispensationem tenendi puerulum in lecto petat, allatis rationibus quas committit Paracho examinandas, impetrata dispensatione, securus esse potest, & præsumere legitimè collatam fuisse (saltem in conscientię foro) donec contraria veritas appareat, teste Soto in 4. distin.21. quęst.2. art.2. Lopez par.1. instruc. cap.4. Navar. cit. pręlud.9. num.13. Suarez cit. quos sequitur Layman cit. cap.22. n.12.

17 Major difficultas est, an liceat, nulla obtenta dispensatione, detinere infantem in lecto sine pręscripta cautione, quando probabiliter creditur, nullum subesse suffocationis periculum.

18 Negativę sententię videtur adhęrere Belloch. de cas. reser. par.2. qu.1 nu.41. & latè eam tuetur Mazuch. in append.ad trac.de cas.reser. q.1. n.7. ubi docet Matres, Nutrices, vel alios quoscumque ad quos spectat cura infantis, vel ea spe-

specialiter fuerit commissa, incidere in excommunicationem, quoties non obtenta dispensatione, infantem detinent in lecto sine præscripta cautione, etiamsi nullum adsit suffocationis periculum. Ratio ejus est, quia excommunicatio non est lata contra suffocantes, sed contra detinentes infantes in lecto sine præscripta cautione. Ergo qui sic detinet, censetur inobediens, & consequenter in reservationem incidere.

19 Contrarium videtur docere Graff. *in praxi lib. 2. cap. 38. n. 33.* & indicat Finellius *de cas. reser. cas. 4. de suffocante proprios filios. n. 3.* & expresse tenet Gambar. *de casibus reservatis. capit. 14. pagina mihi* 108. Vbi sic habet. *Crederem ego excusari ab hac censura, qui sine peccato mortali, hoc est, sine verosimili periculo suffocandi infantem in eodem lecto secum retinet nondum expleto anno, ut si cubile est amplum, & ponit infantem longè à se, neque dormiens solet locum mutare, sed ubi semel se collocat, ibidem persistere solet.* Idem docet inferiùs *casu 23. in fine*, ubi ait, in detentione infantium attendendum esse, non ad corticem verborum, sed Legislatoris mentem, quæ est, ut suffocationes infantium arceantur.

20 Inter has Doctorum, sibi adversantes sententias, & in hac difficultate, qua nihil frequentius Parochis, & Confessariis accidere solet, mihi dicendum videtur; si posterioris sententiæ sensus sit, quòd liceat, nulla obtenta dispensatione, detinere infantem in lecto sine præscripta cautione, quoties videtur abesse evidens, & proximum suffocandi infantem periculum: etiamsi subsit aliquod periculum non omninò remotum; tunc veram esse, & in praxi sequendam priorem Bellochii, & Mazuchelli sententiam: Tùm ob rationes, quibus ea nititur opinio: Tùm quia Ecclesia ea pœnali constitutione censetur velle prospicere omni tutiori via tenellorum saluti; atq; ideò prohibere eas omnes detentiones, ex quibus suffocationes infantium probabiliter possunt provenire. Proinde matres, & nutrices, quamvis sibi abesse videatur proximum suffocationis periculum à Parochis, & Confessariis urgeri debent, ut, ad tollenda etiam pericula non omninò remota, præscriptam ab Ecclesia cautionem adhibeant.

Si verò sensus sit, quòd, seclusa omni dispensatione, detinere liceat infantem in lecto, sine præscripta cautione, quoties ex hujusmodi detentione certò (morali saltem certitudine) constat, nullum subesse suffocationis periculum. v. g. si detineatur infans in lecto, dum mater, aut nutrix evigilat; secluso periculo, ne somno corripiatur; vel si, omissa præscripta cautione, adhibeatur alia, quæ prudenter æquè apta putetur ad arcendum suffocationis periculum; vel denique si præter cubilis latitudinem, mater ex diuturno detinendi usu experta est, nunquam se exposuisse periculo infantem suffocandi, puerq; sit implacabilis (quod est exemplum Finellii *loc. cit.*) fateor satis probabilem, & tutam in praxi mihi videri posteriorem sẽtentiam. Tùm quia negari non potest, mentem Legislatoris in detentione infantium eam esse, ut suffocationes infantium arceantur; cujus intentioni potiùs, quàm verbis adhærendum est, teste Navar. *lib. 5. consil. consil. 6. n. 9. de hæred. edit. 2.* Syl. *v. lex quæst. 16. & 17.*

21 Tum quia prohibitio Ecclesiæ in hoc casu videtur superaddita prohibitioni juris naturalis detinendi infantem in lecto cum suffocationis periculo; quandoquidem talis detentio non est mala, quia lege Ecclesiastica sit prohibita, sed est prohibita, quia suapte natura est mala. Sicut igitur quando nullum omninò subest infantis suffocandi periculum, hujusmodi detentio non est mala, ita neque lege Ecclesiastica prohibita.

22 Secus dicendum esset, si detentio infantis in lecto sine debita cautione foret tantùm mala, quia lege Ecclesiastica esset prohibita: tunc enim, etsi causa finalis legis, hoc est, probabile periculum suffocandi infantis cessaret in casu particulari, non propterea cessaret dispositio præcepti Ecclesiastici sub censuræ pœna impositi (nisi ex fine ferendi præcepti aliter colligatur de Legislatoris mente, cui potiùs, quàm verbis in interpretatione legum aadhærendum esse, præter Navar. & Syl. supra citatos docet etiam Azor. to. 1. lib. 5. c. 16. q. 6. Laym. lib. 1. tract. 4. c. 18. num.

num. 4.) Nam obligatio legis humanæ, quando juri naturali ac divino non est adnexa, eodemque fine, ac motivo lata, non cessat, nisi per revocationem, derogationem, dispensationem, vel cessationem causæ finalis universim, teste Suar. l. 1. de legib. c. 8. n. 1. Laym. lib. 2. trac. 4. c. 21. n. 3. ex communi.

Et in hoc casu vera omninò esset Doctrina Bellochii, & Mazuchelli ll. cc. Nam prohibitio legis Episcopalis nõ cessaret, etsi in casu particulari prorsùs deficeret ejusdem legis causa finalis. Quamvis oppositum sentiat Dian. in suo tract. de legib. resol. 28. & par. 5. tr. 14. resol. 96. & part. 7. tract. 10. resol. 23. citans Navar. Henriq. Angel. non satis intelligens, quomodo obligatio legis cesset, quando finis ejus adæquatus cessat in generali, non autem quando cessat in particulari: Quia lex (ait Diana) non solùm obligat omnes in generali, sed singulos in speciali. Ergo, sicut deficiente causa motiva, seu finali apud omnes, manent omnes deobligati, ita deficiente apud unum, manebit ille deobligatus. Quæ sententia, licèt sit contra communem, non est tamen improbabilis.

Cæterùm res aliter se habet in proposito casu: nam detentio pueruli in lecto cum aliquo suffocationis periculo est de se mala, & naturali lege prohibita. Proindeque sicut cessante omninò, moraliter loquendo, suffocationis periculo, cessat prohibitio, & obligatio legis naturalis, ita etiam cessare censetur prohibitio, & obligatio legis Episcopalis. Siquidem Episcopi ea pęnali constitutione matres, & nutrices promptiores, & cautiores reddere voluerunt in observanda lege naturæ, hoc est, in arcenda infantium suffocatione: Cujus metus si absit, timor etiam incurrendæ excommunicationis abesse censendus est.

His addendum, quòd, quando morali certitudine constat, nullum subesse suffocationis periculum, tunc constitutio, sive prohibitio Ecclesiæ redditur inutilis; & consequenter nullam vim obligandi obtinet. Siquidem ratio legis exigit, ut ea communitati utilis existat. Ita etiam de hac re à me consultus respondit Doctissimus, ac amicissimus P. Andreas Cadæus, Oratorii Brixien. Sacerdos, vir ad antiquorum Patrum imaginem factus, qui omnium virtutum decora universæ doctrinæ insignibus cumulavit.

23 Hinc patet minùs verum esse, quod infert Mazuch. cit. qu. 1. n. 14. nimirùm, si Mater, vel Nutrix, aut quicunque alius detineat infantem in lecto sine pręscripta cautione, & absque dispensatione, duplex peccatum committere, alterum contra jus naturale, alterum contra legem Ecclesię.

24 Fateor, priorem illationem veram esse, videlicèt detinentes puerulum in lecto cum suffocationis periculo mortaliter delinquere contra jus naturale, ratione periculi, cui voluntariè se committunt, infantem suffocandi, & pręterea in censuram (seclusa dispensatione) ab Ecclesia latam incidere.

25 Negandum tamen est, aliud peccatum vel specie, vel numero distinctum committere. Siquidem peccata non multiplicantur ex multiplicatione pręceptorum eodem fine latorum, sed ex multiplicatione virtutum, quibus actio, vel omissio, saltem secundum diversam rationem formalem, adversatur: Sicuti rectè docent S. Tho. 1. 2. q. 72. Sanch. lib. 1. mor. c. 14. n. 10. Sayr. *in clavi regia* l. 1. c. 5. n. 14. & 15. Sancius *in selectis* disp. 11. num. 17. Dian. par. 1. resol. 22. Bassęus. *in florib. the. prac. v. præceptum* n. 20.

Licèt igitur in proposito casu duplex pręceptum, naturale, & Ecclesiasticum eamdem pueri detentionem in lecto cum suffocationis periculo prohibeat; utrumque tamen est de eadem materia, eodemque fine ac motivo virtutis impositum, ut supra dictum est: ideòq; eorum transgressio unum mortale peccatum constituit. Ita Layman cit. lib. 1. tr. 3. cap. 2. nu. 1. ubi sic habet. *Si blasphemia in aliqua Diœcesi prohibita esset sub excommunicationis pœna, transgressor præcepti unum simplex peccatum committit contra religionis uirtutem: quandoquidem illud non alia ratione, seu motivo ab Ecclesia prohibitum est, quàm jure naturali, ac diviuo ante prohibitum erat.* Hucusque Layman. Idem omninò dicendum est in hac difficultate circa deten-

tentionem infantis cum periculo in lecto ob paritatem rationis.

Ad rationem pro priori sententia, cùm dicitur excommunicationem latam esse contra detinentes, non contra suffocantes.

Responderi potest, in interpretatione legum potiùs adhærendum esse menti quàm verbis Legislatoris: mens autem Legislatoris potissimùm intelligenda est ex fine, & causa ferendæ legis, quæ in casu proposito profectò ea esse censetur, ut suffocationes infantium impediantur. Vide, quæ diximus sup. n. 22. & Doctores ibi cit.

Dices. Lex fundata in præsumptione solius periculi non cessat, etsi in aliquo particulari casu cesset periculum, ut probat Mazuch. multis allatis exemplis: hujusmodi est lex Ecclesiastica, prohibens detentionem infantium in lecto sine pręscripta cautione: fundatur enim in præsumptione solius periculi, ne scilicèt infantes suffocentur: Ergo non censetur cessare, etsi in particulari infantis detentione cesset suffocationis periculum.

Resp. lex fundata in præsumptione solius periculi, & simul prohibens rem tantùm malam, quia lege humana est prohibita, non cessat, etsi in casu particulari cesset periculum, & sic major procedit; sed tunc negari potest minor: Quia lex Episcopalis, vetans detentionem infantium in lecto sine præscripta cautione, licèt fundetur in pręsumptione solius periculi; non prohibet tamen rem tantùm malam, quia Episcopali lege sit prohibita, sed rem per se & suaptè natura malam, ideòque Episcopali etiam lege prohibitam. Sicut ergo; secluso suffocationis periculo, deficit juris naturalis obligatio, ut supra explicatum est; sic etiam cessare censetur obligatio legis Episcopalis. Vide, quæ docet Layman l. 1. tr. 3. c. 2. num. 1. *versic. sin verò*.

Exempla verò à Mazuchello allata non convincunt: pleraque enim sunt de re tantùm mala, quia legibus humanis est prohibita; quarum obligatio non cessat ob cessationem causæ finalis in casu particulari. Quę doctrina potest admitti, licèt eam non admittat Diana cit. At detentio infantis in lecto cum aliquo suffocationis periculo suaptè natura est mala, ideòque pręcepto etiam Ecclesiastico prohibita; cujus obligatio cessare censetur, quoties morali certitudine cessat suffocationis periculum. Favet Finell. de cas. res. cas. 4. *de suffocantè proprios filios* num. 3.

RESOLUTIVA PRAXIS
Pro incidentibus.

1 Ex pręnotata doctrina resolvitur primò, excommunicationis censura ligari Matrem, & Nutricem, si detineant infantem in lecto sine pręscripta cautione ante octavum ętatis mensem, non obtenta dispensatione, modò paupertate, vel ęgritudine non excusentur. Siquidem de his expressè loquitur tùm decretum Conciliorum Prov. Mediolanen. IV. & VI. supra citatum: tùm constitutio Ecclesię Brixien. præallegata; praxisque Confessariorum confirmat.

2 Idem ob identitatem rationis adęquatę resolvitur de marito sive Patre, si in eodem lecto cum aliquo periculo, saltem remoto, suffocandi puerulum, dormiat, communique consilio id pręstet: quia ad Patrem etiam pertinet curam habere proprię prolis, impedireque, ne parvulus tenellus suffocetur: constat tùm ex pręallegato Conc. Prov. IV decreto: tùm ex usu, & praxi Confessariorum hujus Diœcesis. Vide supra *annot*. 1. n. 3.

Dixi, si Pater in eodem lecto dormiat, communique consilio id agat; quia si in eodem lecto non cubet, vel communi consilio id non pręstet, non dicetur tenere infantem in lecto: cùmque eo casu non sit particeps culpę, neque obnoxius esse debet excommunicationis pœnę.

3 Eadem censurę pœna extenditur etiam ad Aviam, & Ancillam, si nondum effluxo octavo ętatis mense, infantem in lecto teneant sine debita cautione: quod intellige, si ipsis demandata sit cura tenelli infantis, justaque causa non excusentur, vel legitima dispensatione ab excommunicationis pœna non eximantur. Vide supra *annot*. 1. num. 3. & *annot*. 4. num. 15. & 16.

4 Non

4 Non excusatur à mortali culpa, & censuræ pęna Mater, & Nutrix, quæ etiam evigilans infantem è cunis extra-ctum in lecto sine debita cautione detinet, si sępissimè experta sit, se deinde somno corripi cum periculo infantem suffocandi Quia ob periculum, cui advertenter & spontè se committit infantis suffocandi, contra jus naturale mortaliter peccat; ob interpretativum verò legis Ecclesiasticę contemptum, excommunicationis telo sauciatur. Mazuch. cit. q. 2. n. 16. post Beliochium.

5 Innodantur censurę vinculo Mater, & Nutrix, si ne infantem audiant ad aurem plorantem, vel ne frigeant ad cunas assurgendo, illum è cunis extractum secum in lecto cum periculo suffocationis collocent. Hę enim non censentur causę sufficientes, ut possint infantem in lecto detinere cum suffocationis discrimine. Secùs resolvendum, si ob ęgritudinem, vel aliam corporis molestiam, puerulus in cunis nullo modo placari posset, vel ad somnum incitari; non enim teneretur Mater aut Nutrix singulis momentis è lecto ad cunas assurgere, vagentique ubera admovere, præsertim hyemali tempore: Nam lex humana humano modo est intelligenda. Posset igitur eo casu infantulum è cunis extractum in lecto detinere, placatumque rursus cunis restituere.

RESOLUTIVA PRAXIS
Pro non incidentibus.

1 Ex pręnotatis resolvitur non ligari hac censura filios, fratres, sorores, nepotes, si dormiant simul cum Patre, & Matre detinentibus infantem in lecto sine debita, pręfinitaque cautione, vel legitima excusatione: Tùm quia hi non dicuntur detinere infantem in lecto, cùm ad ipsos non pertineat, nec ipsis ex speciali commissione infantis cura demandata sit: Tùm quia ipsis non est integrum adhibere pręscriptam cautionem contra voluntatem parentum.

2 Idem ob eamdem rationem resolvitur de Avia, vel Ancilla, si dormiant unà cum Matre, vel Nutrice absque pręfinita cautione: quia ad Matrem, aut Nutricem, non ad Aviam & Ancillam pertinet eo casu, demandataque est, ut supponitur, infantis cura. Delinquunt tamen, & hę mortaliter contra jus naturale, si cum Matre, vel Nutrice ita cubando in lecto advertant, & non caveant suffocationis periculum. Vide supra *annot.* 2. nu. 9. & DD ibi citatos.

3 Excusatur Pater, sive Maritus, si, vel cum vxore detinente puerulum, sine pręscripto obice non dormiat in eodem lecto, vel si dormit, in eamdem detentionem saltem tacitè non consentiat: Quia in priori casu Pater non dicitur infantem detinere, vt per se patet: in posteriori verò non censetur contumax, vel clavium contemptor: deficiente autem contumacia, consequenter deficit Ecclesię pœna; non tamen deficit mortalis culpa: quia Patri tùm ex charitate, tùm ex officio, & quasi justitia incumbit onus propriam prolem ab interitu vindicandi. Faciunt, quę habet Layman lib. 3. tract. 3. par. 2. cap. 4. num. 8.

4 Non sunt obnoxii censurę pœnæ in hac Brixien Diœcesi detinentes impuerulos in lecto absque debita cautione, postquam illi excesserunt octavum ætatis mēsem: sicuti constat ex libello constitutionum tit. *de Baptismo in fine*. Quod adeò verum est, ut si mensis octavus spiraret *die* 28. *Februarii*, eoque anno contingeret Februarius bissextilis, non incideret detinens infantem ultima die prędicti mensis: Quia licèt in favorabilibus illi duo dies pro uno cedant, nō tamen in odiosis. Faciunt, quæ habet Sanch. lib. 2. de matr. disp. 24. n. 18. cui subscribit Mazuch. *in appen. ad trac. de cas. reser. q.* 2. *n.* 17.

5 Excommunicationis laqueum effugiunt, qui tenent infantes in lecto cum ea cautione, quę tanquam opportuna sibi à Parocho fuit præscripta: quod verum est, etiamsi ea non videretur sufficiens ad arcendum suffocationis periculum: Quia conditio, & qualitas cautionis in Brixien. Diœcesi relicta est prudentię & judicio Parochorum pręfinienda. Peccaret tamen graviter Parochus contra proprium officium, si temerè & non maturo consilio inopportunam incolis suę Paro-

rochię cautionem, ad arcendas suffocationes infantium, pręscriberet. Sic mortaliter delinqueret etiam contra conscientiam sive dictamen rationis Parochianus ille, qui teneret infantem in lecto cum ea cautione, quam certò sciret insufficientem ad impediendam pueri suffocationem. Faciunt, quę communiter tradunt Doctores de operante contra judicium practicum moraliter certum proprię conscientię. S. Thom. quodli. 8. art. 13. Suarez tom. 5. disp. 40. sect. 5. nu. 14. & sect. 6. nu. 6. Less. lib. 1. cap. 1. dub. 1. Layman lib 1. tr. 1. cap. 5. §. 1.

6 Eadem immunitas ab excommunicationis pœna extenditur ad eos, qui, obtenta dispensatione, cubant in lecto cum infante absque alia cautione: quę resolutio procedit, quamvis sine justa causa (non tamen mala fide) petita, & collata fuisset huiusmodi dispensatio: quia eo casu cùm cesset inobedientia & contumacia, consequenter cessat etiam censurę pœna. Faciunt quę habet Sayrus de cens. lib. 1. cap. 9. nu. 25. Bonac. de censu. disp. 1. quęst. 1. punc. 4. num. 19. ex communi.

Parochus tamen, qui justa non intercedente causa, sed temerè in hac materia dispensat, tum eos, qui talem dispensationem petunt, eavè utuntur, mortaliter peccare, docent Cajet. in sum. v. *dispensatio*. Navar. in man. pręlud. 9. n. 13. Laym. lib. 1. trac. 4. cap. 22. nu. 12. Uide supra *annotat.* 4. n. 12. & sequen.

7 Non innodatur hac censura mulier, quę laborat ignorantia non crassa aut supina adm positę censurę: Quia ad incurrendam censuram requiritur scientia, & contumacia, vt pluries dictum est: qui autem pręceptum Ecclesiæ sub censurę pœna impositum ignorat, is contumax vel clavium contemptor censeri non potest. Sayrus cit. Suarez de censu. disp. 4. sec. 8. num. 11. Laym. lib. 1. tr. 8. p. 1. cap. 5. num. 7.

8 Eadem excusationis ratio ab incurrenda censura extenditur ad Matrem, Nutricem, Aviam, Ancillam, &c. quę ex inconsideratione, oblivione, vel inadvertentia non crassa aut supina violant pręceptum Ecclesię de tenendo infantem in lecto cum pręscripta cautione: siquidem fieri etiam non potest, ut quis adversus legem Ecclesiæ contumax, aut contemptor existat, qui ad illam non advertit. Sayr. Suar. Layman. ll. cc.

9 Non incidunt in excommunicationem Mater & Pater, qui paupertate compulsi detinent infantem in lecto absque debito obice; vt si ob carentiam lectuli, vel lodiculę pelliceæ, seu lineæ, qua ab infante frigus depellat, cogatur Mater detinere puerulum ad pectus admotum: privilegia enim paupertatis multa sunt. Ita Gambar. de cas. cap. 14. Finellius casu 4. *de suffocan. prop. filios*.

10 Mater, vel Nutrix, Auia, vel Ancilla si detineant infantem in lecto sine præfinita cautione, nullam committunt culpam, vel incurrunt censuram, quoties certò (morali certitudine) ipsis constat, nullum omninò subesse suffocationis periculum: Tùm quia eo casu sicut cessat prohibitio juris naturalis, sic etiam cessare censetur prohibitio juris positivi: Tùm quia lex Ecclesiæ tali casu redditur inutilis, & consequenter deficit ejus obligatio. Nam mens Ecclesiæ, sive Legislatoris Ecclesiastici eò tendit tantùm, vt impediantur infantium suffocationes. Uide supra *annotat.* 4. n. 20. & sequent. & Doctores ibi citatos.

11 Parentes & Nutrices, aut illi, quibus infantis cura demandata est, si quo tempore somnum capere non possunt, diù, imò diutissimè puerulos in lecto teneant, absque ulla cautione, seclusoque periculo, ne somno corripiantur, neque peccant, neque innodantur censura. Ratio est jam allata, quia tota ratio prohibitionis tàm juris naturalis, quàm Episcopalis eò spectat, vt impediantur infantium suffocationes. Uide cit. annot. 4. num. 21.

12 Mater, aut Nutrix, quæ gravi metu compulsæ detinent infantem in lecto cum suffocationis discrimine, excusantur quidem ab excommunicationis censura, non tamen à lethali culpa. Prior pars patet, tùm quia leges humanæ, quales sunt etiam censurę non obligant cum tanta severitate, teste Filliuc. trac. 11. c. 6. quæst. 4. num. 171. Layman lib. 1. trac. 5.

par.

par.1.cap.5.num.9. excepto, si metus fuisset incussus in contemptum legislatricis Ecclesiasticæ potestatis. Tùm quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia, qui autem ex gravi metu aliquid agit, alioquin non acturus, is non censetur contumax: Ergo, &c. Posterior pars probatur, quia detinere infantem in lecto cum periculo suffocationis est intrisecè malum: quæ autem sunt intrinsecè mala, ob metum etiam gravissimi mali non fiunt licita. Rationem assignat S.Tho. in 4. dist.29. quęst. vni. art.2. ab omnibus receptus: Quia, vt metus factum alioquin illicitum, cuius causa existit, à culpa excuset, necesse est, vt sit majoris mali, quàm sit illud, quod metus causa suscipitur: cùm autem peccatum omnibus aliis malis majus sit, teste S. Augustino lib 1. de civit. Dei cap.18. Idcircò metus nunquam excusat factum, quod de se est malum & peccatum, cujusmodi est etiam detentio infantis in lecto cum probabili suffocationis periculo. Ita Sylves. v. metus, quæst.1. Navar. in man. cap.27. num.63. Suarez de censu. li. 3. disp.4. sect.3. num.14. Layman lib.1. trac.2.cap.6. num.7. & trac.5. par.1. cap.5. num. 9.

ALIÆ CENSVRÆ,

Præter in Edicto contentas, reservatæ.

Quamvis tria tantùm censurarum genera, quæ iam discussimus, reserventur hocce primo casu; ne arbitrentur propterea Confessarii à cæteris omnibus censuris, quæcunque illæ sint, & à quocumque Superiore latę, sibi licere pœnitentes absolvere. Nam præter censuras in Edicto reservatorum contentas, aliæ præmultę reperiuntur; reservationi subjectæ.

Primò quæ in Bulla Cęnæ Domini clarè, vel dubiè continentur, quarum vincula nullus Confessarius tàm Regularis, quàm secularis extra mortis articulum relaxare valet, cùm Summo Pontifici privativè reservetur, præterquam si legitimum, & perpetuum superveniat impedimentum; quo casu censuras Papales ad Episcopum devolvi, resolutum fuit in priori Elucidarii parte resol.99. & 100. & docet Sylves. *v. absolutio* 4. num.3. ex communi.

Secundò censurę, quæ eidem Summo Pontifici sed extra Bullam sunt reservatę, à quibus Confessarii non privilegiati absolvere nequeunt, secluso mortis articulo.

Tertiò censuræ, quæ jure communi, tum in Conciliis generalibus Episcopo reservantur, à quibus quilibet Confessarius secularis cavere debet, ne quem hujusmodi censuris innodatum absolvat, nisi generalis absolvendi ab omnibus censuris Episcopo reservatis sibi delegata sit facultas. Nam in Edicto reservatorum continentur tantùm censurę, quę statuto Provinciali, vel Diœcesali, non quę jure communi Ecclesiastico, vel ex privilegio Tridentini (quales sunt censuræ omnes, & irregularitates occultę, excepta ea, quę oritur ex homicidio voluntario) Episcopo sunt reservatę. Quarum licèt in casu nulla fiat mentio, non propterea desinunt esse reservatè, cùm altiori potestate reserventur. Vt igitur censuræ hujusmodi omnibus Confessariis innotescant, laboreque leventur eas apud alios Auctores requirendi; hìc seorsim apponere non absre duxi.

EXCOMMVNICATIONES

Papæ reseruatæ, in Bulla Cænæ Domini contentæ.

1 In hęreticos, Apostatas à fide, credentes, receptatores, fautores, defensores hęreticorum, legentes eorum libros de religione tractantes, retinentes, imprimentes, defendentes. Item in Schismaticos.

2 In appellantes ad futurum Concilium ab ordinationibus, sententiis Summi Pontificis, & ad hoc dantes consilium.

3 In pyratas, cursarios, latrunculos maritimos discurrentes mare Ecclesię.

4 In surripientes Christianorum naufragantium bona.

5 In

quotannis ex Ordinariorum mandato in singulis Parochiis populo prælegendam esse: singulosque Parochos, ac Confessarios debere hanc Bullam penès se habere, frequenter legere, & diligenter examinare. Ita colligitur ex literis, processus eiusdem Bullæ, teste Nauar. in man. c. 27. à nu. 56. usque ad 74. & Tolet. l. c.

An autem Episcopo vigore Concilii Trident. sess. 24. cap. 6. integrum sit absolvere à supradictis casibus, & censuris, quando occultæ sunt, & non deductæ ad forum contentiosum, vide in priori parte resol. 117.

EXCOMMVNICATIONES

Extra Bullam Cœnæ Domini, Papæ reservatæ.

1 In percussores Clericornm, cap. *si quis suadente* 17. quæst. 4. quæ extenditur etiam ad mandantem, consulentem, &c. requiritur tamen, vt petcussio sit gravis.

2 In perseverantes, seu ut jura loquuntur, Insordescentes per annum in excommunicatione lata à Delegato Papæ, cap. *quærenti de offic. deleg.*

3 In falsarios literarum Pontificalium. cap *ad falsarios*.

4 In habentes literas Apostolicas falsas, & eas non destruentes intra viginti dies, cap. *dura de crimine falsi*.

5 In incendiarios ab homine excommunicatos, & denunciatos, cap. *Tua nos de sent. excomm. in* 6.

6 In Sacrilegos Ecclesias effringentes, cap. *Conquesti eodem* 6.

7 In commuuicàntes in crimine cum excommunicatis à Papa, capit. *nuper eodem*.

8 In eligentes insignem potentia in Senatorem Romanum, cap. *fundamenta de Electione in* 6.

9 In vexantes eos, qui censuram in aliquos tulerunt, cap. *quicumque de sentent. excomm. in* 6.

10 In absolutos ab excommunicatione Papali sub conditione, & non impleta, cap. *eos qui de sent. excomm. in* 6.

11 In offendentes Cardinales, cap. *fælic. de pœnit. in* 6.

12 In exigentes tributa à personis Ecclesiasticis, cap. *Clericis de immunitate Ecclesiarum in* 6.

13 In violantes interdictum modis prohibitis. *In Clem. gravis de sententia excommun.*

14 In falsificantes monetam Regis Franciæ, *extr. prodiens de crimine.*

15 In exenterrantes corpora defunctorum. *Extrav. 1. de sepul.*

16 In violantes interdictum Sedis Apostolicæ *extr. etsi de pæn. & remiss.*

17 In conspirantes in personam Romani Pontificis *extr. ead.*

18 In dantes, & recipientes ob ingressum Religionis. *extr. 1. de simonia.*

59 In Simoniacos in ordine, & beneficio. *extr. 2. de simonia.*

20 In taxantes opiniones de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis. *extr. grave nimis. de vener. Sanctorum.*

21 In dantes, & recipientes pro gratia, aut justitia apud Sedem Apostolicam. Greg. XIII. *Ab ipso Pontifice* 24.

22 In offendentes Magistratus Provinciæ Marchiæ Anconitanę. *extr. dierum de pænis.*

23 In dantes nunciantibus provisiones beneficiorum vacantium in curia. Greg. XIII. *Sollicitè* 4.

24 In occupantes bona Cardinalium in Conclavi existentium. Concil. Constant. *sess. 41. decret. Omnis ætas.*

25 In fingentes se Nepotes Cardinalinm, ut expediant literas Apostolicas. LeoE. *Inhærendo* 27.

26 In impedientes executionem literarum sacræ Pœnitentiarię. Julius III. *Rationi congruit* 1.

27 In supponentes se in examine, ut beneficia impetrent pro alio Paul. IV. *Inter cætera* 12.

28 In ambientes Papatum, ejusque causa simoniam committentes. Paul. IV. *Cùm secundum Apost.* 16.

29 In committentes duellum, consulentes, concedentes locum, &c. Pius IV. *ea quæ* 21.

30 In deferentes alumina ex partibus infi-

59 In Superiores Regularium, non denunciantes suos, qui sollicitant mulieres in confessione. Paulus V. *anno* 1606.

60 In Minores recipientes fratres Ordinis Predicatorum sine licentia Papę. D. Antoninus 3. *part. titul.* 24. *cap.*70.

61 In Minores de observantia subornantes in electionibus, vel procurantes favorem extra ad officium obtinendum in Religione. Pius V. *Pastoralis* 128.

62 In claustrales recipientes minimos sine licentia Papę. Julius II. *Virtute conspicuos*. Leo X. *licèt alias*.

63 In Tertiarios Eremitas, &c. portantes habitum Minimorum. Leo X. *Cùm sicut*.

64 In Minimos subtrahentes se ab observantia correctorum. Paulus V. *Cùm sicut*.

65 In Minores tempore interdicti, admittentes fratres tertii Ordinis ad divina. *Clem. Cùm ex eo, de sentent. excomm.*

66 In recipientes aliquem è Societate Iesu, exceptis Cartusianis sine licentia sui superioris, & contra ipsos de Societate ingredientes Religionem aliam a Carthusiana: & contra dantes auxilium. Pius V. *æquum reputavimus*.

IN PERSONAS.

Publicas.

67 In Episcopos, aliosque Ordinarios, qui vexant per censuras eos, qui pro suis negotiis, vel pro servitio Papę, & Curię Romę commorantur: *extra* 3. *de privil.*

68 In Cardinales, non servantes statuta à Iulio II. ut scilicèt sine simonia eligatur Papa. Julius II. *cùm tam diuino* 3.

69 In Cardinales revelantes gesta in secreto consistorio, pręcepta sub silentio reservari. Leo X. *Supernè* 7.

70 In Episcopos, qui in suspensione conferunt beneficia. Pius V. *Quanta* 58.

71 In Cardinales ambientes Papatum, ejusque causa simoniam committentes. Paul. IV. *cùm secumdum*.

72 In Cardinales simoniacos in ordine, & beneficio. Pius V. Intolerab. 85.

73 In Prelatos, qui personam Ecclesiasticam, Collegium, vel conventum, traxerint ad forum laicale, pro causis, quę spectant ad forum Ecclesiasticum. Martinus V. *Ad reprimenda* 10.

74 In Dominos temporales, cogentes aliquem tempore interdicti. *Clem. gravis de sent. excomm.*

75 In prohibentes subditis, ne quidquam vendant Ecclesiasticis, neque ab eis emant. *C. fin. de immunit. Eccles. in* 6.

76 In bannientes regulares, aut proscribentes personas Ecclesiasticas. Vrbanus VI. *Quia sicut* 3.

77 In concedentes, vel permittentes duellum in terris suis. Concil. Trid. *sess.* 21. *cap.* 19. Clem. VIII. *Illius vices* 11.

78 In Inquisitores inferiores Episcopis, & malè procedentes contra hereticos. *Clem. Multorum*.

79 In officiales sacrę Pœnitentiarię expedientes, aut concedentes sibi interdicta. Pius V. *In omnibus rebus* 83.

80 In officiales non redentes integrè computa Camerę Apostolicę. Paul. III. *Cum sicut* 40.

81 In officiales quoscumq; Papę (prę ter Cardinales) recipientes munera, pręter comestibilia biduo consumptibilia, dantes, & recipientes. Paul. III. *Munera* 3.

82 In Legatos, & Gubernatores faventes, vel defendentes bannitos, & homicidas. Pius V. *Ex supernę* 10.

Circa quas excommunicationes notandum est, licèt olim Regulares vigore suorum privilegiorum, à supradictis casibus, & excommunicationibus extra bullam Cœnę latis, absolvere possent; nunc ipsis amplissimè derogatum esse per decretum supra relatum Clem. VIII quoad nonnullos casus, à quibus, ut ibi etiam notatum fuit, prohibentur absolvere sub pęnis in illo contentis: sunt autem sequentes.

1 Violantes immunitatem Ecclesiasticam in terminis constituit. Gregor. XIV.

bentes: habetur *seß.* 24. cap. 6. *de refor.* Et hęc similiter non est reservata, teste Tolet. lib. 1. cap. 41. n. 4.

Quarta contra illos, qui quovis modo subditos suos, vel quoscumque alios cogunt minùs liberè matrimonia contrahere. *seß.* 24. *cap.* 9. Non est reservata, teste eodem Tolet. *loc. cit.*

Quinta contra Magistratus sęculares, qui non prębent auxilium invocatum ab Episcopis ad restituendam, vel conservandam clausuram Monialium. *seß.* 25. *c.* 5. *de regul.* Sed nec ista est reservata, teste eodem Doctorem *cit. n.* 5.

Sexta contra ingredientes septa monasterii Monialium cujuscumque generis, aut conditionis sexus, vel ętatis fuerint, sine licentia Episcopi, vel Superioris in scriptis obtenta. *ibidem.* Hęc excommunicatio hodie per Gregor. XIII. & Pium V. est Papę reservata; ut supra dictum est.

Septima contra eos, qui cogunt aliquam fęminam, pręterquam in casibus jure expressis ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum religionis, vel ad emittendam professionem; quivè consilium, vel favorem in id dederint, vel scienter eiusmodi actui pręsentes fuerint, *seß.* 25. *cap.* 18. hęc excommunicatio nemini est reseruata. Tolet. n. 6. Bassęus cit. *n.* 7.

Octava contra eos, qui sanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel veli profitendi quoquomodo sine justa causa impedierint. Ibidem. Hęc etiam non est reseruata, teste Tolet. & Bassęo ll. cc.

Nona est contra Jmperatores, Reges' Duces, Principes, Marchiones, Comites' aliosque Dominos temporales, concedentes locum in terris suis ad duellum contra duellum committentes, & eorum. Patrinos, & extenditur ad consilium dantes, & duelli spectatores, dummodò scienter, & ex industria illud spectent seß. 25. cap. 19. Sed hęc excommunicatio hodie per Clem. VIII. est Papę reservata.

SVSPENSIONES

In Sacrorum Canonum Episcopo reservatæ.

Prima est in conferentes, vel recipientes beneficia eorum, qui ad Romanam Curiam se contulerunt, vel in eadem officia sustinent. *Extravag.* 3. *de privil.*

Secunda in Clericos recipientes Ordines sacros post matrimonium, tam ratum, quàm consumatum. *Extrau. antiq. de voto.*

Tertia in simoniacos in ordine. *Extr.* Pauli II. *de simon.*

Quarta in iurantes de tenendo schismate. *cap.* 1. *de schismate.*

Quinta est in alienis debitis gravantes Ecclesias sibi commissas, *cap.* 2. *de solutionib.*

Hæ suspensiones licèt in corpore iuris notam reservationis Episcopo non afferant, vsus tamen obtinuit, vt Episcopo reserventur, teste Ignatio Lupo de casib. reser. par. 2. cas. 1. *de suspens. pagin.* 358. *n.* 19.

SVSPENSIONES,

Iure Concilij Tridentini Episcopo reservatæ.

Suspensiones, quę in Concilio Tridentino habentur, & Episcopo reservantur, sunt sequentes.

Prima est in eos, qui recipiunt Ordines cum literis Capituli, Sede vacante, infra annum: præterquam si fuerint arctati. Concil. Trident. seß. 7. cap. 10. *de reform.*

Secunda est in recipientes eosdem Ordines sine testimonio proprii Ordinarii de sua probitate. Trident. seß. 23. cap. 8. *de ref.*

Tertia est contra Parochos, vel Sacerdotes tam regulares, quàm seculares, qui alterius Parochiæ sponsos, sine ipsorum Parochi licentia, matrimonio conjungere, vel benedicere ausi fuerint. Trid. ses. 24. cap. 1. *de reform. matrim.* Quæ suspensio

sio permanet, donec ab Ordinario Parochi, qui matrimonio assistere debebat, tollatur.

Quarta in recipientes ordines, seu promotos per saltum. Tridentin. sess. 23. cap. 14.

Quinta in occupantes bona, census, &c. Ecclesiæ, beneficij, vel pij loci. Trid. sess. 22. cap. 11. *de reform.*

Sexta in Ecclesiasticos raptores, vel præbentes auxilium, &c. raptori. Triden. sess. 24. cap. 6. *de reform.*

SUSPENSIONES.

Quæ à Summo Pontifice reservantur Episcopo.

Prima est in recipientes ordinem sacrum ab alieno Antistite sine licentia proprii. Pius II *cùm ex sacrorum 6.*

Secunda in recipientes ordines sacros ante legitimam ætatem. Et est suspensio ab ordine suscepto; quæ non tollitur, adepta legitima ætate, sed per legitimam absolutionem. Pius II. *cùm ex sacrorum 6.*

Tertia est in recipientes eosdem sacros ordines extra tempora à jure statuta, sine dispensatione. Pius II. *ibidem.*

Quarta est in disputantes de conceptione Beatæ Virginis. Pius V. *super specula.* Paulus V. *regis pacifici.* Gregorius XV. apud Bonac. *de suspen.* dub. 3. punct. 5. §. 1. num. 37.

Pœnitentiarii tamen advertant, integrum sibi non esse supra dictarum suspensionum vinculo innodatum absolvere, nisi generalis absolvendi ab omnibus censuris Episcopo reservatis sibi delegata sit facultas. Nam in edicto reservatorum, & eorum concessione non continentur censuræ jure communi, vel Conciliorum generalium Episcopo reservatæ. Insuper in re tam ardua, & gravi facilè non debere quarumcumque suspensionum vincula relaxare, nisi priùs consulto Episcopo: ut communiter monent Doctores.

INTERDICTA IURE COMMUNI

Vel consuetudine Episcopo reservata.

Censuræ interdictorum latæ sententiæ, quæ tùm iure communi, tùm consuetudine Episcopo reservantur, sunt sequentes.

Primum interdictum est in universitatem, concedentem domos manifestè usurarijs, ad fœnus exercendum, cap. 1. *de usuris in 6.*

Secundum in universitatem, concedentem repræsalias, seu pignorationes contra personas Ecclesiasticas, vel earum bona cap. *Clericis de imm. Eccl. in 6.* & cap. *unico de iniurijs in 6.*

Eadem pęna extenditur ad universitates imponentes, vel exigentes decimas, talias ab Ecclesiasticis, *eod. cap.*

Tertium in locum, vel Ciuitatem, quæ injuriosè, vel temerè percutit, capit, seu bannit, occidit, &c. suum Episcopum. *Clem. 1. de pænit.* Et hæc interdicta sunt generalia. Specialia verò sequentia.

Quartum est in recipiendum Episcopatum, Abbatiam, vel aliam dignitatem de manu laici. cap. *si quis deinceps* 16. quęst. 7.

Quintum in Ecclesiasticos, qui violant interdictum locale, sive ab homine, sive à jure latum. cap. *Episcoporum de privileg. in 6.*

Sextum in Sacerdotem, qui admittit nominatim interdictum, vel excommunicatum ad divina officia. cap. *significavit de sent. excomm.*

Septimum in judicem, qui in ferenda excommunicationis, vel alterius censuræ sententia, non servat juris ordinem, habetur in cap. *cùm medicinalis de sent. excomm. in 6.*

IN-

INTERDICTVM

In Concilio Tridentino Episcopo reservatum.

Et est contra Capitulum, Sede vacante intra annum à die vacationis concedens dimissorias, ad ordines suscipiendos, non arctato. Concil. Trident. sess. 7. *de reform.*

Hic admonuerim, absolutionem ab interdictis generalibus supra enumeratis, quando non sunt occulta, ab Episcopo concedendam non esse, nisi sapientissimo consilio, re bene expensa, & discussa; ne videatur ponere falcem in messem alienam, contra cap. *Venerabilem de electio.*

DE ABSOLUTIONE

A Censuris.

1 *Censura tollitur tantùm per absolutionem.*
2 *Quotuplex sit forum.*
3 *Absolutionem à censura an præcedere debeat satisfactio.*
4 *Forma in foro Pœnitentiæ servanda, cùm absolutio datur à censura.*
5 *Absolutio à censura in foro conscientiæ an in confessione sit impendenda.*
6 *Quid prosit absolutio in foro conscientiæ.*
9 *An absolutio in foro conscientiæ sit danda, quando censura est notoria.*
8 *Quid quando ad forum externum fuit deducta, sed non probata censura.*
9 *An Parochianus possit absolvi à proprio Parocho extra Parochiam.*
10 *Absolutus in articulo à censura, quando reincidat, si Superiori se non sistat.*
11 *Violans censuram quando irregularitatem contrahat.*
12 *Quis absolvat à censura per sententiam particularem lata.*
13 *Forma in absolutione à censura in foro externo servanda.*

1 Cum censura non tollatur per mortem, aut depositionem ferentis, eò quòd sit pęna, per legitimam auctoritatem inflicta, & transeat in rem judicatam, semelque contracta per seipsam non cesset, si absolutè, & indefinitè lata sit: Idcircò nullo alio modo tolli potest, quàm legitimi judicis absolutione.

2. Circa quam notandum est, triplex esse forum: quoddam contentiosum, quoddam pęnitentię, aliud verò medium inter vtrumque, quod est forum consciētiæ; sicut ex communi docet Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 34. nu. 39. Forum contentiosum dicitur forum externum publicum, in quo quis absolvitur à censuris, servata forma judicii, & solemnitate ab Ecclęsia pręscripta, de qua infra. Forum pęnitentiæ est, in quo quis, audita peccatorum confessione, à peccatis simul, & censuris absolvitur. Forum verò conscientię est, in quo auctoritatem habens ordinariam, vel delegatam extra sacramentalem confessionem censuris innodatum absolvit, sed tamen in foro secreto, hoc est, sine testibus, & forma judicii. Sicut ergo triplex, & varium est forum, ita triplex, & varius est modus, qui servari debet in relaxanda censura. Vide in priori parte resol. 51. vbi fusiùs de hac re agitur.

3 Primò igitur Pęnitentiarius, vel Delegatus absolutionem à censura etiam in foro interno conferre non debet, nisi priùs lęsi parti satisfactum sit. Nomine partis intelligitur persona, quę lęsa fuit: Nomine verò satisfactionis intelligitur restitutio honoris, famę, vel bonorum fortunę. Quod si absolvendus satisfactionem realem tunc exhibere non possit, cautionem juratoriam pręstare debet de satisfaciendo, cùm poterit. Quod sufficit, etiamsi facultas absolvendi delegata sit cum conditione satisfactionis: Quia ad impossibile nemo tenetur. Ita Navarr. c. 27. nu. 279. Fill. l. c. nu. 29. Dian. p. 1. & par. 5. tract. 9. resol. 13. Vide, quę fusiùs dicta sunt in priori Elucidarii parte resolut. 90. v. *secunda conditio.*

4 Secundò, quamvis ad absolutionem censurę in foro pęnitentię, uel conscien-

tię non sit necessaria certa, & determinata forma, sed sufficiant hæc verba. *Absolvo te à vinculo excommunicationis, vel suspensionis*, &c. imò secundum Navar. de pœnit. dist.6. cap.1. Henriqu. lib. 4. cap 11. numer.3. litera X. Filliuc. trac.11. num.328. satis sit, si Sacerdos utatur his verbis: *Absolvo te*: modò iisdem verbis intendat absolvere à censuris, & à peccatis: quo casu absolutio à censura censetur prior ordine, quàm absolutio à peccatis.

Consuetum tamen est, ut absolutio, quę presentibus confertur, talibus verbis fiat: *Absolvo te à vinculo excommunicationis, suspensionis, &c. quam incurristi propter tale crimen, vel talem causam*, & (si sit excommunicatus) *restituo te Sacramentis Ecclesiæ, communioni fidelium: aut* (si sit suspensus) *executioni tuorum Ordinum, vel Officiorum in Nomine Patris, &c.*

5 Tertiò si facultas absolvendi à censuris concessa sit in foro conscientiæ, vt regulariter concedi solet Confessariis delegatis: quod colligitur ex verbis præfationis, in deleganda facultate, quæ sic habet, *in foro conscientiæ*, potest delegatus uti ea facultate etiam extra sacramentalem Confessionem, quoties absolutio cadit super materiam, ad quam per se non requiritur sacramentalis absolutio: Tùm quia aliud est forum conscientiæ, aliud pœnitentię: Tùm quia censura, v.g. excommunicatio, etsi culpam supponat, in se tamen culpa non est, sed pœna, & ut pęna ex natura sua non petit auferri in Sacramento pœnitentiæ. Ita docet Sanchez l.8. de matr. disp.15. nu. 25. Laym lib.5. tract.6. ca.10. nu.21. Diana par.4. tract.4. resol.8. Joseph. de Janua. de casib. reserv. resolut.23. nu.3.

Hinc infertur validam esse absolutionem à censuris collatam à Pœnitentiario in confessione invalida. Nam actus agentium si non valent eo modo, quo fiunt, valent eo modo, quo fieri possunt. Vnde talis absolutio si non valet ut sacramentalis, ut collata in foro conscientiæ. Regulariter tamen absolutio à censuris impertiri debet, audita confessione, sicuti rectè monet Navar. in man. c. 26.n.7.

Quartò præmonendus est pœnitens absolutionem in foro conscientiæ nihil ei prodesse pro foro externo, cùm remaneat semper salvum jus apud Superiorem cognoscendi de illo delicto in foro exteriori, & pro eo pęnam, & satisfactionem imponendi, neque tollatur jus tertii. Sed ei prodesse tantùm coram Deo; operarique, ut absolutus in foro conscientiæ validè, & licite ministrare, & recipere Sacramenta, nullamque irregularitatem incurrere possit. Sicuti docent Navar. lib.5. consil. de sent. excomm. consil.15. Filliuc. tract.11. cap.9. quæst.7. num.292. Rodriquez tomo primo quæstion. Regular. quęst.61. art.16.

Quintò si censura ad forum judiciale deducta, vel deducenda est, nullo modo delegatus ab ea debet absolvere. Idemque dicitur si notoria sit in ratione contractę censurę, non quoad actum externum tantùm: propterea quod reus, postquam absolutionem in foro conscientię à censuris obtinuit, non ita efficaciter ad pręstandam satisfactionem urgeri possit. In hoc tamen secundo casu in rigore valida esset. Sanchez lib.8. de matrim. disput.34. num. 56. Navar. in man. capit.27. numer. 241 & 253. Henriquez lib. 13. cap. 28. num.1. ConineK disput. 14. dub.16. numer.206. Vide in priori parte Resolut. 111. Dicitur autem censura deducta, secundùm Avilam, Henriquez, quos sequitur Sanchez lib. 2 moral. capit. 11. num. 22. cùm denunciatio, seu accusatio de illa coram legitimo Iudice facta est. Aliir tamen placet requiri litis contestationem, per citationem, & responsionem. Dian. septima parte, tract. 2. resolut.27 Barbosa de Offic. Episc. alleg. 39. numer. 21. Vide supra in priori parte Resol.103.

8 Sextò, si reus, cujus contracta v. g. excommunicationis censura ad forum contentiosum fuit deducta; in judicio non est convictus, sed potiùs se purgavit, & falsis testibus, aut via iniqua se defendit, ab Ordinarioque fuit absolutus definitivè, vel ab instantia, censeri; debet excommunicatio adhuc occulta: Ideòque ab illa poterit generaliter delegatus in foro conscientię absolvere; cùm non

non fuerit deducta ad forum contentiosum cum affectu, neque probata. Ita Clavis Regia lib.6. cap.11. num.83. Rodriquez primo tomo quæstion. Regular. quæst.61.artic.9. Henriquez lib.8. cap.16. contra Toletum lib.1. cap.83. Quę doctrina accomodari potest casibus, & censuris Papæ reservatis, & ad forum contentiosum deductis, à quibus reus non convictus potest deinde ab Episcopo in foro conscientiæ absolvi juxta concessionem Trid. sess.24.cap.6. Vide, quę diximus in priori Elucidarij parte resol. 105.

9 Septimò Parochus, vel Confessarius facultatem absolvendi à censuris Episcopo reservatis delegatam habens in aliquas personas, potest Parochianos, & subditos ubique etiam extra Parochiam, & Diœcesim absolvere: Quia jurisdictio, quæ absque strepitu judicii exercetur, potest extra propriam Parœciam, & Diœcesim exerceri: Et cùm isti jurisdictionem habeant in personas pœnitentium, non attenditur territorium, vel præsentia localis, sed tantùm persona. Ita Sanch. de matrim. lib.3. disp.19. nu.3. & lib.2. moral.cap.11. num.16. & 17. Regin. lib.1. n.93. Dian.par.3. resol.144. & par.7. tract.2. resol.8. & 9.

10 Octavò Confessarius, qui in mortis articulo, vel ob legitimum impedimentum, aliquem à censura reservata absolvit, monere debet pœnitentem, ut si convaluerit, vel cessante impedimento, cum primùm commodè poterit, se præsentet Superiori, cui censura reservata erat, ut obediat ejus mandatis: alioquin reincidet in eamdem specie censuram: Qui casus expressè habetur in *cap. eos, qui de sentent.excomm. in 6.* Vide, quæ diximus in priori Elucidarij parte *resol.*90.

11 Nonò observabit, si Clericus violavit censuram, exercendo actum proprii ordinis, quòd irregularitatem contraxit, à qua, si est notoria, solùm Summus Pontifex dispensare potest, si verò occulta, quæ talis censetur, quamvis nonnullis in vicinia, Collegio, Monasterio innotescat, etiam Episcopus dispensare cum sibi subditus sit in foro conscientiæ non prohibetur. Trid. *sess.*24. *cap.*6. Vide Sanch.l.2. mor. cap.11. & lib.8. de matrim. disp.34. Qui lib.1. moral. cap.12. rectè notat cum Navar. in man.cap.27. n.239. talem irregularitatem non incurri, si Clericus censuram violet, exercendo actum ordinis, ad vitandam infamiam, vel vitæ periculum: Quia lex naturalis, & divina, inquit Navar. de defendenda propria vita, & fama, præstat legi humanæ de abstinendo à sacro in censura. Imò ratione etiam vitandi scandali, vel ob ignorantiam, inadvertentiam, aut oblivionem. Vide etiam Molinam tract.3. disp.79. & Dian. par.4. tract.2. resol.90.

12 Decimò delegatus ignorare non debet per facultatem sibi collatam absolvendi ab omnibus censuris, in primo casu expressis, non propterea integrum sibi esse absolvere à censura per sententiam particularem ab Ordinario lata, quamvis esset occulta: Quia talis censura non comprehenditur sub genere censurarum, quæ continentur in casu. Quare ab hujusmodi censura is tantùm potest absolvere, qui eam tulit, vel Superior eius, vel successor in officio, vel ab ipsis specialiter delegatus. Secus dicendum, si censura per sententiam generalem lata sit: nam hæc non distinguitur à censuris Edicto Episcopali decretis; quorum vincula ab habente facultatem generaliter delegatam in foro conscientiæ possunt relaxari. Vide supra *annot.*4. n.10. & *seq.* & Bonac. *de censur.* disp.1.quæst.3. punct. 1.nu.1. Tolet. lib.1. cap.16.

An autem, qui delegatam absolvendi à censuris in primo casu expressi facultatem habet, eam aliquando alteri Sacerdoti subdelegare possit, vide in priori Elucidarii parte *resol.*36.

DE FORMA IN ABSOLUTIONE

A censura in Foro externo servanda.

13 Quamvis absolvendi à censuris potestas respectu Confessarii delegati limitetur ad forum conscientiæ tantùm, vt constat ex supradictis: quia tamen non rarò Parochis, cęterisque Cõfessariis etiam in foro externo relaxandi censuras solet

ab

ab Ordinario delegari facultas: Ideò formam in tali foro in absolutione cujuscunque censuræ servandam hìc addiicere non alienum ab instituto duxi.

In absolutione itaque, quæ in foro externo impenditur, is ritus servari debet.

Primò petitio absolutionis præcedere debet, non ex necessitate absolutionis, sed ex congruitate.

Secundò, jubente Pœnitentiario, debet pœnitens juramento promittere se, pariturum mandatis Ecclesiæ, & præcipuè deinceps non transgressurum decretum, ob cujus violationem censura innodatus fuit.

Tertiò, si censura cum alterius damno contracta sit, satisfactio realis præmittenda est, si fieri possit: sin minùs cautionem saltem juratoriam quamprimùm parti læsæ satisfaciendi absolvendus præstare debet Bonac. *de cens.* disp. 1. qu. 3. punc. 9. *ex communi*.

Quartò Pœnitentiarius sedens cooperto capite pœnitentem censura irretitum, coram se genuflexum virga, vel funiculo, aut flagello super humeros denudatos leviter percutit, recitando totum Psalmum miserere. Hujusmodi verò ceremonia denudationis, & percussionis interdum omitti potest, & interdum debet, ut in fœminis.

Quintò, dicto Psalmo *Miserere*. Pœnitentiarius surgat, & aperto capite, recitet preces in Rit. Rom. præscriptas, deinde rursus sedeat, & operto capite in absolutione ab excommunicatione dicat.

Dominus noster Iesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Illustrissimi, & Reverendissimi Episcopi nostri Marini Ioannis Georgii mihi commissa, & concessa, absolvo te à vinculo excommunicationis; quod incurristi propter talem casum, (& si excommunicatus fuit denunciatus, addat) *& restituo te Sacramentis, & communioni fidelium in nomine Patris, &c.*

In absolutione verò à suspensione in eodem foro externo, servata prorsus eadem forma, & cæremonia, dicat.

Dominus noster Iesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Illustrissimi, & Reverendissimi Episcopi nostri Marini Ioannis Georgii mihi comissa, absolvo te à vinculo suspensionis, quod incurristi ob talem causam, & restituo te pristinæ executioni tuorum Ordinum in nomine Patris, &c.

In absolutione demùm ab interdicto foro externo, delato priùs interdictis juramento, & præstita cautione faciendi id, quod Ecclesia, seu Superior intendit, dicat.

Dominus noster Iesus Christus te absolvat, & ego auctoritate, &c. ut supra, relaxo Interdictum Ecclesiasticum, quod incurristi ob tale crimen, vel causam, & restituo te ingressui Ecclesiæ, Divinis officiis, & Ecclesiasticæ sepulturæ in nomine Patris, &c.

Imposita demùm pro gravitate delicti salutari pænitentia, si à Superiore delegante non fuit præscripta, publicanda est absolutio, si delictum erat publicum, & censura denunciata, ne fidelibus cum eo participantibus scandali, & ruinæ occasio præbeatur. De cujus absolutionis ritu vide, quæ adamussìm præscribit Rituale Romanum, de forma servanda in absolutione ab excommunicationis censura. In absolutione autem à censuris pro solo foro conscientiæ, non est opus has cæremonias servare: Consule Navar. in man. cap. 26. num. 8. & 13. Sayrus de censu. lib. 18. Filliucius trac. 11. nu. 333.

(∴)

IN

IN SECVNDVM CASVM

In Edicto, seu Tabella Reservationis sub his terminis Propositum.

Homicidium voluntarium, mandatum, seu consilium.

ANNOTATIONES.

Quamvis latissimum hunc strictis, & paucis condiderit casum, sibique reservaverit Sapientissimus Legislator, non tamen strictas, & paucas, sed plures, & graves in se continet difficultates. Siquidem non unicam, sed tres, easque iniustas, in hominis necem efficaciter influentes, complectitur actiones. In quarum numerum venit. Primò homicidium voluntarium. Secundò mandatum Famulo, vel sicario impositum hominem occidendi. Tertiò consilium alteri hominem enecandi datum. Cùm igitur hæ iniquæ, ac immanes, jureque naturali, Divino, ac humano damnatę actiones sint tres, & distinctæ, ternoque, ac distincto influxu in necem hominis concurrant: Idcircò casum hunc in tres etiam distinguere partes, singulasque distinctis expendere, ac exponere tractatibus, ut facilior, clariorque Confessariis fiat earumdem cognitio, eodem servato ordine, quo proponuntur in casu, opere pretium censui.

IN PRIOREM SECVNDI CASUS

Reservati Partem in Edicto reservationis sub hac litera Expressam.

Homicidium voluntarium.

ANNOTATIONES.

1 *Homicidium propriè dicitur iniusta hominis occisio.*

2 *Mortuum hominem qui vulnerat, vel abscindit cum intentione etiam occidendi vivum repertum non committit homicidium.*

3 *Homicidii reus non est, qui corpus adhuc rationali anima non informatum disperdit.*

4 *Homicidium aliud casuale, aliud voluntarium.*

5 *Homicidium casuale duplex, aliud casuale merum, aliud casuale mixtum.*

6 *Homicidium voluntarium quid sit.*

7 *Homicidium tantùm voluntarium reservationi est obnoxium.*

8 *Homicidium quadrupliciter potest esse voluntarium.*

9 *Ad incidendum in casum opus est, ut homicidium vel in se, vel in causa proxima sit voluntarium.*

10 *Qui in se, vel in causa propinqua procurat fœtus animati abortum, secuto effectu, verè, & propriè homicida est.*

11 *Nunquam Fœminis, ad vitandam infamiam, licet procurare abortum.*

12 *Matri gravidæ, alioquin morituræ, ad sanitatem ipsi conferendam, non est illicitum præbere pharmacum, licèt exinde timeatur fœtus occisio.*

13 *Si cum morte secutura matris spes adesset vitæ, & baptismi prolis, medicinis abstinendum esset.*

14 *Homicidium voluntarium, aliud quod publica, aliud, quod priuata auctoritate committitur.*

15 *Privato extra casum necessariæ defensionis non licet occidere malefactores.*

16 *Malefactoris occisio etiam ad ejusdem punitionem, privato jure facta, reservantis legis dispositioni est subiecta.*

17 *Cuivis è populo licet bannitum, seu proscriptum occidere, positis quibusdam conditionibus.*

18 *An etiam proditoriè fas sit proscriptum interficere.*

19 *Proscriptus intra territorium Proscribentis si aggressorem occidat, committit homicidium reservationi obnoxium.*

20 *Reus publicos justitiæ ministros, à quibus ad carcerem, vel supplicium ducitur, occidens à mortali culpa, & reservationis pœna non excusatur.*

21 *Interficiens bannitum extra territorium proscribentis homicidii voluntarii est*

est

est damnandus.
22 *Injustum invasorem quilibet prævenire, & occidere potest, si quatuor concurrant conditiones.*
23 *Recensentur requisitæ conditiones.*
24 *In quo consistat moderamen inculpatæ tutelæ.*
25 *Invasus non tenetur omnimodam invasionem expectare.*
26 *Vir nobilis, & militaris in actuali aggressione non tenetur, etiamsi possit, cum dedecore fugere.*
27 *Clericorum, & Religiosorum honor non in usu armorum, sed in humilitatis, ac patientiæ virtute consistit.*
28 *Invasus, quem oportet fugere, si non fugiat, sed aggressori resistat, eumdemque occidat, homicidii crimen reservationi obnoxium non committit.*
29 *In ipsa aggressione an liceat mortem aggressoris intendere.*
30 *Aggressorem propriæ vitæ non licet prævenire, antequam actum aggressionis mortaliter incipiat.*
31 *Referuntur aliqui casus, in quibus moraliter censetur incboata aggressio.*
32 *An etiam insidiatorem propriæ vitæ fas sit prævenire, & occidere.*
33 *Provocato ad duellum an licitum sit illud acceptare.*
34 *Sententia affirmans, quòd vir equestris acceptare possit duellum, ne timiditatis notam incurrat, hodie manet damnata sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ.*
35 *Invasus etsi aliquando, invasorem occidendo, mortaliter delinquat, reservationem tamen non incurrit.*
36 *Sententia asserens licitum esse pro tuenda vita, quæ in judicio impugnatur, occidere calumniatorem, falsos testes, iniquum judicem olim speculative visa est probabilis.*
37 *Hodie verò tanquam falsa, & scandalosa remanet damnata per decretum Alex. VII.*
38 *Tam Clericis, quàm laicis licitum est occidere inuasorem suarum facultatum, si illæ non sint modici momenti.*
39 *Quænam res in hoc casu censendę sint modici momenti.*
40 *Raptor fugiens cum re modici momenti non potest occidi.*
41 *Si dominus rem suam per iudicem possit recuperare, non potest domum furis ingredi.*
42 *Si dominus, re propria in specie non extante apud furem, æquiualens ab ipso propria auctoritate auferat, an furti crimen committat.*
43 *Homicidium in defensionem facultatum quomodocumque commissum reservationi non est obnoxium.*
44 *Pro defensione honoris, & pudicitiæ, licitum est cuilibet invasorem occidere, si aliud rimedium non suppetat.*
45 *Viro honorato licitum est occidere invasorem, qui fuste, vel alapa conatur sibi inferre ignominiam.*
46 *Si, illata ignominia, statim invasor veniam petat, vel fugiat, non potest occidi.*
47 *Qui fuste, vel alapa invaditur, ex pręcepto charitatis tenetur fugere, si fuga non sit illi ignominiosa.*
48 *Pro defensione vitæ proximi licitum est aliquando invasorem occidere.*
49 *Homo non est dominus suæ vitæ, sed custos.*
50 *Non solùm vitam, sed etiam honorem, & fortunas Proximi fas est nobis defendere.*
51 *Pro saluanda vita Proximi, nemo tenetur exponere periculo vitam propriam, sed neque fortunæ bona.*
52 *Privatus non tenetur vitam alterius privati defendere, si eam tueri non possit, nisi cum morte invasoris.*
53 *Qui Proximi necem, cùm facilè possit, impedire negligit, an homicidii reus sit censendus.*
54 *Quinam teneantur ex officio alterius vitam defendere.*
55 *Sub dispositione juris reservantis comprehenditur homicidium, dolo, & malo animo per actum positivum commissum, non verò per actum negativum permissum.*

ANNOTATIO I.

1 QVamvis homicidium, si ipsa nominis Etymologia spectetur, qua-

quamlibet hominis occisionem comprehendere videatur; simpliciter tamen, & propriè loquendo homicidium pro injusta hominis occisione sumitur, teste Tolet. lib.5.cap.6.n.1.Finell.de cas.reser. cas.4.num.1. quæ scilicèt quinto decalogi præcepto prohibetur, semperque adjunctam habet mortalem culpam. Et proinde quotiescumque apud Scriptores nominatur homicidium, accipitur pro prędicta occisione injusta.

2 Cùm verò homo constet ex anima, & corpore, solius humani corporis animati erit occisio. Quare si quis corpus humanum jam mortuum perfodiat, abscindat, & quomodocumque obtruncet, etiam eum intentione illud occidendi, si repertum esset viuum, homicidium non committit, neque statutis homicidæ pœnis multatur, etsi puniri possit pro injuria mortuo illata. Syluest. v. *homicidium* 3. nu.1.Couarr. super Clem. *si furiosus de homicidio*. Tolet. Finell.ll.cc.

3 Idemque dicitur de eo, qui corpus adhuc rationali anima non informatum disperdit, illum scilicèt verè homicidium non committere, mortaliter tamen delinquere: quia etsi non eripiat animam, disturbat tamen nascentem: quod nullo bono fine potest cohonestari, teste Sanc. l.9. de matrim. disp.20. num.10. Vide etiam Layman lib.3. sect.5. trac.3. par.3. cap.4. n.3.

ANNOTATIO II.

4 Cęterùm pro clariori casus notitia notandum est, quòd homicidium aliud voluntarium aliud. Casuale dicitur, quod casu, & per accidens euenit.

5 Quod rursus duplex est, aliud casuale merum, & inculpatum, aliud casuale mixtum, & aliquo modo culpabile. Casuale merum illud est, quod nullo modo neque in se, neque in causa fuit intentum, ac præuisum, sed omninò casu accidit. Casuale mixtum dicitur illud, quod partim est casuale, & partim voluntarium, casuale quidem in se, sed voluntarium in causa non omninò remota: ideòquè aliquo modo culpabile.

6 Homicidium verò voluntarium illud dicitur, quod ex advertentia rationis, & consensu voluntatis, ideòquè deliberato, & malo animo committitur. Couarr. *super Clem.1. si furiosus par.*1. num. 1. Navar. in man. cap.15. n.6. & cap.27. n. 240. Graff. in praxi lib.1. cap.14. num.5. Chapeavilla cap.3. de homic. volunt.2. Finell. loco cit. num.4. Layman cit. capite 4. num.1.

7 Igitur in homicidio ante omnia Confessarius attendere debet, casune an culpa, an dolo, siue voluntariè factum sit: Siquidem in casu non quælibet hominis occisio, etiamsi culpabilis esset, sed homicidium tantùm voluntarium reservationi subiicitur. Quod clarè constat ex litera reseruationis, in qua ad excludendum tùm homicidium casuale, tùm illud, quod fit ex calore iracundiæ, & non raro culpabile est, additur ea particula, *voluntarium*, Graff. Finell. ll.cc.

ANNOTATIO III.

8 Verùm circa hunc terminum, *voluntarium*, diligenter aduertendum est, quòd quadrupliciter homicidium potest esse voluntarium.

Primò directè, & in se, & est illud, in quod voluntas directè fertur, seu quod studiosè, & malo animo committitur; diciturque homicidium ex proposito, ac plenè voluntarium.

Secundò dicitur voluntarium indirectè, & est illud, quod voluntas intendit, non in se, sed in causa admodùm propinqua, ex qua mors suapte natura consequi solet, vt lędere guttur, ferire punctim circa pręcordia, vel cæsim circa caput, quamvis sine directo occidendi proposito. Cùm enim ex tali vulnere regulariter soleat consequi mors; idcircò qui tale vulnus intendit, consequenter etiam homicidium in ea causa proxima intendere censetur.

Tertiò dicitur voluntarium in causa remota, vt si quis in ebrietate sciat se rixari solitum, & sibi occurrentes graviter percutere: si iste posteà voluntariè se inebriet, & in ebrietate hominem occidat, homicidium hujusmodi dicetur in causa re-

remota voluntarium. Siquidem ex ebrietate suapte natura non solet consequi hominis occisio.

Quartò dicitur voluntarium mixtum, vt si quis ex metu gravi cogeretur alteri necem inferre: esset enim tale homicidium simpliciter voluntarium; inuoluntarium verò conditionatè, si videlicet metus intentati mali abesset: Ideòque mixtum ex voluntario, & involuntario. Vide Graff. Finell. Layman. ll.cc. Barbos. de potest. Episc. par.3. alleg.51. n.3. Mazuch. dis.2. cap.7. quæst.2. num.97.

9 Modò etsi ille terminus, *voluntarium*, latitudinem habeat; in materia tamen reservationis, utpote otiosa strictè sumendus est: & sic in nostro casu pro certo statuendum est, ad incidendum in reservationem non sufficere homicidium, quod tantùm in causa remota sit voluntarium, & multò minùs voluntarium mixtum; sed requiri homicidium, quod sit voluntarium vel in se, hoc est, dolo, & malo animo commissum, vel saltem voluntarium in causa proxima, quod æquiparatur homicidio studiosè, & ex proposito patrato. Ita Graff. Finell. ll.cc. Mazuchell. cit. quæst. 2. num.98. ex Barbos. cit. alleg.51. n.3.

10 Hinc deducitur, eum, qui malitiosè in se quocumque modo, vel in causa propinqua (vt si mulierem prægnantem calce percutiat) procurat fœtus animati abortum, effectu secuto, verè, & propriè homicidam esse, statutisque homicidæ pœnis subjectum. Layman. cit. cap. 4. num.3. *ex comuni*.

11 Quod verum est, etiamsi fœmina procurasset abortum ad vitandam infamiam: Siquidem non sunt facienda mala, ut eveniant bona, innocentemque per se, & directè occidere, semper nefas est. Proindè procurator abortus eo casu, secuto effectu, in reservationem incidit, & quidem duplicem: alteram ob homicidium voluntarium, alteram ob procurationem abortus, quę incurritur etiam effectu non secuto, ut patebit ex infra dicendis casu 7.

12 Secùs tamen dicendum, quoties fœtus animati abortus proveniret ex sumptione medicinę, quę directè ordinata esset ad expellendum morbum, & sanitatem matri conferendam alioquin moritura, nisi eam sumeret. Quia tunc innocens per accidens, & præter intentionem, in necessitatisquè casu occiditur, quod à recta ratione alienum non est, teste Sanchez lib.9. de matrim. disp. 20. n.10. & Layman cit. cap.4. nu.4. Tum quia vita corporalis propria secundùm ordinem charitatis præferenda est vitæ corporali Proximi.

13 Si tamen cum morte secutura matris affulgeret spes vitæ, & baptismi prolis, teneretur mater etiam cum discrimine vitæ ab omni remedio destructivo prolis abstinere. Sanchez, & Layman ll.cc. Finell. cas.4. de abortu n.7. Less. lib. 2. cap.9. dub.10.

ANNOTATIO IV.

14 Verùm ulteriùs notandum est, quòd homicidium voluntarium ad huc duplex esse potest, aliud, quod publica: aliud, quod privata auctoritate committitur. Nam cùm Princeps, sive Magistratus noxios Reipublicæ, sive graviter delinquentes jus puniendi habeat: Siquidem Dei est minister, in eumque finem gladium portat; propterea in eos etiã mortem mutandi potestatem habet, si eorum delicta mortis pœnam mereantur, & Reipublicę bonum efflagitet: sicuti rectè docet S.Tho. 2.2. quęst.64. art.2.

15 Non ita verò cuiuis è populo licitum est occidere Reipulicę noxios, ac maleficos etiam ad punitionem, extra casum necessariæ defensionis, teste S. Thoma loc. cit. & Cajet. ibidem, qui notant quinto illo naturali, ac Divino decalogi præcepto, *non occides*, nõ solũ prohiberi occisionem hominis innocentis, sed etiam nocentis propria auctoritate, extra casum necessarię defensionis.

16 Dispositio itaque juris reservantis comprehendit tantùm homicidium, seu necem, quę homini malefico etiam morte digno privata auctoritate infertur, non verò publica: quod verum est, etiamsi fiat ad punitionem delinquentis, & ob bonum publicum. Nam procuratio boni publici spectat ad publicam potestatem

statem, puta Principem, vel Magistratum.

Neque obstat, quòd aliquando proscripti, seu banniti licitè possint ab homine privato occidi. Nam eorum occisio non fit privata, sed publica auctoritate.

ANNOTATIO V.

17 Ut autem hæc doctrina fiat clarior, prænotandum est, quòd etsi occisio proscripti, seu banniti cuivis è populo in conscientiæ foro permissa sit, teste Julio Claro §. *homicid.* num.54. & Finell. casu reser.4. num.41. non tamen absolutè, sed si hæ conditiones adsint. Prima est, ut per publicam mortis sententiam data sit omnibus facultas bannitum occidendi. Secunda, ut banniti existant intra territorium Principis proscribentis. Tertia, vt id fiat publicę justitię zelo, non ex odio, aut privatę vindictę causa. Quarta, ut excipiantur parentes, liberi, vxor, &c. qui proscriptum alere tenentur, tantùm abest, ut occidere possint. Quod verum est, nisi is actualis Reipub. hostis existeret. Ita Clarus loc.cit. num.59. Sà v. *Bannitus*. Beia par.1. cas.43. Finell. cit. num. 41. Layman cit.trac.3. par.3. cap.2. nu.2.

Neque longe petenda est ratio. Nam cùm Reipub. intersit de malefactoribus, vel hostibus suis pœnam mortis sumere, id autem efficere non possit, postquam reus aufugit, nisi publicam facultatem omnibus tribuat malefactorem occidendi: propterea justè potest, si res exigat, facultatem cuilibet dare reum, seu proscriptum occidendi: & consequenter quivis è populo eam accipere, & exercere. Qua in re etsi non rarò proscriptorum interfectores delinquant: Tum quia plerumque non zelo justitiæ, sed odio, aut privatę vindictę causa id agant: Tum quia banniti fermè sacramentis destituti in peccatis mortalibus decedunt; nullam tamen reservationem incurrunt, cùm id præstent publica auctoritate justitię, cujus quilibet potest esse minister. Secùs dicendum, si contra eos nondum fuisset lata capitis sententia. Ita præter Doctores supracitatos Molin. de just. trac.3. disp.7. num.1. Filliuc. par.2. trac.29. n.25. Graff. par.1. decis.aur. lib.2. c.62. num 53. Dian. par.5 trac.4. resol.25.

18 Addunt præcitati Doctores, proscriptos posse seipsos invicem proditoriè, & per insidias occidere, tum quando propositum est sibi prẹmium à Principe, tum quando promissa est sibi libertas, eò quòd id agant publica auctoritate, & ob commune bonum Reipublicę. Contrarium tamen sentit Bonac. de contract. disput. 2. quæst. vlt. sect.1. punc.2. Bassęus v. *bannitus* num.1. Mazuch. disp.2. ca.7. quæst. 1. diff 3. nu.12. Quorum opinio mihi magis placet, propter periculum damnationis animæ, cui frequenter exponitur bannitus, si in eo statu proditoriè occidatur.

Hinc tamen oritur dubium, si bannitus eo casu se defendat, aggressorem occidendo, an homicidium voluntarium reservationi obnoxium committere censeatur? Negare videtur Julius Clar. §. *homicid.* num.68. quia bannitus (ait) jus se defendendi non amittit.

19 Sed communis, & vera sententia affirmat. Et ratio est, quia si aggressor velut publicæ justitię minister jus habet proscriptum occidendi (vt supponitur, & in confesso est apud omnes) omninò sequitur, quòd proscriptus ei iniuriam inferat, publicę que potestati resistat, si se defendendo, aggressorem occidat: alioquin fateri cogemur dari posse bellum ex vtraque parte per se, & formaliter justum, seclusa ignorantia, quod omnes negant. Ita Azor. par.3. lib.2. c.1. quęst. 11. Sà v. *bannitus*. Layman lib.3. sect.5. tr.3. p.3. cap. 2. num.3 Bassęus in *florib.* v. *Bannit.* num.2.

20 Quod dicitur de proscripto, multò magis locum habet in reo, si publicos lictores, vel carnificem, à quibus ad carcerem, vel supplicium ducitur, occidat. Proindè & iste homicidii voluntarij crimen, reservationis pœnę subjectum committit, non obstante, quòd proprię vitę salvandę causa id agat. Ita communiter Doctores apud Layman cit. n.3.

21 Supra dicta tamen doctrina, quòd proscriptus non possit contra invasorem se tueri, eum occidendo, intelligenda est, si

si bannitus intra territorium proscribentis existat. Secùs si extra fines territorij commoretur: Nam eo casu fas non est proscriptum occidere, & qui illum è medio tolleret, tanquam homicidii reus justè puniretur, & per Confessarium simplicem à reservata homicidii culpa absolvi non posset, præterquam si expressa, vel rationabiliter præsumpta licentia haberetur ejus Principis, intra cujus dominium existeret. Sylvest. v. *homicidium*, quæst.3.n.7. Tolet.lib.5. cap.6. nu. 18. Layman.cit.n.3.Bonac.de contractib. disp.2. quæst.vlt. sect.1.punc.2. n.2. Dian. par.5. tract.4. resol.24.

ANNOTATIO VI.

22 Cùm autem supra dixerim, nemini citra violationem justitiæ licere alterum occidere etiam malefactorem, nisi publica auctoritas id permittat; talis assertio intelligenda est extra casum necessariç defensionis. Pro quo notandum, quòd cùm secundùm ordinem charitatis quisque propriam vitam præferre possit alienæ, dummodò agatur de bono privato, non autem publico: propterea aggressorem interficere volentem invasus quilibet prævenire, & occidere potest, si quatuor concurrant conditiones.

23 Prima est, vt vis ab altero inferatur, & invasor injustè invadat: Nam *vim vi repellere leges, omniaque jura permittunt*, ait Alexander III. *in cap. si verò de sent. excomm.* Quare si alteri vis non inferatur, neque is alteri poterit vim inferre. Hinc est, quòd non licet interficere eum, de quo tantùm suspicio habetur, quòd partet mortem, nisi monitus nolit desistere ab iis, quç violentam mortis suspicionẽ ingerunt; sicuti rectè docet Nav. c.15. n.3. Lessius lib.2. cap.9. dub.8.n.41.

Secunda est, vt occisio non fiat post factum, hoc est, postquam aggressor destitit à percussione: Quia tunc esset ultio, non defensio, nisi fortè id necessarium foret ad defensionem honoris.

Tertia, ut invasus probabiliter credat se graviter lædendum, vel occidendum, nisi vim vi repellat, vel invasorem occidat.

Quarta, ut servetur moderamen inculpatæ tutelç. His conditionibus positis, fas est, ob defensionem propriç vitæ, & integritatem membrorum, injustum invasorem occidere. Ita Navar. cit. Sylu. *v. bellum* 2. n.1. Molin.de just. trac.3. disp. 11. nu.2. Lessius cit. cap.9.n.41. Bonac. de restitut. disp.2. q.vlt. sect.1. punc.7. nu.1. Dian. p.5. tract.4. resol.1. & 2.

24 Sed quçres, quid sit, & in quo consistat moderamen inculpatæ tutelæ?

Respondeo consistere in hoc, quòd invasus, consideratis circumstantiis loci, temporis, armorum, & personarum, rationabiliter existimet contra injustum aggressorem, vel insidiatorem faciliore modo se defendere non posse, nisi ita ipsi resistendo, præveniendo, vulnerando, occidendo. Vnde, qui contra injustum invasorem adhibet maiorem vim, quàm necessarium sit ad arcendam injuriam, & tuendam vitam; quia v.g. cùm sufficeret, ad iniustam vim repellendam, alapam infligere, brachium amputavit, vel cùm sufficeret brachium amputare, omninò occidit; is dicitur non servare moderamen inculpatæ tutelæ. Lessius cit. cap.9. dub.8. n.43. Laym.cit. c.3. n.1. Dian. par. 5. tract.4. resol.9.

25 Verùm tamen est, quòd in tali rerum statu plerumque non suppetit tempus singula perpendendi. Vnde invasus sæpè excusatur, si in tali eventu statim percutiat, non expectata omnimoda invasione, vel percussione, etsi postea deprehendat, se moderamen excessisse, eò quòd ob perturbatam subitò vel irç, vel timoris motu rationem, ad omnia non adverterit, sed tantùm ne nimis sera esset defensio: cum præsertim nobis non innotescat, quo animo adversarius, occidendi ne, an solùm percutiendi, nos invaserit.

26 Hinc infertur, si aggressus potest sine periculo, vel infamia fugere, quia homo plebejus sit, vel infimæ sortis ad id teneri ex charitate, ut grave damnum in se, vel in proximo caueat. Alia ratio est de viro nobili, uel militari, quibus fuga plerumque ignominiosa est: hi enim non tenentur fugere, excepto, si fuga ipsis non cederet in dedecus, vel ob prăstătiam inua-

uasoris, vel quia ebrius, aut amens sit. Lessius, Laym. Dian. ll.cc.

27 Clerici tamen, & Religiosi, quorum laus non in vsu armorum, & audacia, sed in humilitate, ac patientia consistit, eorumque fuga illis non vertitur probro, sed honori, omninò fugere tenentur, sicuti ex communi docent Covarr. Abbas, Julius Clarus apud Less. n.44.

28 Illud verò certius est, tàm Ecclesiasticum, quàm secularem, quem fugere oporteret, si non fugiat, sed aggressori resistat, suique defendendi causa eumdem occidat, non delinquere contra justitiam, neque ad damni refectionem obligari: Siquidem aggressori propriè iniuriam non infert, cùm is vltrò in tale periculum se coniiciat, & quantum in ipso est, potestatem fecisse censetur inferendi sibi damnum. Lessius cit. dub.8. n.44. & dub.12. ass.1. Laym. cit. c.3. nu.2. & c.6. n.5. Seclusa autem iniuria, seclusa erit læsio justitiæ (si justæ defensionis seruata sit moderatio, iuxta supradicta,) & consequenter ratio homicidii voluntarii, reservationi obnoxii: Siquidē homicidii peccatū virtuti justitiæ adversatur.

Neque obstat, quòd secundùm ordinem charitatis teneamur salutem spiritualem proximi præferre vitæ nostræ corporali, & consequenter pro conservanda vita nostra corporali non liceat occidere proximum, cujus salus spiritualis eo casu periculo exponitur.

Respondetur enim, id verum esse, nisi proximus sua sponte, & propria malitia in discrimen vitæ spiritualis se coniiciat, sicuti contingit in casu injustæ aggressionis. Proinde iniquus aggressor propriæ salutis jacturam sibi debet imputare.

29 Quòd autem S.Th. 2.2. qu.64. ar. 7. Cajet. ibid. & alii existiment in ipsa aggressione non licere intendere mortem aggressoris, in hoc sensu intelligendi sunt, quòd privatus intendere non potest hominis occisionem per se (quia hoc ad publicam potestatem pertinet) sed tantùm per accidens, quatenus id necessarium est ad propriæ vitæ defensionem, quę naturali jure cuilibet competit, quatenus est custos vitæ suæ, à quo etiam habet, ut vim vi repellere possit. Vide P. Navar. lib.2. cap.4. num.339. Laym. cit. cap.3. nu.1.

ANNOTATIO VII.

30 Cęterùm ex dictis emergit dubium, an non tantùm actualem aggressorem, sed etiam inimicum, quem scio se parare ad me occidendum, mihi fas sit occidere ipsum præveniendo.

Respondent communiter Doctores, nemini licere prævenire aggressorem propriæ vitæ, antequam is incęperit saltem moraliter actum aggressionis. Et ratio est, quia ante actum aggressionis saltem moraliter incæptum nulla vis infertur, quę sit re pellenda: ac proinde non esset defensio, sed privata auctoritate facta occisio. Debet igitur saltem moraliter esse inchoatus aggressionis actus. Tūc verò aggressionis actus censeri debet moraliter inchoatus, cùm iniquus aggressor habet omnia prompta ad necem alteri inferendam, vel sistit se in loco quasi in insidijs, ad alterum occidendum. Ita Lessius l.2. cap.9. dub.8. nu.45. Molin. tom.4. tract 3. disp.12. Bon. de restit. disp. 2. quæst. vlt. sect 1. punct.9. Dian. par.3. tr. 5. resol.90. & par.5. tr.4. resol.5. Bassæus *v. homicidium* 1. n.16.

31 Ex qua doctrina resolves, licitum esse uxori adulterę occidere maritum, quem certò scit paratum esse ad ipsam occidendam; nisi fuga, vel alio modo se possit tutam præstare. Non ita verò si tātùm mortem timeat ex eo, quòd ipsius adulterii maritus conscius esset, si ad eam interficiendam nondum se parasset.

Simmiliter fas esse ei, qui novit venenum sibi paratum esse, illud in auctorem convertere, si alia spes evadendi non adsit.

Item licitum esse uxori prevenire maritum, quem scit collocasse sub cervicali pugionem ad eam enecandam, si aliud remedium non suppetat: Quod est exemplum Navarri. Nam in his casibus actus aggressionis censetur moraliter inchoatus, teste ipso Navar. in man. cap. 15. num.3.

Præterea malefica, quæ magicis artibus assiduè per Dœmonem nocet, potest cogi

cogi verberibus ad desistendum: Imò potest occidi, si certò constet eam suis ueneficiis mihi mortem machinari: aliaque via evadendi mortem non appareat. Siquidem nihil interest, an malefica per se, an per Dœmonem, tanquam per ministrum torquendo, mihi mortem paret. Navar. cit. Lessius loc. cit. nu. 48. Bassæus cit. num. 16.

Neque diversa est ratio de eo, qui per famulum, vel sicarium actu me aggreditur, vel actu mandat, aut suadet famulo, ut me invadens occidat. Bassęus cit. n. 16. Lessius cit. dub. 8. n. 46.

32 Vtrùm autem, quod de actuali aggressione dictum est, idem sentiendum sit etiam de injusto vitæ insidiatore.

Affirmatiuè respondet Ban. 2. 2. qu. 46. art. 7. dub. 4. Molin. trac. 3. disp. 12. Nav. in man. cap. 15. n. 3. Laym. cit. cap. 3. nu. 1. v. *His adde primò*: saltem eo casu, cùm insidiator aliquoties monitus nolit desistere, ejusque insidię alia ratione vitari non possint. Nemo enim tenetur perpetuò intra domum se concludere, vel in alias regiones demigrare, ut vitæ suæ consultat. Hic tamen modus defensionis in praxi non probatur Lessio cit. dub. 8. n. 46. tum ob periculum abusus: Tùm quia raro accidit (ait Lessius) ut non suppetat alia ratio mortem vitandi.

33 Porrò & ad duellum hìc, & nunc provocatus potest illud acceptare, si aliud remedium evadendi mortem non adsit, eò quòd inimicus armatus alterum sit occisurus, concedat tamen arma, (imò inermis potest arma exposcere) vt sic fortunam experiatur: Quia hæc est vera vitæ defensio. Navar. cit. cap. 15. num. 9. Lessius num. 48.

Dixi ad duellum provocatus posse illud acceptare, quoties alia ratio mortem evadendi non adsit: Quia duellum acceptare; ne ignaviæ, aut timiditatis notam apud alios provocatus incurrat, nullo modo licet: Nam apud bonos, & prudentes honorem non perdit, imò nec apud alios, si neque fugiat, neque duellum acceptet, sed provocanti dicat, se contra leges Diuinas, & humanas nolle cum eo congredi, interim se esse paratum contra quemcumque aggressorem ad seipsum tuendum. Vide, quæ dicam infra in resolutiva praxi pro incidentibus *casu* 21.

34 Quæ assertio procedit etiam de vico Equestri ad duellum provocato, scilicèt non posse illud acceptare, ne ignauię, aut timiditatis notam inccurrat: Et contrarium docentes, defendentes, edentes, aut disputantes, nisi impugnativè, per decretum Alexandri VII. emanatum *die* 2. *Octobr.* 1665. damnantur excommunicationis pęna ipso facto incurrenda, cujus absolutionem sibi, Successoribusque suis reservauit.

35 In hoc tamen, & superioribus casibus etsi, qui aggressorem, vel insidiatorem pręveniendo occidit, vel in duello congreditur, mortaliter peccare possit, vel contra charitatem, si tuendi vitam aderat alia ratio, vel etiam contra justitiam, si ante moraliter incæptum aggressionis actum, aggressorem præveniendo occidat, aut si in ipsa aggressione, vel duelli congressione moderamen inculpatæ tutelę excedat, legesque Divinas, & humanas, duellum acceptare vetantes, transgrediatur; nullam tamen reservationis pœnam incurrit, eò quòd occisiones hujusmodi longè recedunt à ratione homicidji voluntarii in jure reservante expressi, quod requirit, ut homicidium dolo, malo animo, studiosè, & ex proposito fuerit commissum, ut constat ex supradictis *annotatione* 3.

ANNOTATIO VIII.

36 Quid autem dicendum de eo, qui falsis criminationibus, vel testibus subornatis vitam tuam oppugnat in judicio, utrum liceat ipsum præveniendo occidere. Affirmant Bannes 2. 2. q. 64. art. 7. dub. 4. cujus sententiam probabilem putant P. Nauar. lib. 2. cap. 3. n. 36. Rodriq. in sum. tom. 1. cap. 73. nu. 1. Sanchez lib. 2. moral. cap. 39. nu. 7. asserentes, licitum esse occidere falsum accusatorem, falsosque testes, à quorum falsa accusatione, & testimonio apud judicem tibi imminet vitæ, vel famæ jactura. Item ipsum judicem, à quo iniquam tibi metuis capitis sententiam, si alius modus te defendendi non

sup-

suppetat. Quia hæc (ajunt) non est invasio, sed justa defensio.

37 Cœterùm hæc sententia, etsi olim speculatiuè visa est probabilis; in praxi tamen non fuit admissa, teste Lessio citat. dub.8. n.47. ob multa incõmoda, quæ ex ea sequi poterant. Hodie verò tãquam falsa, & scandalosa remanet damnata per supra dictum Alex. VII. decretum *die 2 Octobr.* 1665. sub pœna excommunicationis ipso facto imposita ijs, qui deinceps eam docuerint, defenderint, ediderint, vel de ea etiam disputatiuè publicè, aut priuatim, nisi impugnando, tractauerint.

ANNOTATIO IX.

38 Amplificanda est assertio, ut non tantùm pro defensione vitæ, sicuti ex supradictis constat, sed etiam facultatum, quæ non modici momenti sunt, & alia ratione liberari, aut recuperari non possunt, licitum sit aggressorem, vel raptorem interficere. Quia bona temporalia sunt necessaria ad conseruationem vitæ: Atqui licitum est omnibus jure naturæ vitam tueri, etiam cum morte inuasoris, ut supra probatum est: Ergo, & bona temporalia: alioquin improbi; & fures audentiores redderentur ad rapienda aliena. Ita Caiet. 2.2.q.64. art. 7.ad 2. Nauar. cap.15.nu.2. Valent.tom.3.*disp.5*.q.8. punct.4. Molin. de just. tract. 3. *disp.16*. Lessius cap.9. dub.11.num.66. Dian.par.5. tract.4. reso.17. & 18.

Quod jus defensionis facultatum competere etiam Clericis, & Religiosis, constat ex *cap.Olim*, *& cap. Dilecto*, & docet ex communi Lessius cit. dub.11. n.72. Siquide universis, quibus concessa est defensio vitæ, concessa est etiam defensio rerum suarum. Jura verò in contrarium afferri solita intelligenda sunt, quando non seruatur moderamen inculpatę tutelæ. Lessius n.72.

39 Dixi, si facultates non sint modici momenti: Nam pro re minima non videtur concessum jus defensionis cum tanto alterius damno. Res autem modici momenti in hoc casu pensanda est ex qualitate, & circumstantijs personæ, cui aufertur: communiter tamen loquendo, res exigui momenti censenda est, quę non excedit ualorem trium, quatu r, uel quinque aureorum. Bonac. Dian. par. 5. tract.4. resol.18. Vnde pro uno, uel altero auro seruando, uitam alteri auferre; iniquum esset. Siquidem proximi uita non tam parui est facienda. Si tamen rem exigui ualoris prępipiat latro, uidente, ac resistente domino, uel custode, aut uim huic inferat, uel rem suam repetentem raptor ferro inuadat, tunc raptorem licitè posse interfici, censent Lessius, Bonacina. Diana ll.cc. Quam potestatem extendunt etiam ad casum, quo rem paruam à fure non repetere, cederet in dedecus domini: tuncque non tam esset rei, quàm honoris defensio.

Addidi in assertione, si alia ratione res liberari, aut recuperari non possint. Nam si spes sit eas recuperandi vel per judicem, vel alia uia, non potest fur interfici. Lessius, & Layman cit.

Neque obstat, si dicatur vitæ proximi tùm spirituali, tùm corporali secundum ordinem charitatis post habenda esse externa fortunæ bona.

Respondetur enim, id uerum esse, quoties proximus in mortali necessitate est constitutus; non uerò quando spontè, & ex propria malitia in talem se miseriam coniiciat. Layman cit.

40 Hinc resolues, fas non esse occidere furem, cum re modici momenti fugientem: secùs uerò si furtum sit notabilis ualoris, v. gr. si fugiat cum equo tuo: Nam tunc posses insequi, & si opus esset, eminùs telo petere, quia inuasio adhuc durat.

41 Etsi uerò postquam raptor in tutum se recepit, remque pacificè possidere incepit, occidere non liceat: si tamen per judicem non possis recuperare rem tuam, potes ingredi locum, ubi illa detinetur, eamquè tibi uendicare, & si alter ui impediat, uim ui repellere. Lessius Mald. quos citat, & sequitur Dian. par. 5. trac.4. resol 37. Bassęus in floribus *v. homicidium 1. n.20*.

Hęc tamen resolutio intelligenda est, si res tua apud furem extaret in indiuiduo, ut idem equus, bos, pallium: Siquidem tandiu censetur durare inuasio, in-

juriȩque irrogatio, quandiù durat injusta rei alienȩ detentio. Secùs si non extaret in individuo. Nam talis actio diceretur potius aggressio, quàm defensio.

Quȩres hìc obiter: si dominus, re propria non extante in individuo apud furem, in compensationem, vel retentionem rei sibi debitȩ à debitore ex furto, vel rapina, propria auctoritate ȩquivalens auferat, num furti reus sit censendus, & ad restitutionem obligandus.

Respondeo, etsi aliquando id possit esse illicitum, ob periculum scandali, vel propriȩ infamie, ne tanquam rei alienȩ injustus invasor habeatur, ac puniatur, eo vel maximè, si officium judicis implorando rem propriam recuperare poterat, furti tamen non esse damnandum, neque ad restitutionem obligandum: Quia accepit, quod sibi ex justitia in pretio debitum erat. Ita S. Tho. 2. 2. q. 66. art. 3. ad 3. Navar. in man. cap. 17. nu. 112. Lessius lib. 2. cap. 12. dub. 10.

43 Ceterùm quidquid sit in supradictis casibus de uiolatione justitiæ ex homicidio in defensionem facultatum commisso, certum esse debet, nullam reseruationis pȩnam incurri; eò quòd cȩdes hujusmodi non ueniant nomine homicidii uoluntarii, hoc est, dolo, malo animo, appensatè, & ex industria commissi: sicuti constat ex annot. 3. & docent Doctores ibi citati.

ANNOTATIO X.

44 Quod dictum est supra de jure, quod omnibus competit, tuendi fortunȩ bona, etiam cum morte inuasoris, multò magis locum habet in defensione honoris, & pudicitiȩ, si ita necesse sit ad eorum defensionem: quandoquidem honor pluris ualet, quàm fortunȩ bona, & injuria personȩ major est, quàm fortunarum dãnum, teste Nauar. in man. cap. 15. nu. 3. Lessio cit. cap. 9. dub. 12. n. 77. Vnde licitum est tum Virgini, alteriquè mulieri, tùm Adolescẽti occidere inuasorem suȩ pudicitiȩ, quoties eam, uel fugiendo, uel uociferando, aut alio modo tueri nõ possunt. Siquidem decus pudicitiȩ majus bonum est, quàm opes, & non raró ȩquiparantur bono uitȩ. Prȩterquam quòd in amissione pudicitiæ periculum peccati subest. Potest tamen quiuis condonare uitam suȩ pudicitiȩ inuasori, uim insuperabilem inferenti, patiendo violationem sui, si periculum consensus absit. Ita Nauar. cit. Lessius citato dubio 12. Mol. de just. trac. 3. disp. 17. num. 10. Dian. par. 5. trac. 4. resol. 36.

45 Etsi uerò etiam uiro nobili, uel honesto liceat occidere inuasorem, qui fustem, uel alapam sibi conatur impingere, ut grauamen ignominiam inferat: Neque eo casu teneatur fugere, etiamsi possit, si fuga illi sit ignominiosa: quinimò si illata alapa uiro honesto, statim inuasor cesset, uel fugiat, possit inuasus adhuc repercutere, uel fugientem insequi ad recuperandum honorem, quoties aliter honor nequit recuperari: Sicuti docent Nauar. Lessius, & Diana locis citatis: Nihilominus hȩc doctrina non est admittenda. Primò in hominibus plebeis, uel infimȩ sortis, qui ex alapis, & uerberibus non magnam sustinent ignominiam. Secundò si contumelia in solis uerbis, uel signis consisteret: Quia raró, uel nunquam cȩdes hujusmodi censeri possunt medium necessariũ ad repellendã contumeliã in uerbis consistentem: siquidẽ per sola uerba possunt propulsari.

Addo, neque in priori casu fas esse inuasorem occidere, si is post illatam ignominiam ueniam petat, ac satisfactionem offerat, uel si non adsit spes contra injustum inuasorem prȩualendi. Lessius cit. cap. 9. dub. 12. n. 79. & 82 Bonac. de restit. disp. 2. quȩst. ult. punc. 10. n. 7. Layman lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 3. n. 3. qui rectè monent, oppositam sententiam, etsi speculatiuè uideatur esse probabilis, in praxi tamen non esse suadendam: tùm ut uitetur occasio cȩdium: tùm ut excessus odii, uindictæque periculum arceatur. Quare etiam in externo foro puniri solent (licet mitiùs) qui ob illatam sibi contumeliam percutiunt, vel occidunt, teste Molin. tr. 3. disp 17. n. 10. & Layman cit. cap. 3. n. 4.

47 Addo ex prȩcitatis Doctoribus, etsi qui fuste, vel alapa inuaditur, regulariter non teneatur fugere, si fuga sit illi igno-

ignominiosa, quoties tamen non cederet in dedecus, teneri saltem ex præcepto charitatis fugere, vel contumeliam sustinere, ut tantum mali proximi impediatur. Quod potissimùm habet locum in Clericis, & Religiosis, qui ad vitandam ignominiam non possunt se tueri cum morte alterius, sed tenentur fugam arripere, si possunt: Siquidem ipsis fuga non est ignominiosa. Lessius loc. c. num.85.

Quam doctrinam hìc expendere operę pretium censui, ut Confessariis innotescat, ad quos casus jus defensionis se extendat;& quando in ea re sola charitas, quandoue etiam justitia lędatur. Nam quoad juris reseruantis dispositionem, certum est in prædictis casibus longè abesse periculum incurrendæ reservationis: siquidem longè etiam abest ratio homicidii voluntarii. Vide supra annotat. 3. & Doctores ibi citatos.

ANNOTATIO XI.

48 Cœterùm antequam ad casus practicos deueniamus, remanet dubium resoluendum. Utrùm non tantùm pro defensione nostra, ut supra dictum est, sed etiam pro defensione Proximi licitum sit inuasorem occidere.

Responsio est affirmatiua, scilicet in iis casibus, in quibus quis potest propriam vitam tueri posse etiam defendere vitam Proximi, quæ ab alio privata auctoritate inuaditur etiam cum morte inuasoris, si aliter non posset defendi. Quia licitum est cooperari ad bonum, & suscipere partes innocentis, qualis est Proximus, qui injustè inuaditur: Quin etiam sæpè tenemur ex lege charitatis auxilium ferre innocenti contra nocentem, si absque nostro magno incommodo possumus. Ita Lessius lib.2.c.9. dub.13.n.87. Molin. de just. disp. 18. Bonac. l.c. punct.11. Sà *v.homicidium*. Layman cit. cap.3. nu.5. Diana par 3. tr.4. resol.19.

49 Quæ responsio procedit, etiamsi inuasus fuerit author inuasionis, sed postquam ab ea cessauit, ipse inuasus fuerit: quo casu dicitur innocens, quia nemini jam nocet, ipsi autem ab altero nocetur. Neque hoc jure defendendi Proximum injustè inuasum privatur quisquam etiamsi Proximus inuasus defendi nollet sed mortem oppetere mallet. Nam cùm vitæ suæ nemo sit dominus, sed tantùm custos, nequit aliis prædictum jus defensionis adimere. Lessius nu.88. Bassæus in *florib.v.homicidium* 1.n.27.

50 Amplianda est assertio, ut non solùm vitam, sed etiam pudicitiam, honorem, & fortunas Proximi fas sit nobis defendere, quando Proximus opem nostram efflagitat, vel id suadet charitas. Quæ doctrina potissimùm vera est, si injuriam patiens sit nobis sanguine junctus: Quia injuria, quæ fit personæ nobis conjunctæ, in nos redundat. Vide Lessium loc.cit. n.92. Bonac.cit.punct.11. Bassęum cit.n.27.

Aduerte tamen, quòd non semper tenemur defendere vitam, honorem, fortunas Proximi innocentis, sed tunc solùm, cùm id pręstare possumus sine nostro gravi incommodo. Quia quilibet debet magis diligere vitam propriam, quàm vitam alterius, nisi fortè inuasus esset persona publica, cujus salus caderet in bonum publicum, quod constat præferendum esse privato.

51 Unde pro saluanda vita Proximi nemo tenetur exponere periculo bona fortunarum, quæ sibi ad vitam conseruandam sunt necessaria: & multò minùs vitam propriam, teste Lessio n.90. & Molin. disp.18. nu.1. Quod certius dicitur de defensione bonorum externorum Proximi: siquidem charitas non obligat cum tanto incommodo.

52 His addendum, quòd privatus etsi aliquando possit, non tamen tenetur defendere vitam alterius priuati, quoties illam non potest tueri absque morte inuasoris. Quia ubi mala sunt paria, nullus tenetur alterum alteri pręferre. Lessius cit.n.92. Dian.cit.resol.19. & 28.

53 Major difficultas est, an qui hominis necem, cùm facilè impedire possit, negligit, homicidii reus sit censendus. Resolutio hujus dubii pendet ex ea celebri distinctione, an ille ex lege solùm charitatis impedire obligatus sit, an verò ex officio, atque ideò ex justitia. Nam in prio-

priori casu homicidii peccatum non committitur: siquidem homicidium virtuti justitiæ propriè adversatur: Ergo qui peccat tantùm contra charitatem, homicida censendus non est; & consequenter neque irregularis, teste Navar. in man. c.27. num. 231. & Layman cit. c. 4. num.7.

Si verò ex justitia obligatus sit, & cùm facilè possit innocentis necem impedire, culpabiliter intermittat, homicidii reus profectò, ac irregularis est habendus. Ita Nav. cit. c.27. num.231. Mol. d.33. memb. 5. Laym. l. c n.7.

54 Sed quæres, quinam ex justitia obligentur alterius vitam privata auctoritate oppugnatam defendere.

Resp. Obligantur Principes, Magistratus, Prætores juxta modum regiminis sibi præscriptum. Item qui ad aliorum gubernationem auctoritate Principis, vel Magistratus sunt specialiter constituti, ut Tutores, Curatores. Præterea milites; uti etiam Famuli ad pugnandum conducti. Dico ad pugnandum conducti, qui scilicèt eo tacito pacto conducuntur, ut dominum contra ipsius hostes, vel iniquos aggressores defendere teneantur. Secùs dicendum de famulis ad alia obsequia conductis: hi enim propriè non peccant adversus justitiam, sed adversus charitatem, si neligant dominum suum defendere, vel ab homine liberare. Less. n.94.

Demum Medici, & Chirurgi, si infirmum ex morbo decedere permittant, cùm facilè impedire possent, contra justitiam delinquere, homicidiiquè rei, ac irregulares censendi sunt. Navar. in man. c.24. num.18. Molin. cit. disput. 33. memb. 5.

Idem sentiendum est de liberis respectu parentum, & è converso, cùm inter eos non merum vinculum charitatis, sed quasi naturalis justitiæ obligatio intercedat. Layman cit. cap.4. n.7. ubi resolvit, si mulier aperiat fornicario propositum faciendi abortum, prole jam animata, & pater non impediat, cùm facilè possit, homicidii reum, ac irregularem habendum esse. Oppositum tamen videtur sentire Lessius c. 9. dub. 13. n.94.

55 Verùm in hoc, & præcedentibus casibus quidquid sit de læsione justitiæ, vel solius charitatis, mens Confessariorum haud anceps hærere debet de reservatione contra committentes homicidium voluntarium imposita. Siquidem dispositis, juris reservantis intelligenda est de homicidio, dolo, & malo animo, per verumque, ac positivum influxum commisso; non autem de homicidio per actum negativum tantùm, quamvis interueniente culpa, & dolo, permisso. Ut benè Graff. in praxi l. 1. cap. 14. num. 66. Imò Mazuch. cit. quęst. 3. diff. 1. num. 145. contendit eos tantùm sub homicidii voluntarii reservatione comprehendi, qui hominem cædendo occidunt, sumpta stricta vocis interpretatione à cædendo, vel cęde. Sed de hoc infra casu 23.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro incidentibus.

Ex prænotatis statuitur regula generalis: incidit in casum quicumque malo, & præmeditato animo committit homicidium in se, vel in causa proxima voluntarium. Unde.

1 Resoluitur, eum ligari casu, qui per dolum, & insidias aliquem occidit, quod dicitur dolosum, & proditorium. Graff. in praxi libr. 1. cap. 14. de homic. num. 50.

2 Idem asseritur de illo, qui malo animo, data opera, & privata auctoritate aliquem interimit extra casum necessariæ defensionis: Nam etiam hujusmodi homicidium dicitur propriè, & in se voluntarium. Beloch. de cas. reseru. par. 2. q. 6. num. 6.

3 Ampliatur reservatio, ut etiam comprehendat eum, qui inimicum suum, quamvis malefactorem, & morte dignum occidit. Quia occidere ad punitionem solùm ad Principem, vel Magistratum spectat.

4 Afficitur reseruatione, qui alterum ferit punctim circa pręcordia, vel cæsìm circa caput, sciens ex tali vulnere regulariter sequi mortem, etiamsi eam non inten-

tenderet, vel expressè excluderet, effectu tamen secuto. Quia illa exclusio videtur impertinens, cùm impossibile sit velle antecedentia, hoc est, lethalem vulnerationem, & nolle consequentia, videlicet homicidium. Unde homicidium postea secutum dicetur in causa proxima voluntarium. Ita Layman lib.3.sect.5.tr.3. par.3. c.4. num.1.

5 Incidunt Satellites, qui, suscepto à Magistratu capiendi malefactorem mandato, illum occidunt, cùm capere non possent: Tùm quia malefactori publicè non condemnato competit jus fugiendi: Tùm quia satellites, excedendo limites publicæ potestatis, perinde est, ac si priuata auctoritate interficerent.

6 Secundùm communiter receptam Theologorum sententiam, homicidium reservationi obnoxium committit, qui proscriptum extra territorium proscribentis interficit, absque expressa, vel præsumpta licentia Principis, intra cujus dominium bannitus existit. Vide supra præn.5. n.21.

Contrarium tamen tenent nonnulli Jurisperiti, asserentes, bannitum per sententiam justam, ubique etiam extra territorium proscribentis posse occidi. Tùm quia sententia (ajunt isti) afficit personas etiam extra territorium existentes: & in factis privatorum non attenditur territorium, sed an actus sit permissus, vel prohibitus: tùm quia Reipubticæ interest, ut banniti, ubicumque sint, è medio tollantur, ne revertentes cædibus, ac rapinis provincias infestent. Ita Bald. in leg. *cunctos populos* num.9. Clar.l.5.sent. *v.homicid.* n.60 Megal. to.1. var. resol. 60. n.5. Graff. par.1.lib.2.cap.62.num.57. Quæ sententia cùm non sit omninò improbabilis, confessarii simplices possunt se illi conformare in praxi.

7 Idem resolvitur, de illo, qui bannitum non capitalis pœnæ occidit ex industria etiam intra territorium Principis proscribentis.

8 Delinquit, & reservationem incurrit reus ille, qui publicos justitiæ ministros, ipsum capere, & in carcerem detrudere, vel ad supplicium trahere nitentes, studiosè occidit: quia ex officio, & publica auctoritate id agunt.

9 Idem deciditur de illo, qui violentem, & consentientem occidit: Quia nemo dominus est vitæ suæ, sed custos. Vnde sicut nullus potest seipsum occidere, ita nec alteri, ut sibi necem inferat, potestatem facere. Lupus de cas.res. p.2. cas.8. §.5.n.5. & Mazuch. de cas.reser.disp.2.c.7. q.2.num.100.

10 Eadem reservationis dispositio extenditur ad eum, qui reum in carcere detentum privato jure, quoquo modo studiosè, & appensatè interficit, etiamsi non ignoraret per judicis sententiam illum esse morte plectendum. Graff.l.c.num.50. Belloch.loc.cit. n.13.

11 Verè homicida est, & reservationi subjectus, qui cùm sciat ex veneno propinato regulariter sequi mortem, illud alteri præbet, etsi mortem ejus non intendat. Rationem assignavi supra resolut.4. Nam qui vult antecedens, ex quo scit regulariter sequi consequens, censetur etiam velle consequens: sicque homicidium illud erit voluntarium in causa propinqua. Graff. & Belloch. ll. cc.

12 Reservatione afficiuntur milites, qui in bello manifestè injusto innocentes vel adversarios, justè se tuentes, occidunt modò spontè sua, non verò coacti à suo Principe depugnent. Chapeau. de cas.res. c.3. de homic. q.1.diff.18.

13 Si plures, prævio consilio, adversarium impetant, & occidant, si ignoretur ex cujus, vel quorum percussione ille occisus fuerit, tunc singuli sicuti presumuntur homicidæ voluntarii, homicidiumque studiosè, & appensatè commisisse, ita singuli reseruationis jaculo sauciati censeri debent. Floron.de cas.res.p.2. cas. 4 §.1.num.42.

14 Si plures adversarium impugnent, sed unus tantùm vulnus læthale inflixerit is solùm sicuti de homicidio tenetur, ut docet Molin.de just.tr.3.disp.33. memb.7. sic etiam reservationem incurrit, dummodò ex proposito illum occiderit.

15 Major difficultas est, si unus sociorum lethaliter aduersarium vulnerauit, qui deinde à consociis fuit occisus,

quinam ex iis reservationi obnoxius censendus sit?

Resp. non qui vulneravit, sed qui occidit animo occidendi, reservatione ligari: Quia reservatio requirit actum consumatum, homicidium autem in hoc casu consumatum fuit ab occisore, ut supponitur, non à vulneratore. Ergo, &c. Graff. in praxi l.1.cap.14. de homic.n.58. Belloc.cit. par.2.q.6.n.19.

16 Idem resolvitur, etsi constaret ex priori vulnere certò mortem secuturam: Quia reservatio intelligitur de actibus exterioribus à se, & non ab alio consumatis. Belloch.loc.cit.n.20. Mazuch. supr.cit. num.112. Qui tamen excipiunt, nisi prior vulnerans tale vulnus inflixisset, ut vulneratus jam esset penè mortuus: Tunc enim censent priorem, non posteriorem vulnerantem in reservationem incidere: eò qoòd effectus mortis tunc diceretur à priori, non à posteriori vulnerante manare.

17 Sed hæc exceptio mihi non placet. Nam, vel occisus eo casu mortuus est ex vi vulneris accepti à priore vulnerante, vel accepti à posteriore, vel accepti ab utroque. Si mortuus est ex vi utriusque vulnerationis, uterque vulnerans censendus est homicida, & consequenter uterque in reseruationem incidisse, ut constat ex supradictis. Si mortuus est ex vi vulneris à posteriore vulnerante accepti, etiamsi ex vi prioris vulneris properaret ad mortem, per hoc non tollitur, quin effectus exterior mortis consumatus sit ex vi posterioris vulnerationis, & consequenter posterior vulnerans dicendus sit homicida, & hic solus in reservationem incidisse. Licèt enim ex primo vulnere prope mortuus esset, effectus tamen non fuit secutus de facto præveniente mortem vulnere posteriore, ex cujus vi supponitur sauciatum raptum fuisse ad mortem. Si verò mortuus est ex vulnere à priore vulnerante accepto, nemini dubium esse potest, quin ipse solus in reseruationem inciderit, cùm ipse solus, ut supponitur, fuerit occisor.

Neque ratio à Bellochio, & Mazuchello adducta conuincit. Quæro enim, cur eo casu effectus mortis censendus sit à priori, & non à posteriori vulnerante manare? Si dicatur, quia prior ita vulnerauit, ut penè mortuus esset, quando posterior sauciauit, quid tum? numquid idem est penè mortuum esse, ac absolutè mortuum esse? sanè idem non est. At non incidit in reseruationem, qui hominem eò tantùm adducit, ut penè moriatur; sed qui eò adducit, ut absolutè, & defacto moriatur. Non ergo incidit, quia ita vulnerauit, ut penè mortuus esset. Quod si quis dixerit posteriorem vulneratorem amputasse tantùm auriculam hominis, & statim mortuum esse: amputare autem auriculam, non potuisse homini mortem afferre: Igitur illi obuenisse propter vulnus prioris vulnerantis.

Respondeo, data hypotesi, jam apparere manifestè causam incidentiæ non esse illam, quòd penè mortuus esset, sed quia ex vi vulneris ab eo inflicti præcisè vulneratus de facto, & absolutè sit mortuus. Sit exemplum. Petrus, & Joannes adoriuntur Franciscum eorum inimicum: Petrus priùs vulnus lethale inflixit Francisco, transfigendo illi guttur, tum accedit Joannes, & eidem corruenti in terram corense suo transuerberatur, statimque illi necem inferant. Quæro, quinam dicendus sit occisor, & in casum incidisse? Secundum sententiam Belloch. & Mazuch. dicendum est Petrum incidisse, quia eò adduxit Franciscum, ut cùm vulneratus est à Joanne, jam penè mortuus esset. At si valet doctrina tradita ab ipsomet Belloc.cit.n.19.& 20. & Mazuch. n.112. quòd scilicèt reservatio intelligatur de actibus externis à se, & non ab alio consumatis, dicendum est incidisse Joannem, quia vulnus ab eo inflictum statim abstulit vitam; & licèt non fuisset à Petro vulneratus Franciscus, hoc solo vulnere Joannis eodem modo periisset.

18 Eadem resolutio statuenda est in dubio de qualitate vulneris, quòd scilicèt non prior, sed posterior, vulnerans præsumi debet occidisse, reservationeque innodari; consentit Mazuch. cit.n.112.

19 Incidit quicumque potionibus, vel percussionibus studiosè procurauit fœtus ani-

animati abortum, & enecationem, effectu secuto: quia est verum homicidium, vel etiam paricidium, si Pater, vel Mater animati fętus interitum causet. Imò in duplicem incidit reservationem, alteram, quia procurauerit abortum, alteram, quia commiserit homicidium: & quidem priori esset adnexa excommunicatio Episcopo reservata; de qua infra *casu* 7.

20 Idem resolvitur de illo, qui procurauit fętus animati abortum ob vitandum vitę, vel infamiæ periculum. Nam directa fętus animati enecatio adeò est intrinsecè mala, vt ob nullum bonum assequendum, vel malum vitandum, licita fieri possit. Non enim facienda sunt mala, ut eveniant bona. Sanch. lib.9. de matrim. dis.20.n.10. Floron. de cas. reser. par.2.cas.5.§.1. & cas.6.n.28. Mazuch. disp. 2 cap.3.q.1. diff.4. n.24. & q.2.nu.32. Dian. par.7.tr.5 resol.32.

Obiic. licitum est aliquando procurare abortum, v.g. ad tuendam vitam matris ægrotantis: Ergo etiam ad vitandam mortem, fœminæ prægnanti à consanguineis inferendam.

Respondeo, antecedens procedere de procuratione indirecta abortus fętus inanimati, non autem de directa, & animati. At nos loquimur de procuratione directa abortus fœtus animati.

Addo in hoc casu neque licere, etiamsi fętus esset inanimatus: Nam ideò permittitur abortus fœtus inanimati ad tuendam vitam matris ægrotantis, quia tunc fœtus est quasi aggressor matris, & causa proxima materni obitus: At in proposito casu fœtus non est aggressor Matris, nec periculum vitæ manat ab ipso fętu, sed aliunde, & est causa valdè remota. Ita Sanchez, cit. Dian. p.7. trac.5.resol.32.

21 Innodatur resevatione, qui in duello extra casum necessariæ defensionis suscepto adversarium occidit, supposito, quòd culposo, & doloso animo occiderit. Quo casu incurrit etiam excommunicationem Summo Pontifici reservatam ex Bulla Clementis VII. quam licet videre apud Sayr. de cens. l.3. cap.13.nu.21. Quæ similiter decernit, ut in duello decedẽtes etiam cum signis pœnitentiæ, in detestationem delicti. priventur Ecclesiastica sepultura. Ab hac tamen excommunicationis censura absolvere posse Episcopum ex priuilegio Tridentini rectè notat Sanchez lib. 2. mor. capit. 9. numer.27.

Non displicet tamen, quod docet Escobar exam.7. cap.8. videlicèt eum, qui moritur ex vulnere in duelli congressu sibi inflicto, si viuus è loco duelli discesserit, non esse priuandum Ecclesiastica sepultura, modò impœnitens non decesserit: quod etiam tradit Medulla the. mor. lib.3. trac.4. cap.1. dub.1. in fine.

22 Eadem resolutio statuitur de Marito, Patre, Fratre, qui, studiosè data Vxori, filiæ, sorori, ansa, & opportunitate turpiter agendi, eas deinde in flagranti deprehensas occidunt. Nam tale homicidium est verè voluntarium, & ex industria commissum. Secùs resolvendum, si vel casualiter, vel coram testibus inventas, justo dolore compulsi eas incunctanter interficiant. Ita Graff. in praxi l.c.n. 42. cui astipulatur Mazuch. loc.cit. num. 132. contra Chapeau. & Belloch.

23 Potior difficultas est, an casus injustæ mortis, v. gr. si testis falsus dolosè fuit causa, vt innocens damnaretur ad mortem, si Medicus, vel famulus mercede conducti, ille ægroti, hic domini necem doloso animo non impediant. Item si quis ex industria in alterum concitet equum, vt in flumen deiectus submergatur: an hi, & similes casus, secuto effectu, sub homicidii casu comprehendantur.

Negat Mazuchellus loco citat. nu.145. ubi sustinet, eos tantùm comprehendi sub homicidii voluntarii reservatione, qui hominem cędendo occidunt, sumpta stricta vocis interpretatione à cædendo, vel cęde: Proinde cùm prædicti non occidant, cædendo physicè, sed morali modo: Idcircò in reseruationem incidere diffitetur.

Sed hæc Mazuchelli expositio, ac restrictio mihi non placet, nec videtur consona menti Sapiẽtissimi Reseruantis nostri, qui censetur hunc sibi reseruasse casum in odium, ac detestationem cujuslibet injustę necis, & ut deterreat sibi commis-

missum gregem à tam pernicioso, & immani flagitio, siue occisionis actio sit physica, & immediata, sive moralis tantùm, & mediata, dummodò talis actio positiuè, & efficaciter (non verò negatiuè tantùm) in necem influat.

Confirmatur, quia propinatio veneni, vel pharmaci, secuto mortis effectu, vel fœtus animati abortu, venit nomine homicidii voluntarii, & comprehenditur sub casu homicidii, ut expresè fatetur ipsemet Mazuch. q.2.nu.102.& 106. & tamen propinatio veneni, vel pharmaci, secundum propriam, & strictam vocis interpretationem, non sunt homicidia, sed causæ tantùm propinquæ injustæ occisionis: Ergo similiter supradictæ actiones cùm sint causę propinquæ, & positiuæ iniustę mortis, venire debent nomine homicidii voluntarii; sicque sub reseruantis juris dispositione comprehendi.

24 Dixi, dummodò talis actio positiuè, & efficaciter in necem influat. Quia causas negativè tantùm concurrentes, uti sunt, qui alterius mortem doloso animo non impediunt, quando ex officio, vel pręcedente pacto tenentur impedire, libenter fateor cum Mazuchello sub casu non comprehendi. Siquidem reseruatio hujus casus intelligenda est de vero, & positivo in homicidium influxu: concursus autem causæ negatiuæ non est verus influxus, neque positiuus actus, sed negatiuus tantùm, sive permissivus, ut de se patet. Ita in contingentia facti censui, meumque judicium probauit, ut priuatus Doctor Reuerendissimus Dominus meus Carolus Antonius Lucciagus, in Basilica Brixien. Archidiaconatus insignibus decoratus, ac in Curia Episcopali ejusdem Vrbis Generalis Vicarius, à me sępè, ob eius doctrinæ pręstantiam, & in jure reseruante longam praxim, consultus, & allegatus.

RESOLVTIVA PRAXIS

Pro non incidentibus.

1 Non ligatur reseruatione, qui præmeditato, & doloso animo machinatus est alteri mortem, sed machinatio non habuit effectum: Et ratio est clara, quia reseruatio requirit actum externum consumatum, nisi aliter decernatur in jure reseruante, uel constet de mente Superioris reseruantis. Coram Deo tamen eamdem habet malitiam, eamdemque meretur pęnam, ac si opere completus esset. Nam *voluntas apud Deum pro facto reputatur*, ait S. Bernardus *epistola* 77. ad Hugon. *de S. Victore*.

2 Idem deciditur de illo, qui intendens aliquem occidere, illum tantùm mutilauit, deformauit, morti ferè percussit, morte non secuta: quia reseruatur tantùm homicidium uoluntarium actu externo consumatum.

3 Idem resoluitur de eo, qui in ebrietate etiam uoluntaria homicidium commisit, non pręuisum, quo casu dicitur merè casuale, uel etiam pręuisum, sed non directè intentum, quo casu dicitur homicidium mixtum. Graff. in praxi lib.1.cap.14. de homic.num.4.

4 Major difficultas est, si ebrius non solùm homicidium pręuidisset, sed etiam eo animo se inebriasset, ut alterum occideret, an eo casu reseruationem incurreret. Affirmat Floron. cas.4. §. 7. num.8. quia tale homicidium dicitur uoluntarium, ac deliberatum. Ego uerò cum Mazuch. loc. cit. numer. 137. existimo non incidere: quia hujusmodi homicidium, cùm sit in ebrietate commissum, non est in se uoluntarium, sed neque in causa proxima: quia homicidium suaptè natura non est ebrietati adnexum, & ab ea inseparabile. Licèt ergo mortaliter peccet, & ad restitutionem teneatur, reseruationem tamen non incurrit.

5 Non afficitur hac reseruatione fœmina, quę studiosè procurauit abortum fœtus inanimati: quia uerè non committit homicidium. Incidit tamen in aliam reseruationem ob procurationem abortus: de quo infra cas.7.

6 Idem resoluitur de illo, qui prębet, & de fęmina, quę sumit potionem, per se tendentem ad sanitatem mulieri conferendam; etsi deinde fętus animati occisio contingat: Quia hujusmodi homicidium

cidium requisito voluntario caret. Vide supra annotationem 3. num. 10. & Doctores ibi citatos.

6 Ampliatur excusatio ad eum, qui subita ira prægnantem calce, vel aliter in utero percuteret, si ex illa percussione abortus fœtus animati sequeretur: quod verum est, etsi percutiens periculum præviderit, dummodò directè non intenderit: Ratio est illa sæpè repetita, quia illud homicidium studiosè non est commissum.

7 Non innodatur casu, qui existimans occidere Paulum, interficit Antonium: Quia in ordine ad Antonium homicidium illud potiùs casuale, quàm voluntarium reputari debet. Secus dicendum coram Deo, apud quem *voluntas pro facto reputatur*, teste S. Bernardo cit. *Epist. 78. ad Hugon.* Graff. lib. 1. cap. 14. nu. 64.

8 Non subjacet reservationi, qui alteri tantùm voluit vulnus infligere, credens ex tali vulnere mortem non secuturam: Ideòque expressè mortem exclusit, etiamsi postea mors secuta sit: Quia tale homicidium non potest dici studiosè, appensatè, & ex proposito commissum. Mazuchell. loc. cit. num. 108. contra Belloch. & Lupum apud ipsum Mazuch.

9 Idipsum resolvitur de illo, qui adversario, quem occidere intendebat, vulnus inflixit non lethale, licèt postea sic vulneratus intereat, accedente alia causa, quæ vim nocendi acceperit à vulnere. Nam hujusmodi homicidium non est in se, nec in causa propinqua voluntarium. Injustè tamen vulnerans irregularis efficitur, & ad damnorum refectionem obligatur. Layman lib. 3. tract. 3. par. 3. cap. 10. num. 5.

10 Eadem decisio ob eamdem rationem statuitur de eo, qui alterum sauciavit vulnere non lethali; vulneratus tamen mortuus est Medici, aut Chirurgi imperitia, seu negligentia, vel propria incuria quo casu vulnerans tenetur tantùm de vulnere, non item de homicidio, quod attinet ad pœnam, & obligationem resarciendi damni irregularitatem tamen non effugit Lessius libr. 2. cap. 9. dub. 15.

11 Excusantur milites, qui ad imperium sui Principis in bello, de cuius justitia dubitatur, hostes occidunt: Quia in dubio præsumptio stat pro Principe, cui obedire tenentur.

12 Secundum probabilem Belloch. & Mazuch. sententiam non incidit, qui hominem ex inflicto priùs sibi vulnere penè mortuum superveniens occidit, v. gr. illi caput abscindit. Contraria tamen sententia magis placet, & est conformior doctrinæ, ac regulę communiter à DD. traditę, quòd reservatio intelligatur de actibus externis à se, & non ab alio consumatis. Vide supra casu decimoseptimo pro incidentibus.

13 Non incidit, qui ab inimico inuasus in defensionem proprię vitę inuasorem interficit: quod verum est, quamvis invasus omnimodam inuasionem non expectaverit, ne nimis sera esset defensio. Capeau. de homicid. diff. 5. Defensio enim proprię vitę est nobis à natura insita.

Nec refert, quòd iniquus aggressor sit in peccato, & statu damnationis: quia licèt invasus possit ex charitate ei parcere, ad id tamen non tenetur Layman. libr. 3. tract. 3. par. 3. cap. 2. Lessius libr. 2. cap. 9. Dian. par. 5. tract. 4. resol. 34.

Neque obstat, quòd quis alteri causam se aggrediendi dederit, dummodò injusta sit aggressio. Unde excusatur ab homicidii culpa, qui maledictis, & opprobriis alterum ad se aggrediendum provocavit, si interim aggressus aggressorem cum moderamine occidat. Nam quamuis inuasus peccaverit, alterum maledictis lacessendo, non ideòtamen amisit jus defensionis. Vasq. in oper. moral. tit. de restit. cap. 2. §. 1. dub. 10. n. 43 Januar. de cas. reser. resol. 47. num. 30.

14 Idem est de adultero, qui licèt fuerit causa, ut ipsum maritus adulterę invadat, nihilominus potest invasorem cũ moderamine occidere: quia ex eo, quòd causam invasionis marito prębuit, jus naturale defendendi suam uitam non amisit. Imò potest adulteram ipsam tueri, virum occidendo, si aliud remedium non suppetat: incumbit enim cuique obligatio succurrendi proximo in extremam mise-

miseriam sua culpa redacto; Ergo à fortiori seipsum, & adulteram in extremo vitæ discrimine constitutam. Dian.par 3. tract.4.resol.10. Januarius de cas. reser. resol.67.num.31. ex Bannes.

15 Idem resolvitur de occidente injustum insidiatorem propriæ vitæ,eum prçveniendo,si faciliùs insidias devitandi remedium non occurrat. Hunc enim non delinquere, & consequenter in reservationem non incidere,docet Lessius lib.2. cap.9.n.45.& 46. Vide supra annot.8. nu. 30.& Doctores ibi citatos.

16 Eadem assertio verificatur etiam de illo, qui ab altero invasus invasorem interficit, non seruato moderamine inculpatæ tutelç. Nam tale homicicidium non potest dici deliberato, ac prçmeditato animo commissum.Mazuch.l.cit.num. 125.Deliqueret tamen mortaliter,& illarum damnum resarcire teneretur, saltem secundùm proportionem injusti excessus. Lessius libr. 2. cap. 9. dub.21. numer. 135.

16 Non incurrit qui euaginauit gladium animo lçdendi,non occidendi; posteà verò necessitate compulsus inuasus occidit, ne ipsemet ab inuaso occideretur: peccaret tamen, & iste moraliter, & teneretur ad restitutionem. Graff.loc.cit. n.45.& Belloch. nu.43. quibus subscribit Mazuch.cit.n.125.

17 Idem resoluitur de fçmina, quæ, ut suam pudicitiam seruet integram,& periculum deuitet consensus,virum,à quo inuaditur,interimit,si alia faciliori ratione, saltem vociferando, ab veius iolentia se tueri non possit.Graff.loc.cit.n.39.Finell. casu 4.n.46. ex Cajet.

18 Idipsum infertur, si masculus occidat perdirum,ac nefarium illum uirum,à quo ad nefandum cogitur flagitium, si alia sibi non pateat euadendi via. Lessius loc.cit.dub.12.n.76. Finell.cit.nu.46.Floron.casu 4.§.1.n.31.

19 Supra dicti, sicut etiam homines plebei, si fuga, vel clamore sibi consulere possint, eoque remedio intermisso, aggressorem occidant, reseruationem non incurrunt: & licèt fortasse contra charitatem,non tamen contra justitiam delinquunt, nec tale homicidium dicetur malo animo,& ex proposito patratum. Vide supra annot.6.n.26.& 28.

21 Excusatur à reseruatione, qui, orta repentè rixa, vel subitò concepta ira rationis usum perturbante,aduersarium occidit: Tum quia hujusmodi homicidium recedit à ratione necis deliberato, & prçuio consilio illatç:Tum quia sicut dispensare potest Episcopus in irregularitate orta ex homicidio occulto in subita ira commisso, sicuti docent Perez, Henriqu. Rodriquez,Auila, ConincK, contra Molin. & Suarez apud Mazuchell. loc. citat. num.130.eò quòd tale homicidium in ordine ad Episcopalem dispensationem,casuale potiùs, quàm voluntarium censeri debeat; ita etiam in ordine ad reseruationem. Ita Mazuchell.loc.cit. nu.131. quidquid in contrarium sentiat Gambar. de cas.reser.pag.mihi 208.n.9.

22 Non est obnoxius Medicus mercede conductus, si infirmum ex morbo decedere etiam doloso animo permittat: Quia reseruatio hujus casus intelligenda est de homicidio dolo,& malo animo,sed nō per verum,ac positivum influxum cōmisso: Concursus autem Medici in mortem infirmi non est verus influxus,neque actus positiuus;sed negatiuus,siuepermissimus. Deliquit tamen mortaliter contra justitiam, & tenetur ad damnorum refectionem.Less.lib.2.cap.13.dub.10.num.69. Bonac.de restit.disp.1.q.2. punct.11. nu.1. Vide supra annot.11.nu.54.& 55. & resol. 24. pro incidentibus.

22 Idem ob eamdem rationem resoluitur de famulo ad defendendum dominum conducto, si domini necem etiam doloso animo non impediat. Peccat tamen & ipse grauiter contra justitiam, & in defectum causç principalis restituendi obligationem contrahit, sicut & irregularitatem,teste Nau. c.24. n.17. Vide annot.11.n.54.

23 Licèt diues, si propterea quòd pauperem fame morientem pascere intermisit, pauper mortuus sit, non solùm adversùs charitatem, sed etiam contra justitiam deliquerit; Ideòque homicidium ipsi tanquam causç morali imputetur, iuxta illud D. Ambrosii apud Grat. cap. pasce d.86.& Thom.2.2. quçst.32. artic.5.

Pasce

Pasce fame morientem, si non pavisti, occidisti; sicuti docet Layman libr. 1. tract. 2. cap. 3. n. 8. & lib. 3. tract. 3. par. 1. cap. 1. n. 7. in fine: nullam tamen reservationem incurrit: Quia hæc prærequirit præmeditatum occidendi animum.

Vtrùm autem dives eo casu ad compensationem damni teneatur? Affirmat Layman cit. lib. 3. trac. 3. cap. 1. num. 7. quia pauper in tali casu habet jus petendi panem, quem dives possidet, & miser ille, vel expressè, vel virtualiter peti, & consequenter illi injuria infertur cum obligatione damni resarciendi. Contrarium tamen videtur sentire Suarez de charitate disp. 7. sect. 6. n. 2.

24 Non innodatur, qui occidit furem, quem sibi constat venisse domum non occidendi, sed furandi gratia, etiamsi furtum impedire valuit sine furis occisione. Quia non quodlibet homicidium illicitum est reservationi obnoxium, sed quod per verum, & positivum influxum, culposoque, ac doloso animo committitur Graff. in praxi lib. 1. cap. 14. de homicid. n. 4. Vide supra annot. 9. n. 38. & 43. quidquid in contrarium dicat Lupus de cas. reser. p. 2. cas. 8. §. 5.

25 Idem resolvitur de illo, qui proximo vim in donis vitæ, famæ, ac fortunarum patienti, assistit, ejusque injustum aggressorem interficit: Quia quilibet ex charitatis lege obligatus est auxilium ferre innocenti contra nocentem, si absque magno suo incommodo possit. Less. cap. 9. dub. 13. n. 88. Vide supra annot. 11. n. 48. & Doctores ibi citatos.

26 Eximitur mater, vel nutrix, quæ cubans in eodem lecto cum periculo tenellum puerum suffocandi, illum tandem suffocavit. Nam tale homicidium censetur voluntarium tantùm in causa remota, non proxima, ideòque casuale mixtum, Belloch. loc. cit. num. 40. Mazuch. loc. cit. n. 122. & 123. Deliquit tamen mortaliter, & innodatur excommunicatione lata in Concilio Prouinc. Mediolanen. VI. titul. *de Baptismo*, contra tenentes infantem in lecto, anno non expleto, cum oppressionis periculo. Quod tempus in hac Brixien. Diœcesi, quæ subiicitur eidem Concil. Provincial. VI. ad octo menses restrictum fuit, ut constat ex libello constitutionum Ecclesiæ Brixien. tit. de Baptism. pagina mihi 96. Ubi Parochis etiam conceditur facultas dispensandi cum miserabilibus personis circa detentionem in lecto sine præscripta cautionis forma: de quo vide supra in 2. parte primi casus ubi latè hæc materia impenditur.

27 Non incidunt Maritus, Pater, Frater, qui uxorem, filiam, sororem in actu carnali casualiter inuentas, justo dolore compulsi incunctanter occidunt: Quia, licèt delinquant mortaliter, & verè sint homicidæ; homicidium tamen hujusmodi non dicitur appensatè, & ex industria commissum: sicuti ex Graff. docet Mazuch. loc. cit. n. 132. contra Chapeau. Belloch. Floron. apud ipsum Doctorem. Secùs resolvendum, si, exhibita occasione, eas invenirent, ut studiosè perimerent; ut supra dictum est resol. 22. pro incidentibus.

28 Qui sibi vulnus lethale inflixit, potest à quocumque Confessario absolvi, quia nondum secutus est effectus homicidii: si autem seipsum occidat, & in instanti moriatur, tale crimen soli Deo reservatur, *non ut absolvat, sed ut in æternum puniat.* ait Chapeavilla *de homicid. cas.* 3. *quæst.* 2.

NONNULLA

Pro non Incidentibus Corollaria.

1 Qui aliquem lethaliter vulneravit animo occidendi, si interim resipiscat per confessionem, secuto posteà homicidii effectu, non incidit in reservationem, neque tenetur rursus confiteri peccatum homicidii: tùm quia effectus homicidii in voluntatis arbitrio non erat, sicuti benè docet Layman libro primo, tractatu secundo, capite tertio, numero quinto, versiculo *Quæ doctrina*. Tùm quia peccatum causæ fuit ritè clavibus submissum, & per confessionem remissum: remisso autem peccato causæ, non manet obligatio confitendi peccatum effectus, qui naturaliter sequitur ex causa quidem liberè applicata, sed posteà per pœnitentiam retra-

tractata; reseruatio autem supponit peccatum, quod non perdurat, cùm jam fuerit per confessionem delegatum. Ita Henriquez, & Fagundez, quos citat, & sequitur Mazuchell. loc. cit. num. 147. & 148. Vide etiam Azor. primo tomo, libro primo, capite septimo ad finem. Bonacin. & Franc. Lugo, quos refert, & sequitur Januar. de casibus reservatis, resolut. 66. numero sexto.

2 Pari modo, si quis post procurationem abortus fętus animati, delictum confiteatur, & adhibeat omnem diligentiam, ad abortum impediendum, illo nihilominus posteà secuto, non incidit in excommunicationem: quia excommunicatio est pęna medicinalis, quę prærequirit culpam, & contumaciam. Ita pręter Doctores citatos Alphonsum de Leone, & Auilam, quos citat, & sequitur Januar. resolutione 23. numero septimo, & tertiodecimo.

Quàm verò perniciosum, ac immane sit homicidii delictum, & ad quid teneatur iniquus homicida, quidue demum agere debeat Pęnitentiarius, antequam hocce innodatum casu absolvat, vide in fine tertiæ partis hujus secundi casus.

IN SECVNDAM

Secundi Casus Reservati Partem, in Edicto Reservationis sub hac litera expressam.

Mandatum (adde) *homicidii voluntarii committendi datum.*

ANNOTATIONES.

1 *Mandatum quid sit, & quomodo summatur in casu.*
2 *Mandatum homicidii tantùm comprehendit dispositio casus.*
3 *Quid de mandato homicidij præuisi, sed non intenti.*
4 *Mandatum homicidii, aliud justum, aliud injustum.*
5 *Dispositio casus intelligitur de mandato iniustæ necis.*
6 *Mandatum homicidii voluntarii quadruplex.*
7 *Quodnam mandatum comprehendat litera reservationis.*
8 *Mandatum homicidii voluntarii, aliud expressum, aliud implicitum.*
9 *Ad mandatum homicidii solùm expressum extenditur reservatio.*
10 *Revocans mandatum, re integra, extra telum reservationis existit.*
11 *Discrimen inter mandatum, & consilium valdè notandum.*

ANNOTATIO I.

1 Quamvis propriè loquendo, mandatum distinguatur à jussione, & præcepto, quia hęc auctoritatem supponunt in jubente, & est actio propria eorum, qui cum auctoritate præcipiunt, qualis est dominus, pater, judex: Mandatum verò definiatur, quòd sit officium liberè susceptum in alterius gratiam præstandum. lib. 2. ff. Mandati. Molin. de just. & jure tract. 2. disp. 548. Nihilominùs in isto casu nomen mandati promiscuè sumitur tàm pro jussione, & præcepto, quàm pro simplici mandato: sive illud gratis, sive pacto pretio, suscipiatur, & in executionem deducatur. Et licèt tali casu mandatum in contractum innominatum transeat, *do, vt facias*. Tamen, & iniquam hujusmodi pactionem venire sub nomine mandati, testatur praxis interni fori Ecclesiæ Brixiensis, & Confessariorum usus confirmat.

ANNOTATIO II.

2 Cęterùm notandum est, quòd duplici modo dari potest mandatum: primo homicidii committendi, altero verberandi, seu lędendi tantùm: & id dupliciter, vel cum prævifo necis periculo, ideòque cum expressa prohibitione, ne adversarius occidatur; vel sine tali prævisione, & consequenter sine expressa impositione, ut occisio caveretur. Sub casu igitur comprehenditur solùm mandatum mandatario à mandante homicidij committendi datum, non autem verberandi, seu lædendi

dendi tantùm. Quod clarè constat ex litera reservationis.

3 Et hoc verum est, siue mandans verberare, vel percutere, periculum necis non præviderit; ideòque præmonere mandatarium intermiserit: siue de homicidii periculo suspicatus fuerit; ideòque mandatario expresse imposuerit, ne man. dati fines excederet. Nam licèt hoc po. steriori casu homicidium ab aliquo fortasse diceretur in causa proxima voluntarium; tamen non adest illud voluntarium, quod in pręcedenti parte diximus requiri ad incurrendam reservationem. Cùm tale homicidium in mandato pręvisum, sed non intentum, non dicatur deliberato, & pręmeditato animo mandatum, & simpliciter uoluntarium.

ANNOTATIO III.

4 Verùm ulteriùs mandatum est, mandatum homicidii committendi rursus duplex esse: alterum auctoritate publica datum, ut cum judex lictori mandat, ut malefactorem ultimo supplicio afficiat; alterum auctoritate priuata, ut cùm quis sine legitima potestate alteri mandat, ut aliquem occidat.

Vtrumque mandatum potest esse justum, vel injustum. Prius mandatum censetur justum, si essentialis juris ordo seruetur; injustum verò, si illud contra juris ordinem imponatur. Posterius autem mandatum censetur justum, si detur in casu necessarię defensionis, de quo infra: injustum uerò, si odio, ira inuidia, uel uindicta instigante patrandæ necis mandatum imponatur.

5 Dispositio igitur literę reseruationis intelligitur de mandato necem inferendi mandatario à mandante iniustè, & contra justitiam dato; siue illud ex publica, siue priuata auctoritate proueniat.

ANNOTATIO IV.

6 Cęterùm non segniter notandum est, quòd sicut homicidium uoluntarium est quadruplex, ut capite præcedenti annotatione 3. dictum est; ita etiam quadruplex esse mandatum. Primò homicidii in se, & simpliciter uoluntarii ut si quis pręuio consilio, & pręmeditato animo alteri mandet, ut aliquem occidat. Secundò homicidii in causa proxima voluntarii, ut si quis alteri actionem aliquam committat, cui suapte natura adnexum sit homicidium, & ab ea inseparabile, v.g si alteri mandet, ut venenum alicui propinet, vel punctim aliquem circa pręcordia feriat. Tertiò homicidii in causa remota voluntarii, ut si quis alteri mandet actionem, cui raro adjunctum sit homicidium, v.g. si detur mandatum, aliquem verberandi, ex quo pręter intentionem mandantis, mors verberati sequatur. Quartò homicidii casualis mixti, sive secundum quid voluntarii; ut si quis alteri mandet actionem, ex qua voluntarium quidem, sed non præmeditatum sequatur homicidium, v. g. si, orta repentè rixa, herus sine pręmeditato, & deliberato animo mandet famulo, ut aduersarium occidat.

7 Modò, ut ex mandato incurratur reservatio, non sufficit quodlibet mandatum, ex quo tanquam causa secutum sit homicidium: sed requiritur mandatum homicidii in se, vel in causa proxima voluntarii: sicut in simili supradictum est de homicidio. Eadem enim est ratio mandati, & homicidii, quoad conditionem volontarii ad reservationem requisiti: & lege, vel Doctore casum aliquem non decidente, resolutio à simili debet desumi. Vide Barbos. de offic. & potest. Episc.par.3.alleg. 51.nu.3. & Mazuch.loc. cit.n.128. & 131.

ANNOTATIO V.

8 Pręterea rursus dividitur mandatum in expressum, quod expressis verbis imponitur; & in tacitum, quod tacitè datur, videlicèt facto, vel dicto, ex quo, ver.g. famulus facilè colligere potest gratum fore hero, si quem occidat. Et idem est, si famulus sciat malignum suum propositum alteri necem inferendi hero cognitum, & perspectum esse, & non contradicere, aut impedire. Nam tali casu taci-

terveniente culpa, & dolo; secùs si dolus absfuit. Lupus de cas.reser.par.2.cas.8.§.5. n.2 ex Comitolo.

4 Idem resolvitur de Judice inferiore, qui contra juris dispositionem, & necessarium ordinem aliquem ad mortem adjudicavit, occidique mandavit; quamvis privatim sciret, illum esse reum mortis: Quia cùm Judex sustineat personam publicam; idcirco secundùm publicam, non secundum privatam notitiam procedere debet. S.Th. 2.2. q.67. ar.2. Lessius lib.2.cap.29.dub.11. n.92.

Dixi Judex inferior, quia supremo Principi licere aliquando è medio tollere criminosum, cujus crimen sibi cognitum est, licèt non possit probari, docent idem Less. cit.dub.11. n.100. Laym. lib.3. tr.4.c.2. nu.7. Card. de Lugo de just. disp. 37. sect.5.

5 Reservationi subjacet, qui mandavit occidi proscriptum non capitalis pœnæ, vel extra jurisdictionem proscribentis, secuto mortis eventu: excipe, nisi insidiator is esset proprię vitę, faciliorque evadendi via non pateret. Contrarium tamen, quoad occisionem proscripti capitali pęna extra dominium Proscribentis, tenent nonnulli Jurisperiti. Vide in priori hujus casus parte casu.6. pro incidentibus.

6 Idem resolvitur de illo, qui alteri mandavit, ut aliquem occideret, si mandatarius mandatum acceptavit, nomineque mandantis executus est: non obstante, quòd si iste non mandasset, adhuc mandatarius hominem occidisset: Constat ex *annot.*7. n.11.

7 Non eximitur à reservatione, qui homicidium injustum committi mandavit, si fictè postea mandatum revocavit: Quod verum est, si fictio innotescat mandatario. Quia ficta revocatio perinde est, ac si non esset facta: secùs si fictio non appareat.

8 Idem deciditur de illo, qui homicidium injustum committendi dedit mandatum, sed mandatarius non per se, sed per alium mandatum executus fuit: Quia causa causę censetur causa causati.

9 Idipsum statuitur de eo, qui dedit mandatum homicidii injusti, quod executioni suscipiens mandavit quoad essentialia, licèt non quoad accidentalia loci, temporis, vel modi occidendi. Nam reservatio non attendit modum, sed effectum, hoc est, homicidium.

10 Innodatur casu, qui jubet, vel cogit Puellam sumere potionem ad abortum fœtus animati efficiendum: Quia est mandatum homicidii in causa proxima voluntarii: supposito quòd hujusmodi potioni suapte natura adnexus sit abortionis effectus, & ab ea inseparabilis. Quo casu incidit etiam in aliam reservationem ex eo, quòd procuravit abortum, de quo infra casu 7.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro non Incidentibus.

1 Non ligatur reservatione, qui dedit mandatum tantùm verberandi adversarium, sed mandatarius mandati fines excedens illum occidit, vel adeò graviter percussit, ut paulò post è viuis excesserit. Ratio est clara, quia non est mandatum homicidii in se, vel in causa proxima voluntarij.

2 Eadem resolutio statuitur de illo, qui mandavit alteri, ut aliquem injustè occideret; sed executor illum tantùm citra casum mortis vulneravit. Quia mandatum non reservatur, nisi effectu secuto. Constat ex prænotatis.

3 Non incurrit, qui auctoritate publica iussit, malefactorem occidi; licèt motus sit non zelo justitiæ, sed odio vindictæ. Peccat tamen contra charitatis pręceptum interno pravo affectu.

4 Idem deciditur de illo, qui famulo, vel alteri mandavit, ut interficeret actualem aggressorem, vel insidiatorem propriæ vitę: Quia mandatum non est injustum. Lęderet tamen charitatem, si alia sibi occurrebat via tuendi sui.

5 Non subjacet reservationi, qui dedit alteri mandatum, ut honoris pudicitiæque suæ aggressorem occideret. Delinquit tamen, & iste adversus charitatem, si alio modo honori suo consulere poterat. Constat ex annotatione 9. pręcedentis capitis nu.24. & 25. Eadem enim est

est ratio homicidij, & mandati occidendi, quoad reservati nem.

6 Idem asseritur de illo, qui mandauit, aggressorem interfici pro defensione facultatum: quod verum est, quamvis hæ modici essent momenti, vel alia ratione recuperari possent: & licitè delinqueret mortaliter in genere homicidii, in reservationem tamen non incideret: Quia non esset mandatum homicidii appensatè, & ex proposito voluntarii. Patet ex annot.9. prioris partis nu.14. & annot.4. hujus secundę partis n.7.

7 Non innodatur Dux, qui in bello justo, vel saltem non manifestè injusto mandauit suis militibus, ut hostes occiderent, si quem de facto interfecerunt: Quia mandatum non adversatur virtuti justitiæ.

8 Eadem resolutio datur de illo, qui mandatum injustę necis ante ejus executionem expresè revocavit, dummodò revocatio ante mortis eventum ad notitiam mandatarii pervenerit. Quod verum est, etiamsi postea mandatarius adhuc homicidium committat, quia mandatum suapte natura revocatione extinguitur, re adhuc integra. Ita Doctores supra citati annot.6. n.10.

9 Quod asseritur de expressa mandati, idem statuitur etiam de tacita reuocatione, v.g. si mandans contraxisset matrimonium cum adversarii filia, vel inter eos pax inita fuisset: idquè mandatarium non lateret. Tolet.lib.1. cap.85. n.4.& 5. Lupus par.2. cas.8. secundæ partis, §.4. annot.1.

10 Non irretitur casu isto, qui mandavit Titium occidi, si deinde mandatarius, non mandantis nomine, sed proprio Titium interficiat, eò quòd & ipse Titium odio prosequeretur: Tùm quia mandatum eo casu non fuit efficax: Tùm quia mandatum naturam mandati amittit, si executioni non mandetur in gratiam, & nomine mandantis. Secùs si nomine utriusque executus sit. Ita Toletus loc. cit. §.4. annotat.3.

11 Non subjacet, qui homicidium injustum patrari jussit intra prefixum temporis terminum, cum expressa conditione, ut isto termino effluxo, & homicidio non commisso, à nece abstineret. Nam, elapso termino, apposita conditio perinde est, ac expressa mandati revocatio.

12 Qui, dato injustè cædis mandato, resipiscit ante secutum effectum, potest absolvi per simplicem Confessarium: Quia mandati reservatio requirit actum consumatum. Sed neque postea secuta morte, per se loquendo, tenetur rursus delictum confiteri: Quia nullus tenetur sua peccata semel ritè confessa iterum confiteri: quod verum est, dummodò adhibuerit omnem diligentiam pro revocando mandato. Layman lib.1. trac.2. cap.3. num.5. *versic. quæ doctrina*. Dian. par.3. trac.4. resol.74. quibus subscribit Januar. de cas. reser. resol.23. num.7. in simili de mandante fieri veneficium. Lupus de cas. reser. cas.8. §.4. num.14. & 15.

Per accidens tamen, ratione contractæ obligationis compensandi damni, vel Ecclesiasticæ censurę, potest contingere, ut teneatur rursus effectum injusti mandati, hoc est, homicidium confiteri.

13 Qui injustè mandatum dedit hominem occidendi, sed nunc dubitat, an mandatum à mandatario sit opere completum, potest absolui à quocumque Confessario inferiori. Quia ex eo, quòd Ordinarius non reservauit homicidium dubium, censetur omnibus Confessariis ab eo absoluendi facultatem concedere. Card. de Lugo disp.20. de pœnit. sect.2. n. 18. Dian. par.3. tract.3. resol.4. Vide in priori Elucidarii parte resol.10.

14 Non est obnoxius, qui mandat domi suæ aliquem concludi, vel illi mortem intentari, nisi quidpiam inuitò agat, si ille nimio timore correptus, deinde mortuus sit. Nam tali causę suapte natura non est conjunctus mortis effectus.

15 Non incurrit, qui affirmanti in sui gratiam se hominem necaturum, credit, id ab ipso præstandum, neque tamen contradicit, uel impedit: Quia ad reseruationem non sufficit mandatum tacitum, & interpretatiuum, sed requiritur expressum, & uerum. Incurrit tamen culpã mor-

mortalem, cæterasquè homicidij pœnas, & obligationes. Molin.trac.2.disp.350. & tr.3. disp.33. vide supra annot.5. n 9.

16 Idem ob eamdem rationem soluitur de illo, ad quem rixantem cum Titio cùm confluxissent amici, ab eoque non prohibiti aut repulsi, Titium in sui gratiam interfecerunt. Subiacet tamen reliquis homicidii pęnis. Nauar. in man. cap.27. num.231.

17 Maior difficultas est; si quis mandatum alteri dederit occidendi Titii, sed mandatarius illud tunc recusaverit, an si postea, mutato animo Titium occidat, in reservationem incidat qui mandauit. Affirmat Lupus de cas. reser. par.2. casu octauo partis secundę, §.5. nu.16. si tunc mandans in negationem mandati nihil addiderit: rationem assignat, quia tale mandatum est contra justitiam.

Sed mihi probabilius videtur non incidere: Et ratio est, quia sicut non potest intelligi mandans sine mandatario, ita neque perfectum mandatum sine susceptione saltem tacita mandati: In hoc autem casu tantùm abest, vt intervenerit mandati susceptio, ut potiùs intervenerit expressa mandati reiectio.

Ad rationem Lupi respondeo, ad incurrendam reservationem ratione injusti mandati non sufficere, quod datum sit contra justitiam, nisi etiam fuerit susceptum, & executioni mandatum contra justitiam. Cùm ergo in hoc casu deficiat omnis susceptio, censetur deficere etiam omne mandatum: Ideòque mandans in hoc casu perindè est, ac si non mandasset.

Neque intellecta postea Titii nece, dato, quòd eam approbet tamquam suo nomine patratam, grauiùs delinquit, neque graviores incurrit pęnas, & obligationes, quàm qui ratum habet homicidiũ suo nomine commissum, de quo mox.

18 Non afficitur reseruatione, qui necem suo nomine patratam postea ratam habet: Quia per rati habitionem causa non existit homicidii; cùm ad pręteritum non sit potentia.

Objectio. Videtur ratum habens homicidium suo nomine patratum reservationem incurrere. *Quia rati habitio retrotrabitur, & mandato æquiparatur;* sicuti dicitur *in regula iuris* 10. *in* 6. *& in capit. Cùm quis de sent. excomm. in* 6. habetur, illum incurrere excommunicationis censuram, qui ratam habet Clerici necem suo nomine patratam.

Respondeo ratihabitionem, quoad culpam æquiparari mandato, non tamen quoad reservationis pœnam, quę ad mandatum verum, non uerò fictum est extendenda: ratihabitio autem est mandatum fictum, non uerum. Graff. de cas. reseruat. lib.2. cap.23. num.5. Ad cap. *cùm quis de sent. excomm. allegatum.* Respondeo, quòd ratum habens Clerici necem suo nomine patratam incurrit excommunicationem, perinde ac mandans, quia ita jure cautũ, & decretum est. Non incurrit tamen cęteras juris pœnas, sicuti neque restituendi obligationem, ut docet Couarr. in Clem. par.2. §.1. num.4. Suarez tomo 5. disp.44. sect.3. num.24. Auila par.7. disput.6. sect.2. dub.6. Ianuarius de casibus reseru. resol.22. num.10. Contra Nauarr. in man. cap.27. num.233. & Gyptium de cas. reseru. cap.5. in 3. casum.

Porrò cùm in casu homicidii principalis damnificans censeatur mandãs, qui proinde primo loco, etiam ante ipsum damni executorem ad damni compensationem tenetur, sicuti ex communi docet Lessius lib.2. cap.13. dub.45. nu.42. Nam actio magis tribuitur agenti principali, quàm instrumentali; quando autem Dominus mandat, ut hominem occidat, & is exequatur, famulus est quasi agens instrumentale, quo dominus sicut instrumento utitur. Propterea prudens Confessarius non incumbat totus in eam cogitationem, an scilicet mandatus reseruatione innodatus existat. Sed inprimis à mandante exquirat conditionem personæ interfectę; an fortasse fuerit Clericus: deinde an parti læsę satisfecerit, damnaque hęredibus compensauerit. Quòd si mandantem ea non pręstitisse deprehenderit, ante debitam satisfactionem, vel sufficientem cautionem beneficium absolutionis ei impendere non debet; nisi constet impedimento impotentię detineri.

Quæ damna in casu iniustæ necis, & quibus personis, quave ratione sint com-

P 2 pen-

ANNOTATIO IV.

4 Pro quo notandum, consilium homicidii patrandi duplici ratione dari posse, scilicet, iustè, & injustè. Tunc iustè consilium datur, cùm homicidium committendum justum, & licitum reputatur. Proinde cùm occisio, quæ fit vel auctoritate publica, servato essentiali juris ordine, vel pro necessaria vitæ defensione, imò etiam pro tuendo honorem, vel facultates non modici momenti, vel ad conseruationem vitæ necessarias, quę alia ratione defendi, vel recuperari non possunt, licita, & iusta censeatur; sicuti dictum est supra in priori hujus secundi casus parte annot.9. nu 38. & sequent. fit etiam, ut consilium intuitu illius permissæ occisionis datum reputari debeat licitum, & iustum. Ex adverso cùm homicidium, quod fit auctoritate priuata, etiam ad malefactoris punitionem, vel extra casum necessariæ defensionis, habeatur injustum; ita etiam consilium de illo patrando, iniquum, & illicitum sit existimandum. Siquidem actus morales bonitatis, vel malitiæ speciem accipiunt ab objecto suo: Sicuti docet S. Tho. 1. 2. quæst.18. art.2.4. & 8.

De consilio igitur homicidij patrandi injusto, ac illicito, & contra justitiam dato intelligenda est litera reservationis. Nam reservatio culpam mortalem supponit, quæ in consilio prioris generis non admittitur.

ANNOTATIO V.

5 Ceterum notandum est, sicut homicidium voluntarium in quadruplici differentia existit, ut supra notatum fuit; sic quadruplex esse injusti homicidij cõsilium. Primò homicidii in se, & simpliciter voluntarii, ut si quis, interueniente culpa, & dolo, alteri consilium præbeat homicidii. Secundò homicidii in causa proxima voluntarii, ut si quis alteri suadeat propinationem veneni, vel tale vulnus, cui tanquam causæ suapte natura conjunctum sit homicidium. Tertiò homicidii in causa remota voluntarii, ut si quis alteri det consilium verberandi, ex qua læsione postea verberati mors accidat: Neque desinit esse causa remota, etsi mors in ea fuerit pręuisa, modo suapte natura illi non sit adnexa. Quartò homicidii voluntarii mixti, seu secundum quid voluntarii, ut si quis in rixa inopinato casu contingente, sine prævio consilio, & præmeditato animo rixantem vrgeat, moveat, incitet, ut aduersarium occidat.

6 Vt igitur consequenter loquamur ad dicta in priori, & posteriori hujus casus parte, statuendum est, licèt singula supra dicta consilia sint noxia, & culpæ mortalis damnanda; reservationi tamen subjacere tantùm consilium, seu incitamentum primo, & secundo modo, hoc est committendi homicidium in se, vel in causa proxima voluntarium, deliberato, & præmeditato animo datum; supposito, quòd etiam sit injustum. Sicut in simili supra dictum est de homicidio, & mandato. Eadem enim est consilii, & homicidii ratio, quoad conditionem voluntarii ad reservationem incurrendam requisiti. De quo consule Finellium de cas. reserv. casu 4. n.5.

ANNOTATIO VI.

7 Cęterùm non segniter est advertendũ, quòd consiliũ homicidii voluntarii, & injusti rursus dividitur in consiliuñ efficax, & inefficax: efficax cẽsetur, quod fuit causa homicidii: quia, eo posito, alter motus est ad aliquẽ occidendum, & eo secluso, à nece abstinuisset. Inefficax est, quod causa non existit homicidii, eò quòd, illo secluso, adhuc cædes patrata fuisset.

8 Modò de consilio tantùm efficaci intelligenda est litera reservationis, de eo scilicèt, quod homicidii concausa extitit, efficaciterque in illud influxit. Nam quamvis suadens homicidium alicui iam parato ad occidẽdum mortaliter peccet, rati ne pravi affectus, & intentionis homicidii, nullam tamen incurrit reseruationem; sed neque irregularitatem, & multò minùs restituendi obligationem: Quia verè non fuit causa homicidii, nec damni. Ita Sayr. lib.7. cap.3. nu.1. Petrus

Navar. lib.3. cap.4. num.48. Tolet. lib.1. cap. 79. Lessius lib.2. cap.13. dub.2. nu.5. Lupus de cas. reser. par.2. cas.8. in 3. par. §.4. n.12.

ANNOTATIO VII.

9 Major difficultas est, si quis consilium suum sive verum, sive falsum seriò, & quatenus potuit, retractauit, & nihil intermisit, quo impedire posset homicidium; utrum, eo nihilominus secuto, tam reservationis, quàm irregularitatis pęnam; compensandique damni obligatienem incurrat.

Affirmant Nav. in man. cap.27. nu.333. Molin. tom.3. tract.2. disput.73. Tolet. lib. 1. cap.85. Lessius lib.2. capit.13. dub.3. n.17. fundamentum est; quia suasor verè causa, vel potius concausa homicidij existit, si executor motus rationibus, quas suasor ipsi proposuit, homicidium commiserit: Et confirmatur ex discrimine, quod est inter mandatum, & consilium, quod nos superiùs annot3.. præcedentis partis tetigimus. Nam mandatum nomine, & gratia mandantis fit,. consilium verò datur in gratiam accipientis.

Negant verò Petrus Navar. lib.3. cap.4. n.27. Salon 2.2. qu.620. art.7. contr.6. Sà verb. restit.11. Dian. par.7. tract.5. resol. 83. & quoad excommunicationem, Avila par.2. ca.5. disp.3. dub.7. concl. 3. Henriq. lib.14. cap.16. num.5. & quoad irregularitatem, Innocen. in cap. ad audienda n.11. Sylvest. v. homic.1. n.11. §.3. & n. 12. S. Anton. in 3. part. titul.28. capit.2. §. 2. quoad reservationem verò, Lupus par. 2. cas.8. tertiæ partis, §.4. num.16. Quorum sententiam probabilem fatetur Lessius citat. c.13. n.18. Quia persuasus contrarijs rationibus à sententia potest, & debet dimoveri: Quare si non dimoveatur, homicidium postea secutum non suasoris consilio, sed executoris malitiæ imputari debet.

10 Hinc Layman lib. 1. trac. 5. par.2. cap.5. n.7. in gratiam Confessariorum, ad tollendos scrupulos resoluit. Quòd qui, propositis rationibus, homicidium iniustum persuasit, si eas postea seriò, & quatenus potuit, efficaciter retractauit, secuto nihilominus homicidio, nec in excommunicationem, aut irregularitatem incurrit, nec etiam probabiliter restituendi obligationem contrahit. Quod certius est de reservane, eò quòd per retractationem consilij tollatur ratio prærequisiti voluntarii.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro Incidentibus.

1 Ex prænotatis statuitur regula generalis: Incidit in casum quicumque deliberato animo dat consilium homicidii in se, vel in causa propinqua voluntarij, & injusti, secuto mortis eventu: modò consilium fuerit efficax, & sufficienter non retractatum. Quod verùm est, tàm de viro, quam fœmina doli capace Nam ubi lex non distinguit nec nos distinguere debemus; nisi specialis implicantiæ, ratio distinctionem ponere cogat.

2 Idem resolvitur de illo, qui interveniente culpa, & dolo, alterum efficaciter movet, inducit, hortatur, & incitat ad aliquem injustè occidendum; vel etiam instruit de faciliori, & securiori occidendi modo; si facinus patratum fuit: Nam omnes isti modi veniunt sub nomine consilii. Constat ex annot. 2. & 3. hujus tertię partis n.2. & 3.

3 Incurrit reservationem, qui, post à se datum consilium, & patratam necem dubitat quidem, sed magis in affirmativam partem inclinat, ideòque est quasi mortaliter certus, quod causa, vel potiùs concausa fuerit efficax homicidii: Quia in tali dubio possessio stat pro lege reservante. Sanchez lib.1. moral. capit. 10. numer.74.

Dices. Reservatio nihil operatur circa pęnitentem, sed tantùm circa Confessarium, cui absolvendi facultatem adimit: Ergo licèt pęnitens dubitet de efficacia sui consilii. Confessarius tamen fauorabilem de sua jurisdictione opinionem concipere potest.

Resp.

Resp. In hoc, & similibus casibus bona fides Confessarij dependet ex bona fide pœnitentis: unde sicut bona fides pœnitentis favet, sic mala fides jurisdictioni Confessarii nocet.

4 Subjacet reservationi, qui dedit consilium faciendi abortum fœtus præditi anima rationali, secuto effectu; nec ab irregularitatis nota valet liberari. Filliucius tract.20.n.19. Regin.lib.30. n.96. quo casu incidit etiam in reservationem ex eo, quòd procuraverit abortum suo consilio, cui præterea adnexa est excommunicatio reservata, de qua infra in casu 7. num.1. & 2.

5 Incidit, qui alterum suo consilio simpliciter confirmavit in maligno occidendi proposito; dummodò postea secutus sit mortis eventus: Quia hujusmodi confirmatio censetur efficax in homicidium influxus: Secus dicendum, si tantùm magis confirmavit, ut infra clariùs dicetur.

6 Incidit, qui in bello manifestè injusto efficaciter militi suasit, ut ignitam glandem exploderet in hostem, ex qua hostis remansit extinctus: quia est verum consilium homicidii voluntarii injusti.

7 Idem deciditur de illo, qui suasit, permovit, instigavit, induxit Judicem ad injustam capitis condemnationem, ut scilicèt adjudicaret ad mortem non reum mortis: modò fuerit causa efficax, interveniente culpa, & dolo: constat ex prænotatis.

8 Quod supra resolutum fuit de studiosè occidente, vel occi mandante proscriptum non capitalis pœnæ, aut extra territorium proscribentis, eum scilicet reservatione ligari, idem prorsus asseritur de consulente, concurrentibus aliis conditionibus.

9 Reservationi videtur obnoxius, qui datum homicidii consilium, vel non tempestivè, vel nimis remissè revocavit, si eo consilio motus executor homicidium patrauit patet ex annot.7.

10 Eadem resolutio datur de illo, qui efficaciter alteri homicidium injustum suasit: etsi suasus longum post tempus necem patrare distulerit: Quia sola mora temporis inefficax consilium efficere non censetur, nisi probabiles coniecturæ in concirarium existant.

11 Reservatione denique afficitur, qui homicidium voluntarium, & iniustum alteri consuluit; sed ita res erat comparata, ut si iste non consuluisset, alter in ejus defectum idem consilium dedisset, sicque homicidium adhuc patratum fuisset. Nam sicut ille, alter qui priùs consuluisset, in casum incidisset, ita incidit iste, qui maligno suo consilio alterum prævenit.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro non Incidentibus.

1 Non incidit, qui efficacibus rationibus homicidium injustum alteri persuasit, sed cædes postea non fuit patrata, vel quia suasus noluit, vel quia non potuit. Si quidem non reservatur consilium dolosum, nisi sequatur homicidium injustum.

2 Idem resolvitur de illo, qui alteri consuluit, ut adversarium verberaret; sed executor adeò gra iter percussit, ut tandem mortuus sit: quod verum est, etiamsi mors prævisa fuisset, non tamen intenta. Et ratio est, qnia consilium non fuit homicidii in se, vel in causa proxima voluntarii: Nam simplici verberationi suapte natura non est adnexum homicidium, & ab ea inseparabile; quod requiritur ad rationem voluntarii in causa; ut dictum est supra annot.5. n.5.

3 Non ligatur, qui suadet amico, ut sibi consulat, & instruit de modo cavendi insidias inimici, vel vitandi mortis periculum, aut etiam Judicis multam. Quia instructio hujusmodi diversa est à consilio; à diversis autem non fit illatio. Constat ex annot.2.

3 Idem deciditur de illo, cui Amasia impium detexit animum faciendi abortũ fętus prędit anima rationali, si ille, cũ sit Pater, non dissuadeat, sed taceat: Quia litera reservationis accipienda est de vero, & expresso consilio, non de tacito, & interpretatiuo. Delinquit tamen mortaliter cõtra justitiam, & fit irregularis. Nam cùm sit Pater, tenetur propriam prolem

ab interitu vindicare. Navar. in man. cap. 24. num. 22.

5 Non afficitur reservatione, qui suasit, rogavit, & induxit Judicem, ut malefactorem non injustè damnaret ad mortem, quem tamen non damnasset, nisi eo consilio impulsus fuisset: Quia sicut suspendium non fuit injustum, ut supponitur, ita nec s spendii consilium.

6 Idem resolvitur de eo, qui alteri efficaciter consuluit, ut capitali pœna proscriptum occideret intra territorium proscribentis: Quia eo casu homicidium non est injustum, etsi possit esse illicitum, si non zelo justitiæ, sed odio privatæ vindictę tàm suasor, quàm occisor ad id moveatur.

7 Reservationi non est obnoxius qui, cui parantur capitales insidię, dedit consilium insidiatorem pręveniendi, & occidendi: Quia cùm occisio tali casu non sit contra justitiam, ut docet Lessius lib. 2. c. 9. nu. 45. & 46. reservationi non est locus. Quòd si alia vitandi insidias patebat via, læderet quidem consulens charitatem, nõ tamen justitiam: Ideòque nec reservationem incurreret. Lessius loc. cit. Bonac. de restit. disp. 2. quęst. ult. sect. 1. punct. 9. Dian. par. 3. tract. 5. resol. 90.

8 Non ligatur casu, qui injustum alteri suasit homicidium, ad quod patrandum alter per seipsum dispositus erat: Quia consilium non fuit efficax: deliquit tamen mortaliter interno pravo affectu: Vide supra annotat. 6. n. 8. & Doctores ibi citatos.

9 Utrum verò incidat, qui suo consilio alterum magis tantùm in occidendi proposito confirmauit, vel fuit causa, ut aliquanto citiùs, ac libentiùs homicidium patraretur. Affirmat Lupus de casu reser. par. 2. cas. 8. in 3. par. §. 4. n. 12. *v. addo*, contra quosam Doctores.

Cœterùm mihi cum iisdem Doctoribus negandum videtur: Quia consilium in hisce casibus non censetur efficax, neque secundum partem, cùm ex hypothesi, eo cõsilio secluso, homicidium adhuc committendum erat. Unde corruit fundamẽtum Lupi. Utrùm autem eo casu incurratur irregularitas. Affirmant Molin. tract. 3. disp. 33. memb. 6. n. 6. quia ad irregularitatem sufficit quilibet influxus, non ita verò ad reseruationem, ad quam incurrendam requiritur, ut influxus sit efficax.

10 Qui alteri, propositis rationibus, homicidium injustum persuasit, si eas postea seriò, & efficaciter reuocauit, secuto nihilominus necis euentu, tàm à reseruatione, quàm cœteris homicidii pœnis, & obligationibus immunis censeri debet: constat ex annot. 7.

11 Suasor, ex cujus maligno consilio alter lethaliter vulneratus est, si antequã vulnerat i mors sequatur, ritè confessionẽ instituat, à Confessario simplici potest absolvi. Quia etsi delictum g rave commiserit, illud tamen reservationi non est obnoxium: Siquidem reservatio in hoc casu requirit actum consumatum, hoc est, vulnerati interitum Layman libr. 1. tractat. 2. cap. 3. n. 5. *vers. Quæ doctrina*. Dian. part. 3. tract. 4. resol. 74. quibus subscribit Januar. de cas. reser. resol. 23. n 7. Lupus de cas. res. cas. 8. §. 4. n. 14. & 15.

12 An autem postea, vulnerati morte secuta, iniquu suasor reservationem incurrat, teneaturq; Superiorem, seu Pęnitentiarium adire: difficultas resoluta manet ex supradictis de executore, & mandante: ubi negativam sustinuimus, rationemque assignavimus: quia pœnitens jam dolosi consilii delictum ritè clavibus subjecit, ejusdemque directam absolutionem obtinuit. Ita pręcitati Doctores ll. cc. Fateor tamen plerumque necessarium esse, ut sacerdoti postea explicetur, an homicidium secutum sit, tùm ob obligationem compensandi damni in defectum principalis, tùm ob Ecclesiasticam censuram, vel irregularitatem.

13 Utrùm verò, qui homicidium suasit, sed probabiliter dubitat, num suasus motus sit odio vindictæ, an dato sibi consilio, censendus sit incidisse. Affirmat Lupus loc. c. §. 7. annotat. 2. citans Lessium, & Naldum. Cujus ratio est, quia nemo præsumi debet malus, & quòd sit patraturus delictum, nisi impulsus sit efficaci consilie.

Cœterùm probabilius mihi videtur nõ incidisse: Tùm quia reservatio, cùm sit odiosa, non est extendenda ad casus pro-

priè

priè dubios: Tùm quia in dubio propriè dicto melior est conditio pœnitentis, & Confessarii suam jurisdictionem possidentis. Quæ regulæ militant tàm in dubio contradictionis, quàm contrarietatis actus. Ita Henriq. l.14. n.3. qui licèt ibi agat de irregularitate, tamen ejus opinio, & rationes multò magis fauent reseruationi, quæ majorem, certioremque influxum requirit, quàm irregularitas; & expressè tenet Merola in disp. theol. tom. 1. disp.3. cap.3. coroll.23. num.370. Sà Verb. restit. num.34. Nec ratio Lupi conuincit. Nam præsumptio sumi debet ab eo, quod frequentiùs, non quod rariùs contingit. Sæpiùs autem contingit, homicidam moueri propriæ vindictæ odio, rariùs alterius consilio.

14 Non afficitur reseruatione, qui alicui leviter offenso Judicio, jocosoque modo suasit, vt offensorem occideret, si idcircò jocosè suasus offensorem occidat: qui casus non ita pridem contingit Brixiæ. Tùm quia jocosè consulens coram Deo non delinquit mortaliter, maximè si de periculo necis nihil suspicatus fuerit; Tùm quia homicidium eo casu non jocoso consilio, sed brutali executoris genio, vel insano furori imputari, & adscribi debet.

15 Eximitur à reservatione, sed non à peccato, qui dictum, vel factum alterius prouocatiuum ad iram retulit, ex quo alter commotus illius dicti, vel facti auctorem interfecit. Tùm quia talis relatio non est expressa homicidii suasio, vel instigatio; & licèt æquipolleret, adhuc tamen non incideret: Quia in materia reservationis non valet argumentum ab æquipollenti, teste Naldo v. casus num.3. Coriolan. Lezan. in sum. tom.3. *v. casus reservati*, n.13. Tum quia non est suasio homicidii in se, vel in causa propinqua voluntarii: Nam tali causæ suaptè natura non est conjunctus occisionis effectus, & ab ea inseparabilis, quod requiritur ad voluntarium in causa propinqua; ut pluries memini, me dixisse.

DE GRAVITATE HUJUS *Delicti, & Obligatione Confessarii.*

Flagitium tam immanè est homicidium, tamque illud Deus detestatur, ut vel à bestiis cædis hominum pœnam se repetiturum minetur. Sunt enim homicidæ humani generis hostes accerrimi, qui, quantum in ipsis est, vniuersum Dei opus euertũt, cùm hominem interimunt, cujus gratia Cunctipotens omnia creavit. Cujus sceleris grauitatem ostendit Ecclesia, quæ sanguinarios homines ab altaris ministerio perpetuò arcendos decreuit. Hinc Ordinarii ferè omnes delictum hocce, utpotè perniciosum, horrendum, & immanè jure meritò sibi reseruarunt.

Quod verò spectat ad absolutionem, aduertat prudens Confessarius, ne in eam cogitationem conferat omnem conatum, ut cognoscat, num reseruationis vinculo ex voluntaria hominis cæde pœnitens sit obstrictus. Sed præ cæteris damnorum compensationem ob oculos habeat. Propterea meminerit.

Primò, quòd mandans homicidium injustum committi, primo loco etiam ante ipsum homicidii executorem ad damnorum restitutionem obligatur. Sicut ex communi docet Lessius l.2. cap.13. dub.5. n.42.

Secundò si nullus homicidium fieri mandauit, quòd tunc homicida, siue executor ante cæteras concausas restituere tenetur; ut habet Lessius loc. cit.

Tertiò, quòd in defectum mandantis executor, & in defectum utriusqoe, si neque restituerunt, neque putantur restituturi, vel quia nolunt, vel quia nequeunt inductor, seu suasor præstare damna cogitur, Lessius loc. cit. Quod si suasor, vel alia ex secundariis causis hęredibus occisi damna compensauit, non properà liberatur mandans, vel executor, sed cogitur restituere, quod hæredibus occisi consulens dedit, atque illi dare debuerant.

Quoad damna verò ex injusto homicidio sarcienda. Primò injustus occisor tenetur ad expensas in curatione occisi

factas.

Jactas. Lessius lib.1. cap.9. dub.19. numer. 124.

Secundo, si occisus solitus erat aliquo officio, vel arte quæstum facere, restituere tenetur homicida non totum lucrum, sed spem lucri. Quia minùs valet res in spe, quàm in re. Quæ æstimatio non est desumenda ex ætate sexaginta annorum, sicuti spectatur in alimentis; ut aliqui volunt; sed facienda est viri prudentis judicio, sine ulla detractione laboris. Lessius cit. lib.2. cap.9. dub.20. nu.128. ex communi.

Tertiò præcisè pro damno vitæ (idem est de mutilatione, seu cicatrice) nulla restitutio facienda est ante judicis sententiam: Quia sunt bona diversi generis, & altioris ordinis, quæ æstimari non possunt. Solùm igitur damnum pecuniarium ex homicidio secutum pensari debet: est communis DD. sententia apud Lessium cit. cap.9. dub.23. numer. 145. & Laym. lib. 3. tract. 3. contra Sotum, & Sylvest.

Quartò si læsus ante mortem omnia remisit, mandans, occidens, consulens &c. ad nihil tenentur. Quia filijs non fit injuria per homicidam, nisi quatenus lęduntur in patre contra ipsius voluntatem. Lessius citat. cap.9. dub.26. num. 258.

Quod si homicida pœnam talionis sustinuit, hoc est, eadem mortis pœna plexus fuit; verius est adhuc ad damna teneri, si hæredes occisi exigant: Secùs si non exigant: nam eo casu pęnæ talionis censentur acquiescere: sicut habet usus, & docet Less. dub.23. num.139. Diana par.5. tract. 4. resol.60.

Quintò pro expensis funeris nihil ordinarie restituendum est: excepto, si occasione illatæ necis, v gr. extra patriam, majores fieri oportuit.

Sextò homicida, ex justitia non tenetur ad eleemosynas, vel Missas pro salute occisi. Saluberrimum tamen est consilium, ut Confessarius eas in sacramentali confessione injungat. Dian l. c. resol.55.

Septimò, hæc damnorum compensatio facienda est tantùm parentibus interfecti, filiis, & uxori: Quia hi soli moraliter censentur una persona cum occisor. Ideòque hosce solos lęsit injustus occisor. Lessius dub.26. num.155.

Octavò etsi probabile sit damnum creditoribus occisi illatum ab homicida farciendum esse, sicuti docet Molina tractat.3. disput.83. numer.8. Layman. lib. 3 tractat.3. part.3. cap.6. numer.4. Quia arctiore obligatione tenebatur occisus erga creditores, quàm erga uxorem, & filios. Contrarium tamen videtur probabilius; eo quod occisio per accidens sit illius damni causativa; quod Confessariorum praxis confirmat; sicuti testatur ipsemet Layman loc. citat. in fine. Consule Lessium loc. citat. dub. 26. num.151.

Nonò multò minùs tenetur compensare damnum, quod provenit alicui tertio, cui per errorem, vel malitiam accusatorum homicidii crimen imputatum fuit. Quod verum est, quamvis homicida id prę viderit, dummodò per se non intenderit (imò secundùm Lessium citat. cap. 9. dub. 16. numer. 113. etiam si intenderit, dummodo actio illa talis non fuerit, ex qua homicidium alteri imputandum esset) Quia eventus ille valdè casualis est, & damnum per accidens sequitur: proindèque homicidæ imputari non debet. Ita Molin. loc. citat. disput. 86. numer. 3. Layman. citat. cap. 6. numer. 3. Bonacin. de restitut. disp. 2. quęst. ultim. sect. 2. punct. 2.

(∵)



IN

IN TERTIUM Casum Reservatum, IN EDICTO

Sub hac litera expressum.

Periurium testis in judicio.

ANNOTATIONES.

1 *Snb quibus terminis olim fuerit in Diœcesi Brixiensi inducta bujus casus reservatio.*
2 *Perjurium dupliciter accipitur lato, & stricto modo.*
3 *Quid propriè sit periurjum, & quomodo sumatur in casu.*
4 *Triplex datur perjurium (quemadmodum triplex constituitur juramentum) assertorium, promissorium, & comminatorium.*
5 *Periurium tantùm assertorium cadit sub dispositione propositi casus.*
6 *Periurium aliud verbale, aliud reale, aliud mixtum.*
7 *An unumquodque reservatione Episcopali sit comprebensum.*
8 *Periurium aliud tale materialiter tantùm, aliud formaliter solùm, aliud materialiter, & formaliter simul.*
9 *Quodnam ex istis reservantis juris dispositioni sit subiectum.*
10 *Periurjum assertorium aliud actoris, aliud rei, aliud testis.*
11 *Litena reservationis loquitur tantùm de periurio testis in judicio.*
12 *Triplex datur judicium, aliud publicum, aliud privatnm, aliud à partibus constitutum.*
13 *Reservatio hujus casus extenditur tantùm ad iudicium publicum.*
14 *Iudicium publicum duplex, iuridicum, sive legitimum, & non legitimum.*
15 *Enumerantur casus, in quibns Iudex censetur legitimè procedere.*
16 *In quibus casibus Iudex non putetur servare juris ordinem.*
17 *Quoties Iudex legitimè interrogat, testis veritatem aperire tenetnr: secùs si legitimè non procedat*
18 *Vestis, cùm non servatur juris ordo, etsi amphibologica locutione uti possit, nunquam tamen mentiri licèt.*
19 *Quoties testis non tenetur aliquid revelare iniuriatus, neque cogitur iuratus.*
20 *Si Iudici legitimè interroganti testis amphibologico sermone respondeat, an periurium reservationi obnoxium committat.*
21 *Refertur sententia affirmans.*
22 *Negantem probabiliorem putat Authbor.*
23 *Discrimen inter depositionem falsi, & periurium testis in judicio, valdè notandum.*
24 *Ad incidendum in reservationem an requiratur tertij præjudicium.* Refertur duplex sententia.
25 *Periurium testis in iudicio in Brixiensi Diœcesi, sive in præiudicium, si e in tertij favorem vergat, reservationi est obnoxium.*
26 *Nomine tertii venire nequit justitia legalis.*

ANNOTATIO I.

1 Olim in Brixiensi Diœcesi huiusce casus reservatio inducta fuit sub his terminis. *Qui falsum in judicio testimonium sive in gratiam, sive in alterius damnum deposuerit.* Uti videre licet apud Lælium Zeccum casu 12.

Nunc verò variata est casus dispositio, & aliqua ex parte extensa reservatio: ut patet ex ipsa litera reservationis, & ex dicendis clariùs patebit.

ANNOTATIO II.

2 Pro quo notandum est, quòd periurium potest sumi dupliciter, scilicet latè, & strictè. Periurium latè significat omne juramentum illicitum, seu perversum, id est, aliquo trium comitum destitu-

tutum, qui sunt veritas, judicium, & justitia. Strictè verò, ac propriè acceptum significat mendacium juramento confirmatum: sicuti definivit S. Thom. 2. 2. q. 98. artic. 1. & S. Hieronymus super caput 4. Hjerem. relatus in cap. 2. causa 22. quęst. 2. *Mentiendo jurare nihil aliud est, quàm pejerare*.

3 Periurjum contrariè opponitur juramento vero, ac religioso. Juramentum autem (verum, & Religiosom) est invocatio Divini testimonii in confirmationem alicujus veritatis. Igitur perjurium est invocatio Divini testimonii in confirmationem falsitatis, & mendacii.

Cæterùm nomen periurii in proposito casu sumi debet strictè, ac propriè, nimirùm pro juramento veritate destituto. Nam verba legis quæ habet quamdam rationem pœnę, cujusmodi est reservatio, sumenda sunt secundùm propriam significationem, retenta proprietate vocabuli, & non per extensionem: cùm reservatio sit odiosa, ideòque strictè interpretanda. Ita Naldus, *v. casus*, num. 3. Coriolan. de cas. reseru. par. 1. sect. 1. artic. 5. Meroll. tom. 1. disput. 3. cap. 3. dist. 2. coroll. 23. numer. 370. Lezana in summ. tom. 3. *v. cas. reserv.* num. 13.

ANNOTATIO III.

4 Verùm notandum est, quemadmodum triplex datur juramentum, scilicet assertorium, promissorium, & comminatorium, quæ singula deinde subdistinguuntur in illud, quod fit per simplicem Divini nominis contestationem, & illud, quod fit per execrationem, cùm jurans sibi ipsi, vel alteri dilecto mali quidpiam à Deo falsitatis vindice imprecatur, nisi verum sit, quod asserit, vel promittit. Ita triplex dari perjurium, si nimirùm prędictis tribus juramenti generibus veritas desit. Periurium assertorium committitur, cùm, interposito Divini nominis testimonio, asserit mendacium de dicto, vel facto rem præteritam, vel præsentem respiciente. Periurium promissorium cùm quis eadem Divina auctoritate confirmat mendacium, seu mēdacem promissionem circa rem futuram. Comminatorium verò, cùm, invocato eodem Divino nomine, confirmatur mendacium seu mendax minitatio alicujus mali, vel pœnę alteri comminatæ, v. gr. si quis dicat, per Deum ego te cædam, sine cædendi animo, quod referri potest ad genus periurii promissorij.

5 Cæterùm reservantis juris dispositio censetur comprehendere tantùm periurium assertorium. Nam juramentum tantùm assertorium deseruit ad eruendam alicujus rei veritatem in judicio, cujus intuitu Episcopali reservationi fuit subiecta judicialis ejusdem violatio.

ANNOTATIO IV.

6 Prætereà observandum est, quòd periurium assertorium, sicuti & juramentum, aliud est verbale, aliud reale, aliud mixtum ex utroque. Periurium verbale est mendacium divini nominis invocatione explicitè, v. g per Deum ita est, vel implicitè, v. gr. per Crucem sacram, aut per sancta Evangelia, confirmatum. Periurium merè reale fit, cùm Evangeliorum liber, aut alia scriptura loco Evangelij, omissa omni verborum forma ab eo, qui jurare jubetur, manu tangitur. Periurium verò mixtum fit, cùm jurans utrumque præstat, nempè, & verba profert, & tactum interponit, juramentum significando.

7 In edicto igitur reservationis comprehenditur omne periurium assertoriū, tam verbale, aut reale tantùm, quàm mixtum, concurrentibus aliis conditionibus, de quibus infra.

ANNOTATIO V.

8 Verùm non segniter notandum est, quòd periurium assertorium aliud est tale materialiter tantùm, aliud formaliter solùm, aliud materialiter, & formaliter simul. Tunc periurium est tale materialiter tantùm; cùm quis existimans jurare verum, ex errore, & præter intentionem jurat falsum: tunc tale formaliter, cùm quis intendens iniqua mente jurare falsum, præter intentionem jurat verum: tunc verò materialiter, & formaliter simul

mul, cùm quis & intendit jurare falsum, & reipsa jurat falsum. Modò certum est, perjurium, quod est tale solùm materialiter, sicut eximitur à culpa, sic eximi etiam à reservationis pœna.

9 Difficultas est de perjurio testis in judicio, quod est tale formaliter tantùm, eò quòd existimans deponere, seu jurare falsum in judicio ex errore juravit verum. Et fortè aliquis hujusmodi perjurium existimarit reservationi obnoxium: quia verè iste mentitur, mendaciumque juramento coram judice confirmat; Ideòque reipsa perjurii crimen committit.

Cęterùm contrarium est sustinendum, videlicèt si testis intendens iniqua mente jurare falsum in judicio, per errorem, & ignorantiam juramento deponat verum, & si ob pravum affectum moraliter delinquat contra præceptum naturale Divinum, & teneatur etiam ad damnorum refectionem; cùm delictum, v.g. in causa accusationis, quod est ita occultum, ut nullo modo probari possit in judicio, perinde sit, in ordine ad forum externum, ac si non esset commissum: quo casu accusator dicitur calumniator, & testes dicuntur falsi, & iniqui; Ideòque damna inde provenientia sint resarciẽda: Nullam tamen incurrit reservationem ob defectum conditionis, ac circumstantiæ, quam jus reservans requirit, nempè falsitatis seu mendacii tàm materialis, quàm formalis in judicio. Neque refert, quòd in hoc casu testis verè perjurii crimen committat: nam verùm est affectivè, & ex intentione pejerantis, non verò effectivè, & ex natura perjurii. Siquidem hujusmodi assertio jurata reipsa non innittiur falsitati, sed veritati: & licèt jurans formaliter, & affectivè dicatur juramento confirmasse falsum in judicio; non tamen materialiter, & effectivè quorum utrùmque requiritur ad incidendum in casum. Ita Januarius de cas. reser. resol. 57. n. 2. in fine. Lupus par. 2. cas. 7. §. 4. in simili de testimonio falso. Mazuch. de cas. reser. disp. 2. cap. 19. difficul. 2. q. 3. numer. 50. & 53. in simili de depositione falsi. Qui rectè monent, quòd perjurus in hoc casu teneretur nihilominus pro absolutione Superiorem ratione conscientiæ erroneæ: Nam conscientia erronea quandiù non deponitur, obligationem inducit. Cœterùm, cognita veritate, à Confessario simplici posset absolvi.

ANNOTATIO VI

10 Præterea valdè notandum est, aliud esse loqui de perjurio testis in judicio, aliud de perjurio habentis interesse in judicio. Nam etiam aliæ personæ præter testes possunt pejerare, & sæpènumero pejerant in judicio, ut accusator, & reus in criminalibus, & similiter actor, & debitor in causis civilibus, si Judex ab ipsis juramentum exigat.

Cœterùm cùm isti in propria causa interesse habeant, non veniunt nomine testis, præsertim in materia odiosa, qualis est reservatio.

11 Unde perjurium testis tantùm, non autem actoris, vel rei, aut alteriùs habentis interesse in aliquo judicio reservationi obnoxium censeri debet. Peccant tamen, & isti quàm graviter ob interpositionem veracissimi Dei nominis, vel in negationem veritatis, vel confirmationem falsitatis.

ANNOTATIO VII.

12 Sed ulteriùs notandum est, nomen judicii tripliciter sumi. Primò pro judicio privato, & extrajudiciali, quod fit pro eruenda aliqua veritate, adhibito testium juramento. Secundò pro judicio privato, quod fit à judice privatim electo, & à partibus contendentibus, ad dirimendam inter eos aliquam controversiam, constituto. Sicut solet fieri in compromissis privatis, si testes in iis assumantur. Tertiò pro judicio publico ordinaria, vel delegata potestate incœpto, & constituto, quod cum auctoritate per sententiam profertur causa discussa, tribusque constat personis, scilicèt actore, reo, & Judice, quarum una dempta, resolvitur judicium.

13 De hoc igitur tertio genere judicii tàm civilis, quàm criminalis, tàm coram Ecclesiastico, quàm sæculari Judice, intelligẽdam censeo reservationis literã, si vi-

si videlicèt in ejusmodi judicio testium probationes sumantur, in ejusque actis pubblicis mendacium juramento confirmetur: Nam primum, & secundum non sunt vera judicia: in materia autem reservationis verba debent sumi secundùm strictam, & propriam verborum significationem, omissa impropria: Sicuti docet Coriolanus cit.p.1. sect.1. art.5. Bon.disp. 5.de sacr.q.7.punct.5.§.4.Ian.de cas.res.resol.18.n.6.

Unde uniuersim loquendo, si testis coram quacumque persona, pro quacumque re, & in quocumque officio, præterquam in judicio, quod constat actore (vel judiciali officio, gerente vicem actoris, seu accusatoris, ut in inquisitionibus criminalibus, & delictis semiplenè probatis) reo, & judice falso præstet juramentum, licèt periurii damnandus sit, à reservatione tamen immunis censeri debet.

ANNOTATIO VIII.

24 Insuper notandum est, iudicium publicum, qnod tribus diximus constare personis, aliquando esse juridicum, & legitimum, aliquando non. Tunc juridicum habetur, cùm judex juridico ordine procedit; non juridicum, cùm juris ordinem non servat.

15 Et quidem in his casibus censetur Iudex juridicè procedere. Primò si auctor laboret criminis infamia. Secũdò si damnum immineat communitati, nec possit nisi per judicem averti. Tertiò si damnũ alicui privato impendeat, nec possit aliter impediri. Quartò si crimen jam sit semiplenè probatum. Quintò si procedatur via accusationis, & crimen plenè probari possit, saltem per duos testes, qui sint contestes. In his igitur casibus, sicut Iudex juridicè interrogat; sic testis juridicè interrogatus aperire tenetur veritatem. Vide D. Thom.2.2.quæst.70.art.1. Less. lib. 2.c.30 dub.6.nu.43. Laym. lib.3.tract.6. c. 4.num.8.

16 Casus verò, in quibus Iudex non censetur juridicè procedere, enumerantur à Lessio cit.dub.6.n.45. Card.de Lugo de just,disp.39.num.10.& sunt sequentes. Primò si res innotescat ex sacramentali confessione. Secundò si sub secreti naturali sigillo alter crimen accepit, ut consultor, adiutor, Advocatus, Medicus, obstetrix, & similes, dummodo tamen testificatio ad avertendum damnum publicum, vel privatum non sit necessaria. Tertiò si auctor laboret infamia, nec timeatur damnum in futurum. Quartò quando proceditur via accusationis, & delictum plenè probari non possit, v. gr. quia desunt duo testes, qui sint contestes, hoc est, qui conveniant in loco, & tempore commissi delicti, vel contracti debiti in causa civili. Quintò si ex testificatione notabile damnum ipsi testi, vel ejus consanguineis immineat; præterquam si alterius damnum publicum, vel privatum præponderet: unde nemo regulariter contra consanguineos testari tenetur, ut notat Cardin. de Lugo loc. cit. Sextò si alter probabiliter in facto non peccavit, vel ob ignorantiam, vel quia rem accepit in occultam compensationem debiti, ex quo tanquam de furto inquiritur. Nam mens Iudicis est inquirere de delicto. Septimò si accepit à personis non admodũ fide dignis. Imò qui solùm quidpiam audivit, potest deponere; nescire secundum probabilem doctrinam Emanuel Sà Vers. judiciales actus de testibus num. 8. Medullæ Theolog. Moral.lib.5.cap.3. artic.4. dub.6. resp. 2. Bassæi *in floribus Vers. testis* num.7. quando delictum, de quo inquiritur, consistit in facto, & non in voce. Octavò denique si Judex sit incompetens.

17 In istis igitur casibus sicut Judex non legitimè interrogat; sic nec testis veritatem fateri tenetur. Ita Navarr. capit.25. num.42. & 50. Lessius loco citato dub.6. num.46. Bonacin. de test. punct. 3. num.6.7.& 8. Layman. loc. citat. cap.4. n 9. Dian.par.2.tract.1.resolut.63.par.3.tract.5. resolut. 100. & 101. Bassæus citat. num.6. & 7.

18 Adverte tamen, quòd licèt testis interrogatus à non suo Iudice, vel juris ordine non servato, respondere non teneatur, si tamen coactus respondere velit, mentiri non potest; etsi possit æquivocare; S.Th.2.2.q,69.art.1.

19 His

19 His addendum, quòd quando testis non tenetur fateri veritatem, sine juramento, quia legitimè non interrogatur, neque tenetur cum juramento; modò verbis ambiguis mendacium effugiat. Lessius cit. dub. 6. n. 51.

Quòd si illud juramento confirmet, adhuc à reseruationis pœna immunis censeri debet; cùm legitimi judicii ratio deficiat. Graffius de cas. reser. lib. 1. cap. 17. num. 31.

ANNOTATIO IX.

20 Vtrùm verò perjurium committat, & consequenter in reseruationem incidat testis ille, qui Judici legitimè interroganti respondet, vtendo amphibologica locutione, quæ secundùm mentem Judicis interrogantis falsa quidem est, vera autem secundùm mentem testis respondentis.

21 Affirmant quoad periurium Cajet. Sot. Azor. Henriq. ConincK, quos citat, & sequitur Laym. lib. 4. tract. 3. cap. 13. num. 5. 6. & 7. & quòad reseruationem, loquendo de depositione falsi, tenet Graff. loc. cit. n. 33. cui sucribit Lupus de cas. reser. par 2. cas. 7. §. 6. in fine, nec dissentit Mazuch. disp. 2. cap. 4. quæst. 3. num. 46.

22 Cœterùm probabiliùs negant Syluest. Nau. Sà, Philiar. Valen. Tolet. Suarez, Rodriq. Regin. quos sequitur Less. lib. 2. cap. 40. dub. 5 num. 35. & subscribit Dian. par 2. tract. 1. resol. 25. & par. 3. tr. 6. resol. 30. quibus addo Sanch. lib. 3. mor. cap. 6. num. 15. Et quoad reservationem aduersatur Jan. de cas. reser. res. 51. n. 2. Et ratio est, quia mentiri est contra mentem loqui; atqui in proposito casu testis non loquitur contra id, quod in ejus mente falsum est, sed quod verùm: propterea enim retinet partem responsionis in mente, cum qua responsio externa verùm sensum habet, quem etiam jurare intendit. Ergo non mentitur, & consequenter non est periurus, cùm periutii propriè dicti vnica sedes sit mendacium. Esto igitur testis graviter peccet, vtendo sine justa causa responsione æquiuoca, propriè tamen non mentitur, neque peierat; & consequenter neque reseruationem incurrit. Nam reservatio in casu nostro inducta non est sub terminis depositionis falsi, sicut habet. Graff. Lup. & Mazuch. sed sub termino periurii, quod hìc abesse euidenter constat.

ANNOTATIO X.

23 Pro cujus rei intellectu notandum est, magnum discrimen intercedere inter depositionem falsam testis in judicio & periurium testis in judicio. Nam quoties testis legitimè interrogatus affirmat aliquem articulum falsum, vel negat verùm in judicio, toties quidem deponit falsum, & committit mendacium; non tamen committit periurium, nisi mendacium hujusmodi juramento confirmet. Et quamuis necessariò testes debeant esse jurati, vt patet ex cap. Nuper. n. 51. de testib. alioquin eorum testimonio in alteriùs præjudicium fides non præstatur in judicio, teste Layman lib. 3. tract. 6. cap. 4. n. 5. Tamen si testibus, vel ex incuria, aut inaduertentia Judicis, vel Tabellionis, nullum deferatur juramentum, vel ex partium consensu remittatur; erit quidem depositio falsa in judicio, si veritate non nitatur, non tamen periurium testis in judicio, & consequenter neque casus reseruatus; tùm defectu periurii, quia periurium non subsistit sine mendacio juramenti religione firmato· Tùm defectu veri testis, quia juramentum est de essentia testis, & testimonium sine juramento non est verè testimonium: sicuti constat ex supra relato cap. Nuper. & docet Laym. l. 3. tr. 6. cap. 4. n. 6. Graff. loc. cit num 27. Januar. de cas. reser. quorum sententiæ, tanquam probabiliori adhæret Mazuch. l. c. cap. 19. q. 2. n. 26. & 27. contra Gyptium cas. 7. & Lupum eodem cas. 7. num. 27. *vers. tertiò idem sequitur*.

(..)

A N-

ANNOTATIO X.

24 Vtrùm verò ad reservationem hujusce casus incurrendam requiritur etiam damnum tertii, affirmat Graff. lib. 1. de falsis testib.cap.17. num. 12. cui subscribit Belloch.de caf.reser.par.2.quæst.9. nu.98. nec dissentit Lupus caf.7.n.27. illation. 6. Fundamentum est, quia falsum testimonium seu falsa depositio tria necessariò includit: nempè immutationem veritatis, dolum deponentis, & damnum tertii: unde altero ex his deficiente, v. gr. damno proximi, testimonium falsum propriè nõ potest dici, eò quòd falsitas necessariò tertii damnum includat: Idque verum esse ajunt non tantùm in iis locis, ubi in litera reservationis additur hæc particula, *in tertii præjudicium*, sed etiam in iis, in quibus non additur, eò quòd, licèt expressè non sit addita, implicitè tamen intelligatur.

Contrarium probabiliùs sustinet Mazuch.de caf.reserv.disp.2.cap.19.q.2. n.19. quod probat ex Metropolitanæ Ecclesiæ Mediolanen. praxi, & auctoritate doctissimorum virorum, quos de hac re se consuluisse fatetur, confirmat.

Verùm quidquid sit de hac difficultate, certè doctrina, & opinio Graffiis, Belloch. & Lupi ll. cc. non habet locum in casu nostro, cujus reservatio lata est non sub terminis testimonii falsi seu falsæ depositionis, sed sub terminis perjurii testis in judicio. Vnde quoties quis mentitur in judicio, mendaciumq; suum juramento confirmat, sive id in favorem, sive in tertii prejudicium cedat; toties periuriũ committere, & consequenter in reservationem incidere, proculdubio censeri debet. Nam laxior est casus perjurii testis in judicio, quàm testimonii falsi sive falsæ depositionis in eodem judicio: Quia ad rationem perjurii sufficit dolosa veritatis immutatio, addito juramento; ad falsitatem verò secundùm Graff. loco citato præter dolum requiritur etiam damnum tertii.

Præterea veritatis occultatio cum juramento in judicio, restrictione mentis seclusa, est perjurium reservationi subiectum, & tamen à ratione falsæ depositionis recedit. Quia hæc dicit positivam assertionem, illa meram non manifestationem veritatis. Siue ergo in gratiam, siue in alterius damnum testis scienter, & malitiosè pejeret coram Judice, semper delinquit mortaliter, & reseruationem incurrit. Et hanc esse communem hujus casus intelligentiam, testes mihi fuere grauissimi, ac doctissimi viri, hac de re à me consulti. Inter quos P. Andreas Cadæus, Oratorii Brixien. Sacerdos, spectatissimus in sacra canonum, ac uniuersa morali doctrina præstantissimus: idque praxis interni fori Ecclesiæ Brixiensis confirmat. Nam quælibet juris dispositio interpretationem recipit à consuetudine, teste Franc. de Leone *in thes. fori Eccl. par. 1. c 24. n. 22.*

Addo, cùm reseruatio pendeat ex mente Reseruantis, præsumendum non esse de contraria mente Sapientissimi Legislatoris, noluisse scilicèt reseruationi subiicere perjurium testis in judicio, nisi cederet in præjudicium tertii: sed censendum est, reseruantis juris adminiculo potiùs uoluisse tùm Sanctissimi Dei nominis honori consulere, cui insignis irrogatur injuria judiciali perjurio: Tùm etiam ire obuiam eorum testium improbitati, qui ementita jusiurandi religione publica peruertunt judicia cum maximo Reipublic. damno, & præjudicio. Esto igitur perjurium testis in judicio in nullius uergeret nocumentum, adhuc nihilominus esset reseruationi obnoxium. In quo tamen multi testes, & non pauci Confessarii etiam decipiuntur; illi existimantes citra graue peccatum eo casu mentiri posse in judicio; isti integrum sibi esse absoluere pejerantes coram Judice absq; alia facultate; quando nullus læditur, & alter iuuatur. Sed, ut dixi, eorum opinio est erronea: Ideòque prorsùs deponenda.

25 Quòd uero aliqui, ut Belloch. loc. cit. n. 93. nomine tertii intelligunt etiam justitiam legalem, cui juramento falso infertur præjudicium, id uidetur recedere à communi, & proprio loquendi more. Siquidem præjudicium iustitiæ legalis reperitur in omni judiciali perjurio, etiãsi nullum afferatur Parti nocumentum.

Et

Et propterea supervacaneum videtur introducere præjudicium hujusmodi ad incurrendam reservationem contra deponentes falsum in judicio, sub conditione præjudicii tertii impositam.

RESOLVTIUA PRAXIS

Pro Incidentibus.

Ex prænotatis resolvitur, reservatione ligari eum testem, qui scienter, & malitiosè perjurium præstat assertorium, tàm reale, quàm verbale coram Judice competente, vel Notario mandatum Judicis habente: Quia concurrunt omnia ad hanc reservationem requisita.

2 Subjacet lethali culpę, & reservationis pœnæ testis ille, qui scienter, & malitiosè pejerat, ut supra, tàm si perjurium in gratiam, quàm in alteriùs damnum prętetur in judicio; constat ex annot.10. num.25. Hoc interest, quòd scienter pejerans apud Judicem in alterius damnum, in defectum principalis tenetur etiam ad damnorum refectionem.

3 Idem resolvitur de illo, qui cùm sit testis tantùm de auditu, eò quòd audierit, Seium interfectum esse à Cajo, cum juramento testatur in judicio tanquam testis de visu, & certus de facto. Nam mendacium perniciosum Divini nominis contestatione confirmat circa specialem circumstantiam, & conditionem, quam jura in testibus requirunt. Mazuch. loc.cit quęst.2. n.23.

4 Neque propterea reservationem effugit, licèt homicidium verè fuerit à Cajo commissum ex suppositione: Nam adhuc testis committit perjurium in judicio non tantùm formaliter, sed etiam materialiter; cùm reipsa non fuerit testis de visu, & certus de facto.

Addo perjurium in hoc casu vergere in maximum prejudicium Caii: Nam testis fide dignus, omnique exceptione major facit semiplenam probationem; testis verò de auditu solùm judicium generat levissimum.

5 Etsi testis examinatus tertius, vel quartus, postquam innocens per duos, vel tres testes reus sive debitor fuit convictus, non teneatur ad restitutionem, si & ipse falsum malitiosè deposuit in judicio, sicuti docent Vasquez de restit. cap. 2.§.1. dub.4. num.11. Dian. par.3. trac.5. resol.105. quia tanta causa damni jam erat data per priores testes; committit tamen perjurii crimen in judicio, quia veritas consistit in indivisibili, & consequenter innodatur reservatione. Secùs si reservatio lata esset contra deponentem falsum contra innocentem, vel in damnum tertii. Graff. de cas. reser. l.1.c.17.n.2. & 28. Januar. de cas. reser. resol.48. n.1.

6 Reservationem incurrit testis ille, qui dubiam, & incertam veritatem juramento confirmat coram Judice tanquam certam, & exploratam. Quia adsunt omnia ad incidendum necessaria, nempè perjurium assertorium, malitia, testis, & circumstantia judicii. Graff. loc. cit. nu.35. Nam qui jurat rem dubiam, propriè contrahere perjurii malitiam, docet Cajet. Sylv. Navar. Valen. Suarez, quos citat, & sequitur Sanchez lib.3. moral. cap.4. numero 13. & 14.

Contrarium tamen, quoad perjurium, & consequenter etiam quoad reservationem sustinent Vasquez 1.2. disput. 127. cap.3. Turrian. 2.2. disp.58. dub.2. Quibus subscribit Layman lib.4. tr 3. cap.14. nu.4. Quorum probabili Doctorum opinioni possunt Confessarii se conformari in praxi.

7 Sed, & ille testis reservatione afficitur, qui in re parvi momenti, accepto juramento, mentitur scienter in judicio. Quia in perjurio, præsertim judiciali non datur parvitas materiæ, & in qualibet falsa, & jurata assertione, vel negatione etiam rei minimæ reperitur perfecta, & integra perjurii malitia. Sanchez l.c. c.4. n.6. ex communi.

8 Idem resolvitur de teste, qui, delato sibi juramento, subticet veritatem, quam Judici justè ac juridicè requirenti, revelare tenetur: Quia concurrunt conditiones ad inducendum necessariæ, videlicet verum perjurium, malitia testis, & legitimum judicium. Secus statuendum esset cum Graff. l.c.n.10. & Mazuch. l.c. nu.31. si reservatio lata fuisset sub terminis depositionis falsi; quia valdè differunt fal-

sum deponere, & verum subticere, illud dicit positiuam assertionem, hoc verò meram non manifestationem veritatis; perjurium autem vtrumque comprehendit. Januar. de cas. reser. resol. 52. n. 1. & 6.

9 Etsi innocens ad infirmandam calumniatoris accusationem, vel iniqui testis depositionem, non peccet contra justitiam, si ipsis crimen aliis falsis testibus obiiciat, quia hujusmodi actio censetur compensatio, seu potius justa defensio; delinquit tamen mortaliter contra virtutem religionis, ob inductionem testium ad deponendum falsum cum juramento in judicio: ipsique testes judicialis perjurii sunt damnandi, & consequenter reseruationis pœnę obnoxii reputandi. Summa Dian. v. *reus*, n. 9. & Januar. de cas. reseru. resol. 47. n. 32. ex Ledesm. to. 2. tr. 8. cap. 31. concl. 21.

10 Reseruationi subjacet, qui perjurium pręstat in judicio, cùm Judex ad notitiam, & vindictam delicti procedit tam via inquisitionis, quàm accusationis: si delinquens publica laboret infamia, uel delictum sit semiplenè probatum; uel plenè videatur probari posse. Nam in utroque casu Judex justè, & legitimè veritatem inquirit; & propterea testis iniquè, & contumaciter veritatem perjurio celat. Vide annot. 8. n. 13.

11 Sed, & ille reseruatione afficitur qui non legitimè interrogatus à Judice, mendacium tamen positiuum jurat in judicio: quia licet hujusmodi judicium licitè non possit fieri, si tamen fiat, etsi illicitè tamen validè instituitur: Nam vnus testis omni exceptione maior, semiplenā probationem facit: Ideòque est verum perjurium malitiosi testis in valido judicio.

12 Non excusantur à reservatione testes, qui jurati scienter mentiuntur, fallendi gratia in judicio, quamvis jure reiiciantur à testimonio ferendo, uti sunt servi, mulieres, minores viginti anni in criminalibus, in ciuilibus autem impuberes, inimici; sanguine juncti, & domestici, infames, perjurii, socii criminis, inopes, & viles (in causis tamen fidei omnes admittuntur, præterquam inimicus capitalis) Nam cùm jus reservans non distinguat, nec nos distinguere debemus juxta regulam, lex generaliter loquens, generaliter est intelligenda. Januar. resol. 47. nu. 27. Lupus l. c. n. 27. vers. *idem asseritur*.

13 Vtrum verò incidat, qui per metum gravem cogitur falsum jurare in judicio. Affirmat Floron. cas. 6. nu. 28. & 31. in simili de incestu, cui favet Mazuch. disp. 2. cap. 4. quæst. 3. nu. 65. Quorum ratio est, tùm quia metus, cùm non excuset à culpa, neque excusabit à reservationis pœna: Tùm quia reservatio propriè non est pœna, sed ablatio jurisdictionis, cujus defectu Confessarius non potest absoluere testem, qui scienter pejeravit in judicio.

Oppositum docet Graff. in praxi lib. 1. cap. 13. nu. 28. cui subscribit Januarius de cas. reserv. resol. 47. num. 15. Quod probat ex cap. *Sacri, de his, quæ vi metusque causa fiunt*. Hæc posterior sententia videtur probabilior, quia metus gravis, etsi nō excuset à mortali culpa ob transgressionem juris naturalis Divini; censetur tamen excusare à reservatione, quæ inducitur jure humano, quod regulariter non obligat cum tanta severitate, & detrimento: Sicuti docent Suarez de legib. lib. 3. c. 30. num. 4. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 14. nu. 5. Bonac. de legib. disp. 2. quæst. 8. punct. 2. num. 6. Dian. par. 5. tract. 3. resolut. 39. Vide quæ diximus supra in priori parte: resol. 122.

RESOLVTIVA PRAXIS

Pro non Incidentibus.

1 Non incidit testis ille, qui mentitur quidem in judicio, sed mendacium nullo aut verbali, aut reali confirmavit juramento: Tùm quia in isto casu deficit ratio perjurii: nam mendacium sine juramento non est perjurium: Tùm etiam ratio veri testis, quia juramentum est de essentia judicialis testimonii. Vide annotationem 9. n. 16. & Graff. l. c. n. 27.

2 Idem resolvitur de illo, qui existimans coram Iudice jurare verum, ex errore juravit falsum: Quia cùm nihil affirmaverit contra suam mentem, non committit mendacium, & consequenter neque perjurium, nisi materialiter: constat ex annot. 5. n. 7.

3 Sed:

3 Sed neque testis ille reservatione ligatur, qui intendens judicialiter jurare falsum, reperit deinde se præter intentionem jurasse verum: Nam ad hujus casus reservationem requiritur perjurium, quod sit tale formaliter, & materialiter simul; licèt & jurans diceretur affectiuè jurasse falsum, non tamen effectiuè: comperta igitur veritate à Confessario simplici posset absolvi: vide sup. annot. 5. n. 7.

4 Eadem resolutio statuitur de illo, qui ne cogeretur testificari apud Judicem, mendacium dixit coram Judice, ob quod dimissus fuit à testimonio ferendo in judicio: ut si dixit, reum sibi esse inimicum. Quia non reservatur simplex mendacium, sed mendacium testis juramento confirmatum coram Judice, quod dicitur judiciale perjurium.

5 Sed hìc obiter quęres. Num eo casu testis, qui in judicium vocatus coram Iudice tergiversatione, vel fraude aliqua testificandi actum declinat, vel eludit, peccet contra justitiam, & teneatur ad restitutionem damni, quod ex tali tergiversatione, vel mendacio alteri innocenti evenit. Affirmant Sotus lib. 5. de just. q. 7. art. 1. Navar. in man. c. 25. n. 41. Reginal. lib. 24. nu. 46. Quia hoc ipso, quod testis citatus comparuit in judicio, ipsique impositum est præceptum à judice, tenetur ex justitia testimonium dicere.

Sed rectiùs negant Molin. to. 1. de just. trac. 1. disp 83. *de teste*. Lessius lib. 2. cap. 30. dub. 8. n. 59. Layman lib. 3. sect. 5. trac. 2. cap. 4 n. 7. versic. *sed neque*. Quia testis ad veritatem quam novit aperiendam non tenetur ex justitia, sed solùm ex charitate erga innocentem; ex obedientia verò erga Judicem pręcipientem, vel denique ex fidelitatis, aut religionis virtute, si etiam jurauit fateri veritatem. Proindè cùm non peccet contra justitiam, neque tenetur ad restitutionem.

6 Dices. Si ad aperiendam veritatem pro succurrendo innocenti, non obligatur testis ex justitia, sed ex charitatis, vel obedientię, aut religionis virtute. Ergo posset pretium accipere pro dicenda veritate, cùm sola opera justitię non possint fieri venalia: quod tamen communi Doctorum sententię aduersatur.

Respondeo, causam, cur pro dicenda veritate non possit testi pretium accipere, non esse ex eo, quòd ad aperiendam veritatem obligetur ex justitia, sed quia veritas, secluso alio titulo, non est pretio ęstimabilis.

Dixi, secluso alio titulo: quia pro labore itineris, pro expensis, pro lucro cessante: item pro damno, vel periculo, quod ex testificatione veritatis metuitur, integrum est testi pretium accipere: ut docet Lessius lib. 2. cap. 14 dub. 9. n. 65. Dian. 3. par. trac. 6. resol. 4.

7 Pro falso verò testimonio ferendo, ante factum nihil testis accipere potest: patrato autem opere, quod tanquam pretium sibi datum est potest retinere, teste Lessio cit. lib. 2. cap. 18. dub. 3. nu. 18. Sà v. *restit*. n. 9. & 18. Nauar. man. cap. 17. n. 31. quia periculum ab eo in alterius gratiam susceptum pretio ęstimabile est.

8 Non est obnoxius reseruationi, qui cùm probè sciat Titium in extrema indigentia, uel in justam compensationem rem alienam surripuisse, de hoc facto citatus à Judice ad testandum, juratus negat, seu non manifestat furtum commissum esse à Titio: cùm non ignoret Iudicem procedere ex pręsumptione, quòd futurum fuerit injustè, iniuriosèque commissum.

9 Idem resoluitur de illo, qui non ignorans alterum in incendio, vulneratione, homicidio non peccasse, uel ob inculpabilem ebrietatem, ignorantiam, inconsiderationem, uel necessariam sui defensionem, requisitus à Judice asserit cũ juramento, alterum innocentem esse: Et ratio est, quia ut uitetur perjurium, satis est, si responsio testis intentioni Judicis conformetur: Intentio autem Judicis est inquirendi de delicto, quod cùm in prædictis casibus absit, id circò ejus intentioni satisfacit, sic respondendo. Less. lib. 2. c. 31. dub 3. n. 14. Laym. lib. 4. tr. 4. cap. 14. Bonac. in 8. pręcep. disp. 10. q. 3. punc. 3. Januar. de cas. reser. resol. 54. n. 12.

10 Qui solùm audiuit delictum aliquod commissum esse à Titio, si rogatus à Judice respondeat se nescire, non peccat, & cõsequenter nec in reseruationem incidit. Quia jus Judicis inquirentis de fa-

cto aliquo, & non de voce videtur tantùm se extendere ad rogandum testem de scientia, deserviente suapte natura ad illius facti, vel delicti probationem, qualis non est scientia de auditu; eo vel maximè si à personis non fide dignis accepit. Vide supra annot.8. n.14. & Doctores ibi citatos.

11 Non afficitur reservatione testis ille, qui juratus subticet veritatem coram Judice incompetente, v.g. quando in foro laicali proceditur contra clericum, vel quando clericus interrogatur à Judice seculari absque licentia Episcopi: Quia quando quis non tenetur fateri veritatem sine juramento, neque tenetur cum juramento, modò verbis ambiguis declinet mendacium: Quòd si illud juramento confirmet, adhuc non incidit: Quia perinde est, ac si extra judicium perjurium committat: patet ex annotat.8. numer.15.

12 Testis, qui judici legitimè interroganti respondet, utendo sine justa causa amphibologica locutione, etsi graviter delinquat, propriè tamen non mentitur, neque pejerat, & consequenter nec in reservationem incidit, Lessius lib.2. cap.40. dub.5. n.33. Januar. de cas. res. resol.51.n.2. Vide supra annot.9. nu.22. & Doctores ibi citatos.

13 Non incidit, qui cùm occultè sit reus vel complex delicti, citatus ut testis à Judice, ne se prodat, juratus utitur æquivocatione, vel mendacio in judicio: Tum quia licèt interrogetùr ut testis à Judice, ipse tamen censetur respondere, ac mentiri non ut testis, sed tanquam reus ac complex delicti: Tùm quia nemo tenetur se prodere in judicio. Belloch. de cas. reser. par.2. q.1. n.344.

14 Non incidit deponens falsum cum juramento coram Superiore, interrogante non tanquam judice ad criminis punitionem, sed tanquam patre ad criminis emendationem: Quia deficit vera ratio, & conditio judicii. Januar. de cas. reser. resol.47. num.21.

15 Reservationem non subjacet, qui coram quocumque Superiore, vel in quocumque officio civitatis, communitatis, scholarum, loci pii, &c. falsum præstat juramentum: Quia Edictum, seu litera reservationis intelligitur de testibus pejerantibus coram legitimo Magistratu, & in judicio constante actore, reo, & Judice, patet ex annot.7. nu.11.

16 Idem deciditur de reo, debitore; actore, vel accusatore, pejerantibus in judicio. Nam casus præcisè loquitur de perjurio testis, non verò de personis habentibus interesse in judicio. Peccant tamen omnes quàm graviter contra virtutem religionis, & aliquando etiam justitiæ, quando ipsis aperiendi veritatem incumbit obligatio. Quod dico, quia reus aliquando non tenetur verum fateri, sed æquivocatione uti potest; de quo vide Lessium lib.2. c.31.dub.3. n.17.

17 Reservantis juris dispositioni non est subiectus testis ille, qui mentitur, mendaciumque juramento confirmat coram officialibus publicis, v. gr. coram gabellariis, seu vectigalium exactoribus: Nam is non dicitur pejerare in judicio, sed extra judicium.

18 Idē ob eamdem rationem resolvitur de teste, qui falsum præstat juramentum coram simplici causidico, vel notario, mādatum Judicis suscipiendi testes non habente. *Ita etiam* Zeccus de cas. res. cas.12.

19 Excusatur demum, qui falsum jurat in judicio privato, & coram Judice à partibus contendentibus privatim constituto: Quia non censetur reservatum perjurium testis, nisi in publico judicio. Constat ex annot.7.n.10. & 11.

Testem hic tandem monendum censeo, ut quando sibi competit jus tacendi veritatem, restringat juramentum ad verum mente retentum, æquivoca locutione utendo.

DE GRAUITATE HUJUS

Delicti, & obligatione Confessarii.

QVàm detestabili scelere se obstringat, & quot malorum origo existat, qui prece, vel pretio corruptus veracissimum Numen in testem falsitatis adducere, nefariique sceleris adminiculo recta detorquere judicia non veretur, ex eo licet coniicere; quod cùm Ecclesiastica, tū iura

juria civilia, præter infamię notam, qua perjuros homines incurunt, adeò atroces ab ipsis expetunt pœnas, ut sæpe numero exilii, verberum, triremis, necnon etiam mortis decernant supplicia. Nam pręterquamquòd facinorosorum hominum delicta falsis testibus tecta, impunita manent, & delinquentes ipsi ad ulteriora, grauioraq; spe impunitatis properant flagitia; sacrosancta etiam pervertuntur judicia; cùm Judices, interposita ementiti testis jusiurandi religione, contra jus statuere, ac decernere cogantur. Et quod deterius est, non raro facultates, fama, vita, animęque salus innocentium in discrimen coniiciantur.

Quare cùm Providissimi, æquè ac Zęlantissimi Episcopi nostri vigilantia animadverterit tot in vno catenari flagitia, innumeraq; ex eo promanare mala; vt tam virulentam, hac tempestate dirè grassantem, à concredito sibi grege arceret pestem, hocce detestabile scelus optimo jure statuit severiori suo reservare judicio.

Quod spectat ad Confessarium, meminerit, ne ea tantùm cogitatio insideat ipsius animo, ut cognoscat, num reservationis vinculo pœnitens innodatus existat; ideòque cœteras falsi testis obligationes pervestigare negligat. Cùm enim ex judiciali testium perjurio grauia damna provenire soleant: idcircò à pœnitente probè exquirat. Primò in quo genere judicii, quamvè juramento falsitatem coram Iudice confirmarit. Secundò an in damnum, & præjudicium, vel in alterius gratiam, ac fauorem, mendacium juratus dixerit in judicio. Tertiò an scienter, & dolosè, vel ex errore, ignorantia, vel inadvertentia mortaliter non culpabili falsum contra alterum protulerit testimonium. Quartò an damnum alteri jam provenerit, vel adhuc impendeat.

Nam si sciens, aut ex crassa ignorantia falsum asseruit in judicio, ratione cuius alter injustè damnum acceperit; Confessarius pęnitentem obligare debet ad damnorum refectionem in integrum: Nā per injuriam mortalem alteri fuit causa efficax totius damni. Lessius l.2.c.30.dub.7. num.12. ex communi. Si verò nullum adhuc adversæ Parti damnum provenerit, sed tamen periculum vel vitæ, vel famæ, vel fortunarum impendeat; monendus erit pœnitens, sibi obligationem incumbere retractandi dictum suum, etiam cum æquali suo damno, & periculo; quoties retractionem speret profuturam: sicuti communiter docent Doctores: Quia in pari damno, & periculo potior est ratio, & melior innocentis conditio. Lessius cit. cap.30. dub.7. num.53. Bonac. in oct. præc. disp.10. q.3. punc.3. num.16. Tolet. lib.5. cap.59. Bassæus *in flor. v. testis*, num.10.

Quod si falsum testimonium juratus dixit ex errore, ignorantia, vel inaduertētia mortaliter non culpabili, obligatur quidem testis impedire damnum, si potest, non tamen cum gravi suo incommodo, & periculo; sicut neque tenetur ad restitutionem. Quia neque tenetur ratione rei acceptæ, cùm nihil possideat alienum, neque ratione injustæ damnificationis; eò quòd non peccaverit saltem mortaliter, ut supponitur; ex damno autem dato citra culpam mortalem, seclusa obligatione contractus, vel officii, non inducitur obligatio restituendi sub culpa mortali: sicuti docent Sanc. l.2. mor. c.22. n.160. Azor. 3.p.l.4.c.8. Fill. tr.32. n.31. & 32. Less. cit. l.2. c.7. nu.24. & 27. Laym. 3. sec.5. tr.3. p.1. cap.6. nu.2. Dian. par.3. tr.5. resol.105. & alii plures.

Aduertendum tamen est, ad inducendam obligationem restitutionis, vel retractionis ex falso testimonio opus esse, ut illud fuerit causa efficax damni: Nam si à parte rei jurata falsi testis assertio nihil in damnum influxerit, v.gr. quia per falsa aliorū testimonia jam tota damni causa erat data, ita, ut Iudex ex hoc testimonio nihil fuerit motus, ad nihil tenebitur perjurus testis, sicuti docet Less. l. 2. cap.30. dub.7. n.52. Laym. lib.3. tr.5. c. 8. Dian. p.3. tr.5. resol 105. Vide supra in resolutiua praxi pro incidentibus cas.5.

Et quoniam non raro testes, ad deponendam etiam veritatem in judicio, solēt pecunia induci; propterea si confessarius deprehenderit, testē aliquē pretiū accepisse, pro dicēda veritate, debet illū admonere de obligatione pretii accepti re-

stituendi. Nam etsi testis non teneatur ex justitia deponere in judicio, ut supradictum est; tamen si testificari velit, tenetur ex justitia verum gratis deponere, lib.3. §. *lex Iulia, ff. de testi.* siquidem opera justitiæ non possunt fieri venalia, lib.4. §. *si tibi, ff. de condit.* Secus verò si testi pecunia detur ratione laboris, itineris, molestiæ, periculi, damni, &c. Less. & Dian. ll.cc. Idem dicendum, si pecunia testi data sit, ad animum ipsius alliciendum, ut liberius deponat, aut dans ex mera liberalitate donet; tunc enim ad restitutionem non obligatur testis, sicut nec tenetur, si quid accipiat post testificationem, dummodo non præcesserit pactum, vel promissio. Menoc. de arbit. lib.2.cent.4. cas.310. nu.5. Vide sup. cas.6. in resolut. praxi pro non incidentibus, & Doctores ibi citatos.

IN QVARTVM Casum Reservatum.

In Edicto Episcopali sub his terminis Expressum.

Iniectio manuum violenta in Parentes.

ANNOTATIONES.

1 *Sub quibus terminis olim fuerit hic casus in Diœcesi Brixien. reservatus.*
2 *Quid intelligatur per iniectionem manuum violentam in Parentes.*
3 *Longè extensior est casus injectionis, quàm percussionis.*
4 *De injectione manuum propriè dicta intelligitur litera reservationis.*
5 *Qualis injectio requiratur ad incurrendam hujus casus reservationem.*
6 *An sufficiat injectio, &c. pravo animo facta, si ex parte operis injectio sit levis, vel parva.*
7 *Quænam excusent ab hac reservatione incurrenda.*
8 *Parentum appellatione quinam veniant in proposito casu.*
9 *Verior sententia, cui adheret Author.*

ANNOTATIO I.

1 Reservatio huiusce casus olim in hac Brixien. Diœcesi in hęc verba lata fuerat: *Qui Parentes percusserint*: uti constat ex Lęlio Zecco cas. 14. Nunc verò variatio literę reservationis varium omninò reddidit casum. Nam non ampliùs sub terminis percussionis, sed iniectionis manuum in parentes jus reservans casum exprimit, ac proponit: valdè autem differunt inter se iniectio manuum, & percussio; ut infrà clariùs patebit.

ANNOTATIO II.

2 Per iniectionem igitur manuum intelligitur actio exterior contumeliosa in parentes, in facto, vel opere consistens. Sed notandum, quòd iniectio manuum dupliciter sumi potest, videlicèt propriè, & minùs propriè: minùs propriè significat realem percussionem, seu veram lęsionem circa personam parentum, factam manibus, sive immediatè, sive mediatè, nempe ligno, gladio, sclopo, &c. propriè verò significat quamvis contumeliosam actionem externam, pravo animo factam sive manibus, sive pedibus, sive mediatè, sive immediatè in parentum personam, sive in res parentibus adhęrentes. In personam, illos vulnerando, percutiendo, furiosè persequendo, ita ut cogantur aliquod malum pati; conspergendo aqua sal ua, pulvere, luto, evellendo crines, &c. In res uerò adhęrentes, eas eripiendo per vim, & injuriam ex eorum manibus, aut violenter detinendo per vestem, eas lacerando, injuriosè sistendo equum, aut equi, cui parentes insident, fręnum frangendo, & cętera hujusmodi, quę omnia propriè veniunt sub iniectione uiolenta manuum in parentes. Ita hęc iniectio, ac reservatio ad eosdem casus sit extendenda, ad

ad quos extenditur iniectio manuum uiolenta in Clericum, & excommunicatio ob eamdem iniectionem, *cap. si quis suadente*: excepto, quòd excommunicatio comprehendit etiam mandantes, consulentes, auxiliantes: reservatio uerò non excedat personam filiorum, seu filiarum, uiolentas manus in parentes iniicientium. Ita Chapeau. cap.4. q.1.

3 Hinc liquidò apparet, latiùs patere casum iniectionis uiolentę manuum, quam percussionis: Nam datur uera iniectio manuum, seclusa omni percussione: Illud autem dicitur latiùs patere, à quo non fit conversio secundùm subsistendi consequentiam, ut docent Philosophi.

4 De iniectione igitur violenta manuum in parentes propriè dicta intelligenda est reservationis litera; sub qua comprehenduntur singulę actiones reales, injuriosę, supra enumeratę, in parentes commissę.

ANNOTATIO III.

5 Cæterùm notandum est, quòd non quęlibet iniectio manuum in parentes reservationi subiecta censeri debet; sed ea tantùm, quę culpam mortalem involuit: uidelicèt iniectio uoluntaria, maliciosa, pravo, & deliberato animo lędendi, seu injuriandi parentes commissa: Nam reservatio lethalem culpam supponit. Grasseus in praxi lib.1. cap.2. num.2. & cap.7. n.24. in append. Laym. lib. 5. trac.6. c.12. num.3.

6 Neque sufficit, si animus quidem, sive pravus lędendi, uel injuriandi uoluntatis affectus sit morralis, si lęsio, sive injuria exterior culpam uenialem non excedat. Nam huiusce casus reservatio requirit culpam mortalem, non solùm per relationem ad actum uoluntatis internum, sed etiam secundùm injuriam, & lęsionem externam. Graff. par.1. decis. aur. cap.13. n.71. Card. de Lugo disp.20. de penitent. sect.2. n.15.

7 Vnde ab hac reservatione incurrenda eximitur iniectio in parentes indeliberata, uel subita, iocosa, uel casualis; si non fiat animo injurandi parentes, sed seipsum defendendi. Item si fiat ex ignorantia, inadvertentia, inconsideratione mortaliter non damnabili. Quòd si animus lędendi parentem sit quidem mortaliter malus, sed lęsio eterior, in ratione injurię parentibus irrogatę sit tantùm venialis; licèt iniiciens manus lethale crimen committat, nulla tamen reservatione ligatur. Quia reseruatio requirit culpam mortalem non tantùm secundùm malitiam internam, sed etiam externam. Ita pręter DD. citatos Suar. tom.4. disp.29. de pœn. sect.3. n.3.

Rectè tamen notat Finell. cas.7. n.3. quòd læsio parentum externa etiam levis, & ex pravo animo procedens, raró à mortali potest excusari.

8 Major difficultas est, quinam in hoc casu veniant nomine parentum, in quos violentas iniiciens manus reservationem incurrat. Huic difficultati respondet Zeccus de cas. reser. cas.14. num.2. dicens parentum nomine non solùm venire Patrem, & Matrem, sed consanguineos etiam omnes, ac alios Superiores, puta Socerum, Patruum, Amitam, Vitricum, & Novercam. Vnde consequenter asserit in reservationem casus incidere omnes, qui percutiunt Superiores suos vsque in infinitum, & eos, qui tenent illorum locum, ut sunt Vitricus, & Noverca: item Socer, Patruus, & Amita. Hanc eamdem sententiam tenet Chapeau. cas.4. quęst.1. & adheret Belloch. par.2. quæstion 2. num.53.

9 Verùm contraria sententia longè probabilior est, & omninò in praxi sustinenda, quam tradit Graff. in prax. lib.2. cap.40. num.22. Finell. de cas. reser. cas.7. n.2. Gambar. casu 8. quibus subscribit Mazuc disp.2. c.8. diff.1. n.2. & 3. qui omnes concorditer docent parentũ appellatione venire tantũ superiores ascendẽtes, à quibus naturaliter descendimus, puta Patrem, Auũ, Auiam, aliosquè usque ad Tritauum, seu Ataui patrem. Nam in materia reservationis, utpotè odiosa, verba sumenda sunt secundùm propriam, & naturalem eorum significationem, & nõ per extensionem ad impropriam. Cùm ergo Patruus, & Socer, Vitricus, & Noverca; item Pater adoptans, propriè non

sint parentes, neque naturaliter ab ipsis descendamus, sed impropriè, & per fictionem juris ita nuncupentur: Idcircò, licèt illos quoq; obsequium, & obedientia deceat, sub proprio tamen parentum vocabulo venire non debent: & consequenter nec eos, qui violentas in ipsos iniiciunt manus, sub reservantis juris dispositione comprehendi.

Nec quidquam officit huic assertioni Jasonis doctrina *in lege Prætor. §. de in jus vocando*, qua Zeccus, & Chapeau. inniti videntur. Quòd sicut honestatis causa non licet filiis in jus vocare Patrem, neque aliquem ex ascendentibus in infinitum; ita nec liceat sub lethali culpa, & reservationis pœna eosdem Superiores suos, vel qui tenent eorum locum, percutere. Nam ibi agitur de honore parentibus exhibendo, qui cùm sit fauor, latam interpretationem recipit. Hìc verò agitur de reservatione, quæ cùm habeat quamdam rationem pœnæ, eam non ampliari, sed restringi convenit.

RESOLVTIUA PRAXIS

Pro Incidentibus.

1 Ex prænotatis statuitur regula generalis: Incidunt omnes in casum, qui scienter, & iniuriosè manus iniiciunt in Patrem vel Matrem, Auum vel Auiam, aliosquè ascendentes usque ad Tritauum, aliquo ex modis supra relatis annotat. 2. siue id fiat manibus, siue pedibus, siue immediatè, sive mediatè.

2 Eadem resolutio extenditur ad filios, aliosque descendentes tam naturales ac spurios, quàm legitimos, tàm fœminas quàm masculos, qui injuriosè manus iniiciunt in eos, qui veniunt nomine parentum, iuxta supra dicta annotatione 4. n. 9. & modò in superiori casu expressò. Graff. in praxi cap. 40. n. 39. Mazuch. loc. cit. diff. 3. n. 9.

3 Reservationem incurrit qui violentas iniicit manus in parentem, etiamsi injectio ejusmodi videretur levis in ratione nocumenti; dummodo sit gravis & mortalis in ratione injuriæ externo actu in parentes irrogatæ: faciunt, quæ tradit Card. de Lugo disp. 20. de pœnit. sect. 2. num 15.

4 Idem à fortiori resolves de percutientibus parentes, si percussio hujusmodi quoad actum externum fuit deliberato & malo animo facta. Quia percussio parentum deliberato, & prauo animo facta, suapte natura grauem continet injuriam; ideòque censenda est reservationi obnoxia. Finellius de cas. reser. cas. 7. n. 3.

5 Reservationi subjacet, qui violenter concludit, aut detinet parentem in aliquo loco, tanquam in carcere: dummodo id injustè ac injuriosè præstet: Quia hujusmodi actio comprehenditur sub injectione manuum violenta, ut patet in simili de concludente, vel detinente Clericum: lege enim, vel Doctore casum aliquem non decidente, decisio à simili sumenda est.

6 Non eximitur à reservatione, qui verberatus à parente, non vindictæ, sed correptionis aut disciplinæ causa in sui defensionem, vel potiùs vindictam, audet parentem repercutere. Nam parentes ferendi sunt, si verberent, ipsisque cedendum est in omnibus. Finellius cit. cas. 7. n. 4. Excusandus esset, si ex subita passione non plenè advertens quid ageret, parentem repercuteret. Lupus de cas. reser. cas. 14. §. 6. annot. 1.

7 Reservationi tandem censendus est obnoxius, qui indignatione motus baculo, vel ense parentis personam tangeret, adiiciens, te *cæderem, nisi parens esses*. Nam sicut hujusmodi injuriosa actio sufficeret ad incurrendam excommunicationem cap. si quis suadente, si fieret in Clericum, teste Mazuch. loc. cit. quæst. 2. num. 13. ita etiam sufficit ad hanc reservationem. Eadem enim est ratio utriusque injectionis. Secùs dicendum, si reservatio lata esset sub terminis percussionis: Nam talis signatio ictus non comprehenditur sub nomine percussionis: Graff. loc. cit. n. 26. Mazuch. cit. n. 13.

RE-

RESOLVTIUA PRAXIS

Pro Non Incidentibus.

1 NOn innodatur reservatione, qui in parentes maledicta coniicit, verbisque verbera minatur: Nam verba contumeliosa differunt ab injectione manuum: à diversis autem non fit illatio. Delinquit tamen mortaliter contra reuerentiam Parentibus debitam.

2 Idem resolves de illo, qui habuit animum iniiciendi manus violentas in parentes, sed ad injectionis actum non peruenit: Quia verba reseruationis intelligenda sunt cum effectu: & ubi effectu opus est, non sufficit affectus. Graff. in praxi lib.2.cap.49. n.23.

3 Non incidit, qui sine prauo animi affectu violentas injicit manus in parentes aliquo ex modis supra annotatione 3. n.7. relatis: Quia ad reservationem prærequiritur culpa mortalis, quæ iis casibus abesse supponitur.

4 Extra telum reservationis existit, qui animo mortaliter malo cępit quidem iniicere manus in parentem, sed actualis injectio in ratione injuriæ, & læsionis externæ fuit levis, culpam venialem non excedens: Quia præsens reservatio requirit culpam mortalem, tàm quoad injuriam, & malitiam externam, quàm internam; constat ex annot.3.n.6. cap.7.

5 Non ligatur casu, qui Patrem, vel Matrem per vestes, aut per brachium strictè apprehensum violenter detinet, vel sistit ob bonum finem, v.g. ne se, vel alterum cædat: Tùm quia hujusmodi detentio non est violenta manuum injectio: cui autem non conueniunt verba legis, neque ejusdem dispositio conuenire debet: Tùm quia non censetur mortaliter injuriosa.

6 Idem resolves de illo, qui metu, vel minis cogit parentem, ut aliquid sibi concedat, dummodo absit injuriosa actio circa personam, vel rem personæ parentis adjacentem. Belloch. de cas. reser. par.2. quæst. 2. lethaliter tamen delinquit contra reuerentiam parentibus exhibendam.

7 Non subjacet reservationi, qui violentas in parentem manus immittit, ob vitandam mortem, mutilationem, vel vulnerationem, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, non tamen ob justam, & moderatam correptionem. Finellius de cas. reser. cas. 7. num.4. Lupus casu 14.§.3. n.11.

8 Eadem à reservatione immunitas extenditur ad eum, qui ut parentem liberet, vel ipse liberetur aliquo impendente malo, exercet aliquam actionem circa parentem, quæ aliàs esset mortalis, v.g. deiiciendo ad terram, sistendo, vel rapiendo per vim intra domum parentis personam: Quia abest injuria, & consequenter culpa mortalis, quæ ad reseruationem requiritur.

9 Idem videtur resoluendum de eo, qui dolo, vel malo animo venenum in occulto propinauit parenti in cibo, uel potu: quod dicitur, retenta sententia Auil. parte secunda, capite quinto de censuris, cui subscribit Mazuchell. disputatione secunda, capite septimo, differentia secunda, numero centesimo quinquagesimo secundo, quòd propinatio veneni sit injuriosa soli naturę, non statui, hoc est conditioni paternæ.

10 Excusatur à reservatione, qui violentas immittit manus in Fratrem, Sororem, Socerum, Patruum, imò & in Vitricum, & Novercam, Patremque adoptantem. Quia hi non veniunt nomine parentum: patet ex annotatione quarta, numero nono: crimen tamen mortale committunt. Mazuchellus loco citato, numero vigesimo secundo.

11 Eadem excusatio extenditur ad illum, qui mandat, consulit, auxilium præbet, operamve præstat ad violentam injectionem manuum in parentem: Quia litera reservationis non loquitur de mandante, consulente, auxiliante, &c. casus autem non expressus habetur pro omisso; & casus omissus relinquitur dispositioni juris communis, teste Coriolano de casibus reservatis, prima parte, sectione prima, articulo quinto.

DE

DE GRAVITATE HUJUS

Peccati, & Obligatione Confessarii.

QVàm detestabili cùm ingratitudinis, tùm impietatis puteant vitio, qui eos, à quibus lucis, & vitæ usuram habuerunt, quosve omni honore prosequi deberent, contumeliosis verbis, & quòd tertius est, verberibus etiam afficere audent, plura ostendunt sacrarum literarum monumenta. Scriptum est enim Exodi 21. *Qui percusserit Patrem, vel Matrem, morte moriatur.* Verùm præ cæteris horrifica sunt, & horrificum minantur exitium, quæ habentur Proverb. 30. 17. *culum, qui subsanat patrem, & despicit matrem, effodiant corvi de torrentibus, & comedant eum filij Aquilæ.* Quibus verbis apertè innuitur, filios contemptores, ac percussores parentum, plerumque morte violenta affici. Et quemadmodum iis qui grati in parentes sunt officii merces à Deo proposita est, quòd scilicet longæva fruentur vita super terram; sic ingrati, impiique filii gravissimis reservantur pœnis. Et quotidie divinæ ultionis in eos, qui parentibus injuriam inferunt, exempla cernere licet, in quibus ulciscendis, Dei iracundia exardescit, inultosque parentes non relinquit. Gravitas hujus delicti ex eo etiam potest coniici, quòd propter idem scelus licet Patri exhæredare filium; sicuti docet Gloss. super cap. *Quintuali extra de iureiur.* Finellius citat. casu 7.n.6.

Quod attinet ad Confessarium, ipsius partes erunt injuriosum in parentes filium, vel filiam de gravitate hujusce delicti in primis commonere: eumque deinceps à tantæ impietatis flagitio deterrere. Deindè eumdem, ad debitam præstandam parentibus satisfactionem, vel veniam petendo, vel alio congruentiori modo inducere.

IN QVINTVM Casum Reservatum.

In Edicto Episcopali sub his terminis Propositum.

Incestus in primo, & secundo Consanguinitatis, vel affinitatis gradu, quoad mares.

ANNOTATIONES.

INCESTVS est concubitus cum persona consanguinea, vel affine in gradibus prohibitis. Verùm cùm multiplex sit cognatio, alia carnalis, quæ contrahitur ex carnali propagatione: alia spiritualis, quæ oritur ex collatione Sacramenti Baptismi, & Confirmationis: alia legalis, quæ provenit ex adoptione: alia demum affinitatis, quæ consurgit vel ex copula licita matrimonii, vel illicita, verbi gratia fornicationis: Idcircò multiplex etiam datur incestus, alius ex concubitu cum persona sibi consanguinea, qui dicitur incestus consanguinitatis: alius ex congressu cum persona sibi affine, qui dicitur incestus affinitatis: alius ex copula cum persona sibi juncta per adoptionem legalem, qui dicitur incestus legalis: alius denique ex coitu cum persona sibi propinqua per cognationem spiritualem, qui dicitur incestus spiritualis.

Cæterùm non quilibet incestus reservationi Episcopali est obnoxius, sed tantùm incestus consanguinitatis, & affinitatis: & hic non in quolibet gradu, sed solùm in primo, & secundo: Tùm quia incestus spiritualis, & legalis impropriè, & metaphoricè tantùm ita vocantur: Tùm quia incestus spiritualis, & legalis non admittit hujusmodi graduum distinctionem. De primo igitur, & altero incestu intelligenda est dispositio casus, ut expres-

presè constat ex littera reservationis. Proindè cùm duplex, & distinctum sit incestus reservati genus, scilicet consanguinitatis, & affinitatis, in duas etiam casum distinguere partes, clarioris intelligentiæ gratia, distinctisque expendere, ac exponere tractatibus, non alienum ab instituto duxi.

IN PRIOREM QVINTI CASVS PARTEM.

In Edicto reservationis sub hac litera Expressam.

Incestus in primo, & secundo Consanguinitatis gradu, quoad mares.

ANNOTATIONES.

ANNOTATIO I.

Consanguinitas est vinculum personarum, ab eodem propinquiore stipite descendentium, carnali propagatione contractum. Sanch. l. 7. de matr. dis. 50. Laym. lib. 5. tr. 10. p. 4. c. 4. n. 1. Consanguinitas distinguitur per lineas, & gradus. Linea dicitur ordinata collectio personarum ab uno stipite descendentium, diversos continens gradus. Gradus est mensura personarum, qua cognoscitur, quanta sit propinquitas, vel distantia consanguinitatis inter personas, quæ in linea includuntur.

2 Sed notandum, lineam duplicem esse, alia dicitur recta, alia transversa, seu collateralis. Recta est illa, in qua una persona directè originem ducit ab altera, sive immediatè, ut filius à patre, sive mediatè ut nepos ab Avo. Recta linea alia est ascendentium, quæ respicit personas, à quibus trahitur origo, nempè Patrem, Avum, Proavum, Abavum, aliosque ascendentes. Alia est descendentium, quę respicit personas, quæ ab aliis originem ducunt, nimirùm filium, nepotem, pronepotem.

Linea transversa est illa, in qua multę personæ stant ad latus alterius, una tamen non trahit originem ab alia, ut sunt fratres, & eorum filii. Stipes est illa persona, à qua personę, de quarum coniunctione tractatur, originem ducunt. Ut in schemate

mate consanguinitatis Pater est stipes, Filius constituit primum gradum in linea recta, secundum nepos, & sic de cęteris. In linea verò laterali primum gradum constituunt frater, & soror: secundum constituunt filii, & filiæ fratris, & Sororis. Nam stipes non facit gradum, sed est principium arboris consanguinitatis, vel affinitatis, connumerando gradus secundùm jus canonicum. Vide Sanch. loc. cit. & Laym. cit. capit. 4. numer. 2. & 3.

ANNOTATIO II.

3 Verùm pro clariori hujusce casus intelligentia videndum est, quo gradu unus existat consanguineus cum alio: pro quo notandum, triplicem à Doctoribus assignari regulam, ut cernere licet apud Sanch. & Laym. ll.cc.

4 Prima. In linea recta tàm ascendentium, quàm descendentium, quot sunt personæ, tot sunt gradus, una dempta, scilicèt patre: v.g. Pater, & filius sunt consanguinei in primo gradu, eò quòd dempto stipite, id est patre, remanet tantùm una persona, scilicèt filius. Pater, & nepos sunt in secundo, quia dempto patre, remanent duæ personę, nimirùm filius, & nepos, & sic deinceps.

5 Secunda regula. In linea transuersà æquali (quę est inter personas à communi stipite æqualiter distantes) quoto gradu personę singulæ distant à communi stipite, eodem distant inter se, v.gr. frater, & soror sunt in primo gradu lineę rectæ transuersę, quia uno gradu tantùm distant à patre. Patrueles, & consobrini sunt in secundo, quia in eodem distant ab Auo, eorum stipite, & sic de cęteris. Sanc. loc. cit.

6 Tertia regula. In linea transuersa inęquali, inter personas inęqualiter distantes à communi stipite, quo gradu remotior persona distat à communi stipite, eodem distant inter se, v.g. Patruus, & filius ex fratre distant inęqualiter ab Auo: ille in primo gradu, hic in secundo; distabunt igitur inter se in secundo consanguinitatis gradu. Sanch. l.c. num. 5. & 6. In dispensationibus tamen obtinendis explicari debet in primo, & secundò gradu.

7 Omnes igitur, qui copulam habent cum persona sibi consanguinea vel in linea recta, uel transuersa ęquali, uel inęquali, vsque ad quartum gradum, committunt incestum consanguinitatis.

8 Veruntamen ea est Vigilantissimi Pastoris, ac Legislatoris nostri severa lenitas, & lenis severitas, ut licèt concubitus inter personas consanguinitatis vinculo junctas usque ad quartum gradum verè sit incestus; noluerit tamen mortiferam cujuslibet incestus culpam reservationis virga multare: sed eam extenderit tantùm ad secundum consanguinitatis gradum in qualibet ex triplici præcedenti linea: ut clarè constat ex reservationis litera.

ANNOTATIO III.

9 Aduertendum tamen est, quòd non quilibet incestuosus congressus inter personas secundo consanguinitatis gradu sibi junctas censeri debet reservationi obnoxius; sed is tantùm, qui sit completus, perfectus, & consumatus per quo.

10 Notandum, quòd duplex datur incestus: alter perfectus, completus, & consumatus, ad quem requiritur perfecta, & completa copula cum seminis emissione, ex parte tùm masculi, tùm fœminæ, vel saltem ex parte masculi, iuxta communiorem, & probabiliorem sententiam apud Sanch. lib 7. de matr. disput. 64. numér. 21. Alter est incestus imperfectus, & incompletus, in quo non accidit seminis emissio intra claustra pudoris fœminei, sive id proueniat ex defectu ætatis, sive voluntatis.

11 Igitur ad hujus casus reservationem non sufficit, si quis cum consanguinea in primo, vel secundò gradu tactus impudicos, vel amplexus libidinosos habeat, etjam cum seminis emissione, sed extra vas naturale. Nam hujusmodi turpitudines non veniunt propriè nomine incestus teste Finell. de cas. res. cas. 10. num. 9.

12 Idem statuitur de copula sodomitica

tica in gradibus expressis, sive cum fœmina consanguinea, sive cum masculo habita Neque audiendus est Zeccus de cas. res. cas. 14. n. 1. qui hujusmodi nefariam turpitudinem inter reservati incestus flagitia enumerat. Nam non quilibet consanguineorum abusus videtur reservationi subjectus, sed qui est verè incestus. Quamvis igitur talis nefandus actus verè sit consanguineorum abusus, non tamen est verè incestus. Ideòque nec reservantis juris dispositioni obnoxius. Ita Chapeau. c. 14. q. 2. Finell. loc. cit. nu. 10. Floron. par. 2. de cas. reser. cas. 6. nu. 31. Lupus de cas. reser. cas. 2. §. 3. n. 21.

13 His addendum non sufficere, etiãsi masculus copulam habens cum consanguinea seminaret infra, vel circa fœminę pudenda, ita ut aliqua seminis pars casu deflueret intra secreta ejusdem genitalia: Quia ad perfectum, & reservatum incestum requiritur perfecta, & consumata copula intra pudoris fœminei claustra sicuti rectè docent Graffeus in praxi lib. 1. cap. 13. n. 27. & 30. Belloc. par. 2. q. 1. n. 111. Mazuch. cit. q. 3. nu. 43. Quidquid in contrarium dicat Lupus loc. cit. §. 4 n. 26. citans Floronum.

14 Quòd si copula incestuosa ex parte viri esset perfecta, & consumata incideret in casum etiam fœmina, quamvis ipsa non seminasset: Siquidem copula censetur consumari per solam seminationem viri intra claustra pudoris fęminei, ut supra annot. 3. n. 10. resolutum fuit ex communi sententia apud Sanch. loc. ibi cit. Contrariæ tamen sententiæ subscribit Mazuchell. loc. cit. nu. 48. sed minùs probabiliter.

ANNOTATIO IV.

15 Quamvis autem, cęteris paribus, æquali culpæ fęditate maculentur vir, & mulier incestuosi, ęqualemque apud Deũ mereantur pęnam; tamen discrimen est in hac Brixien. Diœcesi inter mares, & fęminas, quoad reservationem. Nam cùm reservatio sit absolvendi ab aliquo delicto facultatis negatio, eaque pendeat ex voluntate reservantis, potest aliquando reservans, si id expedire judicaverit, sibi reservare aliquod delictum respectu unius sexus, & non respectu alterius. Quod in hoc incestus casu prælato consilio præstitit Sapientissimus Legislator, qui reservantis juris dispositioni subjecit mares, & consequenter exemit fęminas, juxta regulam juris, *inclusio unius* (sexus) *est exclusio alterius*. Fortasse imbecillitati infirmi sexus parcere, fœminarumque conditioni, ac saluti consulere voluit Providissimus Pastor, quæ non tam pleno voluntatis consensu, uti mares, tantum committunt nefas; neque tam facilè, & absque gravis sceleris suspicione, pro absolutionis beneficio Pœnitentiarios possunt adire.

ANNOTATIO V.

16 Superest difficultas resolvenda, quæ non tàm ad reservationis cognitionem, quàm pęnitentis obligationem videtur necessària. An omnes incestus differant specie; & consequenter gradus incestus sit necessariò in confessione exprimendus. Affirmant Nav. in man. c. 16. n. 3. Valen. tom. 3. disp. 9. q. 3. punct. 3. Fagund. 2. pręcep. lib. 4. cap. 3. n. 25. Card. de Lugo disp. 16. nu. 312. Clavis Regia lib. 8. cap. 4. nu. 3. Bonac. de Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punc. 2. diffic. 3. n. 9. asserentes, gradus consanguinitatis non solùm differre specie à gradibus affinitatis, cognationis legalis, & spiritualis, sed etiam inter se: & consequenter omnes incestus differre specie. Vnde secundùm hanc sententiam, qui copulam haberet cum propria filia, vel sorore, non satisfaceret dicendo, se commisisse incestum, sed teneretur exprimere personam, gradum, & lineam. Huic sententiæ adhęrent Lessius lib. 4. c. 3 dub. 11. n. 70. Azor. 3. p l. 3. c. 9. q. 1. Filliuc. tr. 30. c. 15. nu 96. quatenus docent, gradus consanguinitatis differre specie à gradibus affinitatis, cognationis legalis, & spiritualis: recedunt verò ab ea, quatenus asserunt gradus consanguinitatis, & affinitatis non differre specie inter se: quæ opinio probabilior videtur.

Contrariam sententiam sustinent S. Th. qu. 154. art. 9. Cajet. ibid. Bartho. à S. Fausto de sacram. pęnit. tom. 1. l. 4. qu. 96.

Dian.

Dian. par. 1. tr. 7. resol. 31. Gyptius de cas. reser. cap. 8. n. 5. scilicèt pœnitentem non teneri, per se loquendo explicare circumstantiam consanguinitatis, vel affinitatis, neque diuersitatem graduum. Quorum ratio est, quia licèt immanior sit incestus cum consanguinea, quàm cum affine in eodem gradu, verbi gratia cum matre, quàm cum noverca, cum sorore propria, quàm cum sorore uxoris, & similiter grauior sit cum affine, quàm cum cognata spirituali, aut legali; tamen hæc circumstantia non mutat incestus speciem in genere moris, sed tantùm aggrauat intra eamdem speciem; sicut major, vel minor quantitas rei ablatæ in furto. Secundùm quam sententiam qui concubitum incestuosum haberet cum Matre, filia, sorore propria, vel sorore vxoris, satisfaceret, dicendo bis, vel ter incestum se commisisse, non exprimendo personam, gradum, aut lineam.

17 Cęterùm quamuis hæc posterior opinio sit satis probabilis, nihilominùs probabilior est, & in praxi consulenda sententia, quæ asserit gradum incestus exprimendum esse in sacramentali confessione: Quia licèt circumstantia aggrauans non sit necessariò exprimenda in confessione; tamen qualitas personæ, cum qua commissa est copula, non videtur circumstantia actus seu peccati, sed potiùs quid pertinens ad substantiam actus, seu ad integritatem malitiæ substantialis actus, in individuo considerati, sicuti rectè docent Laym. lib. 1. tr. 2. cap. 10. num. 3. ConincK de pęnit. d. 7. dub. 3. n. 13. & 21. Rodr. to. 1. sum. c. 208. n. 3.

18 Addo, contrariam sententiam non posse sustineri, quando pęnitens ob justam causam confitetur Sacerdoti, facultatem absoluendi à reservatis non habenti: Nam eo casu necessariò exprimendus est gradus, ut innotescat Confessario, num talis incestus sit in primo, vel secundo gradu; ideòque reseruationi subjaceat: ut benè Mazuch. cap. 4. diffic. 5. n. 29. Cęterùm si Confessarius præditus esset facultate absoluendi à reservatis juxta probabilem sententiam supra relatam, pœnitens satisfaceret dicendo commisi incestum, non explicando gradus. Quia casus incestus respectu Confessarii facultate præditi non dicitur ampliùs reseruatus.

ANNOTATIO VI.

19 Porrò antequam deueniamus ad casus practicos, diligenter est aduertendum, quòd licèt ignorantia non excuset delinquentem à mortali culpa, quoties versatur circa ea, quę suaptè natura sunt mala, juriquè naturali ac Divino prohibita, ut homicidium, perjurium, blasphemia, quia tali casu ignorantia est affectata, vel crassa: Nihilominus si delinquens contra naturalia Divinaque præcepta ignoret inculpabiliter aliquam circumstantiam, quæ actioni retinenti propriam malitiæ speciem, quam habet ex objecto, nouam grauioris malitiæ adferat speciem, ad quam arcendam lata sit Episcopalis reservatio; tunc delinquens sicut excusatur ab illa grauiori malitia specialique deformitate, quę eo casu non potest imputari ad culpam, utpotè incognita, adeòque inuoluntaria, sic etiam eximitur; à reseruatione, si qua illi speciali malitiæ sit adnexa. Ita Doctores infra citandi.

Ex hac doctrina planè infertur, si Titius carnaliter cognoscat consanguineam in primo, vel secundo gradu, ignorans inculpabiliter circumstantiam hujusmodi consanguinitatis, etsi non excusetur à malitia fornicationis, si putet esse solutam, excusari tamen à malitia incestus, quæ eo casu Titio non potest imputari ad culpam, utpotè incognita, adeòque inuoluntaria, & consequenter etiam à reservatione, quæ adnexa est speciali malitię incestus, non simplicis fornicationis.

Neque obstat, quòd concubitus [illegible] jusmodi ex natura operis sit incestuosus: quia ad incurrendam reseruationem peccato incestus adnexam, requiritur, ut sit talis tàm ex natura operis, quàm ex intentione operantis, ex qua actus humani speciem accipiunt. Ita colligitur ex Sanchez lib. 1. moral. capitul. 16. nu. 10. Layman. lib. 1. trac. 2. cap. 4. Card. de Lugo. disp. 20. de pœnit. sect. 1. num. 9. Dian.

par. 6.

par.6. tract.6. resol.42. Bassæo in floribus v. *circumstantia*, num.1. & expresè docent Floron. de cas. reser. par.2. cas.6. §.1. nu. 31. Graff. de cas. reser. lib.2. cap.34. Januar de cas. reser. resol. 57. num.2. in fine.

Oppositum tamen sentit Homob. quę citat, & sequitur Lupus de cas. reser. par. 2. cas.2. §.4. nu.23. ea dixi ratione, quòd peccantes contra præcepta naturalia Diuina non excusantur à reservatione ob ignorantiam. Sed Lupus in hac re cohęrenter non loquitur: Nam par.2. cas.7. §.1. docet, ad incurrendam reseruationem depositionis falsę in judicio, opus esse, ut depositio hujusmodi sit falsa formaliter, & materialiter simul, & § 4. eximit à reservatione testem, qui intendens deponere falsum in judicio, præter intentionem deposuit verum; & tamen iste delinquit contra præceptum naturale Divinum ex ignorantia: Ergo recedit à veritate etiam secundùm doctrinam Lupi: quòd delinquentes contra præcepta naturalia Diuina non excusentur à reseruatione ob ignorantiam.

Ad rationem. Homob. & Lupi respondeo, eam procedere, nisi delinquens contra naturale Diuinumquè præceptum ignoret circumstantiam aliquam, quæ actioni retinenti propriam malitiæ rationem, adferat nouam grauioris malitię speciem, ad quam pręcisè arcendam, inducta sit illius criminis reseruatio, sicut fit in casu incestus: Nam concubitum habens cum consanguinea, existimans esse extraneam, & solutam, etsi non excusetur à peccato fornicationis contra præceptum Diuinum; quia tamen ignorat circumstantiam, quæ actioni luxuriosæ retinenti propriam fornicationis malitiam, superaddit nouam speciem malitię ac deformitatis, nimirùm incestus, ad quod delictum pręcisè impediendum, ipsius absolutionem Episcopi sibi reseruant: Idcircò eo casu delinquens sicut excusatur à malitia incestus (persistente interim malitia fornicationis) quę tunc imputari non potest ad culpam, utpotè incognita, adeoquè involuntaria; ita etiam à reseruatione quæ adnexa est delicto incestus, non fornicationis. Vide Doctores supra citatos, & quæ dixi in priori Elucidarii parte resolutione 31. ubi ex professo expenditur, & resoluitur hæc difficultas.

Et hæc doctrina benè notanda est à Confessariis, tamquam favorabilis rudioribus pœnitentibus. Cùm enim hi ex ruditate ingenii, aut defectu scientiæ, vel etiam advertentiæ in peccatis luxuriæ, plerumque apprehendant solùm rationem generalem peccati contra castitatem, nullo modo advertendo malitiam incestus, sacrilegii, &c. non tenentur postea confiteri has tales malitias (etsi post factum illas advertant) sed sufficit, eos confiteri se peccasse contra castitatem, seu peccato luxuriæ. Sanchez cit. cap.16. num.10. cui subscribit Pell. z. in trac. de monial. cap.4. sect.2. n.82.

RESOLVTUIA PRAXIS

Pro Incidentibus.

EX prænotatis pro regula generali statuitur illum incidere, qui scienter copulam habet cum consanguinea in primo, & secundo gradu, tam in linea collaterali, quàm recta: dummodo copulam consummarit per emissionem seminis intra claustra fœminei pudoris.

2 Idem resolvitur de eo, qui carnaliter se commiscet cum sorore ex parte solius patris, ut habet Graff. loc. cit. cap.13. num.8. Quidni & ex parte solius Matris, cùm ipsa etiam habeat rationem proximi stipitis in arbore consanguinitatis: Ideòque verè sit incestus, supposita consumatione actus.

3 Innodatur casu, qui non ignorat se committere incestus flagitium in primo, vel secundo gradu, quamuis ignoret adnexam reseruationem: Quia ignorantia juris non excusat. Lupus de cas. reserv. cas.2. §.4. Secùs si existimaret, commisceri cum consanguinea, vel affine in tertio gradu, quam postea deprehenderet sibi conjunctam in secundo: ut infra dicam.

4 Idem deciditur de eo, qui copulam habet incestuosam in gradibus expressis, quamvis solùm masculus actum consumet:

seu affinium per actum sodomiticum usque ad quartum gradum contineat specialem deformitatem, necessariò in confessione exprimendam. Negat Dian. p.3. tr.4.res.101. & p.1.tr.7.ref.31. & p.7.tr.12. resol. 18. Affirmant verò Azor. p. 3. lib.3. c.18.q 5. de arbit.confess. lib.2. c.34. nu.3. Hęc posterior sententia, quoad primum, & secundum gradum, communiter recipitur in praxi: prior verò quoad tertium, & quartum: teste Basseo in flor.the.pract. V.incestus,n.1.

6 Non incidit impubes carnaliter se commiscens cum cõsanguinea, vel affine si ob defectum ætatis impotens seminandi, copulam non consumavit: Quia reservatio hujus casus requirit incestum consumatum per seminum commixtionem, saltẽ ex parte viri: patet ex annot.3. n.14.

6 Idem resolvitur de illo, qui in ebrietate, somno, amentia incestum consumavit cum consanguinea: Quia sicut effugit culpam mortalem ob defectum voluntarii, ita etiam reservationem: Nam reservatio habet pro materia, & fundamento peccatum mortale.

7 Eadem immunitas extenditur ad illum, qui ratus commisceri cum uxore propria, ignoranter concubuit cum consanguinea, vel affine: Tùm quia abest culpa mortalis: Tùm quia ignorantia facti excusat.

8 Pręthereà licèt fœmina in gradibus expressis masculo juncta, si copiam sui corporis illi faciat, veri incestus culpa se commaculet, nulla tamen reservatione ligatur, sed solùm vir si copulam consumavit: Quia sub litera reservationis includuntur tantùm mares; & consequenter excluduntur fœminę: Siquidem in correlativis inclusio unius infert exclusionem alterius.

9 Non incidunt fœminæ consanguineæ, etsi damnandæ sint gravissimę culpę, si, una ad instar masculi supergrediente alteram, ita se polluant, ut etiam fiat aliqua seminis commixtio. Nam talis fœditas inter personas ejusdem sexus veriùs sodomia, quàm incestus est dicenda. Graff. & Finell. quibus subscribit Mazuchell. loc.cit. n.49.

10 Reservationi non subjacet, qui libidinosis amplexibus indulget cùm consanguinea in primo, vel secundo gradu, etiamsi ex iis sequatur seminis emissio. Quod verum est, licèt ex seminatione circa fœminę pudenda, distillaret pars seminis intra ſeminei pudoris claustra: Vide supra annot.3.n.11.12.& 13.

11 Reservatione non afficitur, qui in primo consanguinitatis gradu incestuosum habet congressum cum ſemina, in tertio gradu sibi coniuncta: Quia in linea transversa in distantia inæquali, gradus computatur à remotiore. Unde frater, qui est in primo gradu, si habeat rem cum filia nepotis, quę est in tertio, committit quidem incestum, non tamen reservantis legis dispositioni subjectum: quia incestus denominationem sumit à gradu remotiore, qui cùm sit tertius, reservationi non est obnoxius. Sanch. lib.7. *de matrimonio*, disputatione 50. numero 5. Floronus de casibus reservatis, parte secunda, casu sexto, §. primo, numero primo.

12 Non incurrit reservationem, qui existimans se coire cum consanguinea in secundo gradu, reperit deindè eam sibi tantùm coniunctam in tertio: Tum quia ad hanc reservationem requiritur incestus, qui & materialiter, & formaliter, sive affectivè, & effectivè sit in primo, aut secundo gradu, in hoc autem casu incestus formaliter quidem, & affectivè esset in secundo gradu, sed materialiter, & effectivè in tertio: sicque extra telum reservationis existeret.

13 Idem ob eamdem rationem resolvitur de eo, qui viceversa putans se commiscere cum consanguinea in tertio gradu, postmodum reperit eam esse sibi junctam in secundo: Quia talis incestus esset quidem materialiter, & effectivè in secundo, sed formaliter, & affectivè in tertio, & consequenter extra expressos gradus. Januarius de casibus reservatis, resolutione quinquagesima septima, numero secundo. Mazuchellus citato cap 4. quęstione 3. numero quinquagesimo septimo.

Nec officit, quòd incestus in tertio gradu non distinguatur specie ab incestu in secundo juxta probabilem sententiam:

Quia licèt non sit specie diversus, est tamen levior reatus, & talis ignorantia operatur, ut non dicatur reus incestus in secundo gradu, sed in tertio.

14 Excusatur demum à reservatione, qui ex ignorantia non crassa habet rem cum consanguinea, cui se non misceret, si circumstantiam consanguinitatis nosceret, ad malitiamque incestus adverteret. Tùm quia concubitus hujusmodi, etsi materialiter seu ex natura operis sit incestuosus, non tamen formaliter & ex intentione operantis, ex qua actus humani speciem accipiunt: Reservatio autem criminis incestus requirit, ut concubitus tàm formaliter, quàm materialiter, tàm ex intentione operantis, quàm ex natura operis sit incestuosus. Tùm quia si à reservatione eximitur, qui committit incestum materialiter tantùm quoad diversitatem graduum, ut in casu præcedenti resolutum fuit; multò magis excusandus est, qui committit incestum materialiter solùm, quoad specificam malitiam actus. Vide supra annotat. 6. & Doctores ibi cit.

IN SECUNDAM QVINTI CASVS PARTEM,

In Edicto reservationis sub hac littera Expressam.

Incestus in primo, & secundo Affinitatis gradu, quoad mares.

ANNOTATIONES.

1 *Quid sit affinitas, & quomodo numerentur gradus affinitatis.*
2 *Affinitatis linea duplex, ascendentium, & descendentium.*
3 *Quotuplex sit affinitas.*
4 *An quælibet copula cum affinibus in primo, vel secundo gradu sit reservationi obnoxia.*
5 *Quid requiratur ad contrahendam affinitatem.*
6 *Referuntur quidam casus, quibus non contrahitur affinitas.*
7 *Ad hujus casus reservationem requiritur affinitas, & incestus simul.*
8 *Ad contrahendam affinitatem an aliquando sufficiat seminis distillatio intra pudoris fæminei claustra.*
9 *Sententiam negativam sustinent aliqui.*
10 *Communior Doctorum persuasio in affirmativam deflectit.*
11 *Distillatio seminis intra secreta fæminæ genitalia, etsi sufficiat ad contrahendam affinitatem, non tamen ad hujus casus reservationem, si talis distillatio in affine muliere contingat.*
12 *Ad contrahendam affinitatem an necessaria sit tàm viri, quàm fœminæ seminatio.*
13 *Proponitur sententia negativa.*
14 *Affirmativam probabiliorem putat Auth0r.*
15 *Quoties inter consanguineum & affinem in gradibus expressis, sive ex parte utriusque, sive saltem viri, intercedit copulæ consumatio, talis copula erit incestuosa, reservationique obnoxia.*

ANNOTATIO I.

1 Affinitas est propinquitas personarum proveniens ex carnali copula licita, vel illicita, ita dicta, quòd alter accedat ad finem consanguinitatis alterius, propter copulam cum aliquo de illa consanguinitate habitam. Affinitatis gradus numerantur sicut in consanguinitate. Nam quoto gradu quis est consanguineus viro, vel fœmine cognitæ, eodem est affinis fœminæ, vel viro cognoscenti. Mensurantur gradus inter affines iuxta gradus consanguinitatis unde stipes in affinitate dicitur duplex illa persona, quæ per carnalem copulam commiscetur, cùm utraque sit origo, & radix hujus affinitatis.

2 Affinitatis linea est duplex, sicut & consanguinitatis: alia recta ascendentiũ, & descendentium; alia transversa collateralium. Ascendentes in linea recta sunt socer, socrus, vitricus, & noverca: descendentes sunt genera, nurus, privignus, & privigna. In linea verò transversa sunt consanguinei uxori, & marito, vel personæ cognoscenti, & cognitæ; qui in eodem gradu uni fiunt affines, in quo sunt alteri con-

consanguinei. Sanch. l. 7. de matr. disp. 64. ex communi.

ANNOTATIO II.

3 Cœterùm notandum est, affinitatem esse duplicem: alteram, quę oritur ex copula licita, v. g. matrimonii, quæ extenditur usque ad quartum gradum inclusivè: alteram, quæ nascitur ex copula illicita, verbi gratia fornicatione, quæ non excedit secundum gradum. Sicut ergo duplex est affinitas; ita duplex est affinitatis incestus, alter, qui committitur ex carnali copula cum consanguineis alterius conjugis, propter affinitatem ex licito matrimonii concubitu ortam, quę copula incestuosa extenditur usque ad 4. gradum, sicut etiam affinitas. Alter, qui committitur ex turpi congressu cum consanguineis ejus viri, vel fœminæ, quacum actus carnalis fuit consumatus, propter affinitatem ex illicita copula natam: qui incestus extenditur tantùm usque ad secundum gradum, sicut & prohibitio matrimonii, ut probabiliùs docet Sanch. l. c. disp. 67. n. 8.

4 Modò litera reservationis utrumque incestum comprehendit: Nam cùm jus reservans non distinguat, nec nos distinguere debemus; & cui conveniunt verba legis, & ejus dispositio convenire debet. Unde incestus etiam cum affine ex illicita copula à casu non est exclusus.

Cœterùm quamvis incestus quoad specialem malitiam extendatur usq; ad quartum gradum, quando affinitas contracta est ex copula legitima; tamen quoad reservationem non excedit secundum gradum tàm respectu copulæ licitę, quam illicitæ: sicuti clarè constat ex litera reservationis.

ANNOTATIO III.

5 Advertendum tamen est, quòd non quælibet copula sufficiens est ad contrahendam affinitatem, sed requiritur, ut sit perfecta, & intras vas fœminæ naturale consumata: Quia tota ratio, ob quam ex copula nascitur affinitas, est, quia per eam vir & fœmina fiunt una caro: at non efficiuntur una caro, nisi per copulam intra vas fœminæ consumatam, quæ simul ad prolis generationem sufficiat: Ergo, &c. Ita Nav. in man. cap. 22. n. 42. Tolet. lib. 7. cap. 21. num. 3. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 64. num. 8. Filliuc. tract. 10. 2. parte n. 208.

6 Unde non oritur affinitas ex copula, in qua sola fęmina seminet: quia ea sola non sufficit ad prolis generationem: neque ex quacumque pollutione extra vas fœmineum: neque ex congressu spadonum: quia semen prolificum non emittunt: neq; ex copula sodomitica: quia ex ea non potest sequi generatio; Navar. cit. cap. 22. num. 42. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 64. n. 8. Graff. p. 1. decis. lib. 2. c. 80. n. 7. & 8.

7 In hisce igitur casibus sicuti nulla resultat affinitas, ita copula cum consanguineis alterius complicis subsecuta, licèt sit mortifera, non tamen incestuosa ob affinitatis defectum, & consequenter neque reservationi obnoxia. Quòd si contracta sit quidem affinitas, sed tamen inter consanguineum, & affinem non intercesserit copulæ consumatio, erit quidem reatus mortalis, non tamen reservationi subjectus, ob defectum perfecti incestus.

ANNOTATIO IV.

8 Superest tamen difficultas, an ad cōtrahendam affinitatem aliquando sufficiat pollutio infra, vel circa fœminæ pudenda, si qua seminis pars intra secreta ejusdem genitalia casu illabatur: itemque si virile semen forinsecùs à matrice fęminea intùs attrahatur.

9 Negativam sustinet Basilius Pontius lib. 3. de matrim. cap. 33. n. 6. cui subscribit Mazuch. disp. 2. c. 4. q. 1. diffic. 4. num. 20. Quorum ratio est, quia ad affinitatem contrahendam requiritur copula intra naturale vas fœminæ consumata: Quod confirmat ex textu Urbani II. ubi ait, quòd pollutio debet esse in naturalibus admissa: idque superiùs adnotavimus num. 5.

mant aliqui, ut Graff. p.1. decis.aur. lib.2. c.81. nu.4. Sed probabilior est sententia contraria, videlicèt copulam habitam cum consanguineis alterius conjugis vltra secundum gradum, nequaquam impedire matrimonii usum. Nav. *l.4. constit. de consang. cons.6. n.4.* Emman.Sà *in sum.v. debitum linea. Qui conjugis.*

4 Subjacet reservantis juris dispositioni, qui cum affine carnaliter concubuit, licèt vir solus intra claustra fęminei pudoris copulam consumaverit: patet *ex annot.4. nu.8.* quia hujusmodi copula existimatur perfecta, & incestuosa.

5 Porrò nec maritus ille à reservatione excusatur qui post copulam incestuosam cum uxoris consanguinea in gradibus expressis, deindè rem habet cum uxore propria. Nam eo casu uxor efficitur viro affinis in eo gradu, quo fęmina à marito cognita existit uxori consanguinea; hæc autem, ut supponitur, existit uxori consanguinea in primo, vel secundo consanguinitatis gradu: Ergo in eodem gradu existit affinis uxor marito; sicque reservatione innodatur. Graff. loc.cit.n.26. debet igitur ab Episcopo priùs dispensationem petere, si affinitas cum uxore sit intra secundum gradum contracta, ut supradictum est resol.4.

Reliquæ resolutiones pro incidentibus videri possunt in priore hujus casus parte, quarum plereq; huic posteriori queunt accomodari.

RESOLVTIVA PRAXIS

Pro non Incidentibus.

1 NOn ligatur reservatione, qui carnaliter commiscetur cum uxore fratris vxoris propriç: quia fœmina cognita, non cognoscentis, sed suæ ipsius uxoris est affinis: affinitas autem non parit affinitatem.

2 Idem resolvitur de eo qui, celebrato matrimonio, ante illius consumationẽ rem habet cum vxoris consanguinea intra secundum gradum: quia ex matrimonio rato, sed non consumato, saltem ex parte viri, nulla nascitur affinitas, sed solùm publica honestas. Cęterùm hoc casu cùm vir fiat uxori affinis intra secundum gradum, si postmodùm copulam consumet cum uxore, ligabitur reservatione, sicuti dictum est supra in resolutiva praxi pro incidentibus cas.6.

3 Non incidit in casum, qui postquam fornicariam habuit copulam cum Berta, deinde carnaliter cognovit Cajam in tertio gradu Bertæ consanguineam: Quia hujusmodi copula non est incestuosa, sicut diximus supra annot.2. ex Sanc.& Sà; vel ad summum est in tertio gradu, & consequenter reservantis juris dispositioni non subjecta.

4 Idem deciditur de viro illo, qui postquam carnaliter se commiscuit cum consanguinea uxoris suæ in tertio gradu, deinde copulam habet cum uxore propria: Tùm quia copula subsecuta cum uxore non est incestuosa, cùm affinitas ex copula illicita non excedat secundum gradum: Tùm quia si esset incestus, esset in tertio gradu, & proinde extra telum reservationis.

5 Vtrùm autem incidat, qui copulam consumavit cum duabus sororibus, quem incestum non commisisset, si affinitatis circumstantiam perspectam habuisset. Affirmant Homob. de cas. reser. par.1. de caus. effic. cas. reser. asser.2. quem citat, & sequitur Lup. de cas. reser.par.2. cas.2. §.4. num.23. Sed probabiliùs negat Graff. loc.cit. num.36. Floron. loc cit. num.31. Mazuch. l.c. num.56. Tùm quia ad hanc reservationem requiritur, ut incestus crimen sit tale materialiter, & formaliter simul: in hoc autem casu licèt sit tale materialiter, non tamen formaliter. Tùm quia ignorantia affinitatis tollit incestus malitiam, quæ eo casu non potest imputari ad culpam, utpotè incognita, adeòque involuntaria, & consequenter tollit etiam reservationem. Vide in priore hujus casus parte annotat.6. & casum 14. pro non incidentibus.

6 Idem ob eamdem rationem resolvitur de illo, qui ratus se commiscere cum affine in secundo gradu, reperit postea, eam esse in tertio: vel è converso, existimans rem habere cum fœmina in tertio, intelligit postea existere in secũdo. Vide supra in priore hujus casus parte cas.12. & 13.

& 13. pro non incidentibus, in simili de consanguinitate.

7 Non incidit, qui ex metu gravi, cadente in constantem, &c. cogitur concubitum habere in expressis gradibus cum affine. Quia metus gravis, etsi non excuset eo casu à mortali culpa ob transgressionem juris Divini, quæ est intrinsecè mala; censetur tamen excusare à reservatione, quæ provenit ex jure humano, quod regulariter non obligat cum tāta severitate, & detrimento. Vide supra in priore hujus casus parte casum 6. pro incidentibus, & Doctores ibi citatos.

8 Excusatur demum à reservatione, qui aliquo ex modis enumeratis supra annot. 3. n. 6. & annot. 4. nu. 8. turpem habet congressum cum affine in primo, vel secundo gradu.

9 Fœminę verò quocumque modo, & in quolibet gradu affinibus copiam sui corporis faciant, numquam reservationem incurrunt: Quia litera reservationis non comprehendit fęminas, sed solùm mares: patet ex dispositione ac tenore legis reservantis.

DE GRAUITATE

Hujus Delicti, & Obligatione Confessarii.

CVm ex gravitate pœnæ in delinquētem inflictæ gravitatem delicti liceat colligere; certè hoc incestus crimen gravissimum esse, præter alia testimonia, illud nobis est argumento, quòd omnes leges Divinæ, canonicę, civiles gravissimas in incestuosos Diuinę, canonicæ, ciuiles licet apud Chapeau. casu 14. & Mazuch. loc. cit. difficul. 5.

Quod attinet ad Confessarium, etsi diligentia; & prudentia sibi semper vtendum est; in isto tamen casu non ordinariam sibi adhibendam esse, ignorare non debet. Nam cùm ad validitatem confessionis requiratur propositum vitandi peccata in futurum, inde est, ut si in excipienda alicujus filiifamilias, vel cognati confessione, cognoverit eos cum consanguinea turpiter commisceri solitos, priùs de proxima peccati occasione convellenda, recidivique periculo ablegando, quàm de absolutione impertienda, cogitare debeat.

Generaliter itaque loquendo de hac materia, advertat Confessarius regulariter dandam non esse absolutionem pęnitenti, qui persistit in proxima peccandi occasione: Quia talis non censetur sufficientem habere dolorem, & propositum præcavendi peccata in futurum. Sayrus lib. 8. c. 2. n. 9. Nav. in man. c. 2. n. 15. Dian. par. 4. tr. 4. resol. 165.

Nihilominus secundùm communiter receptam Navarri regulam loc. cit. nu. 19. potest absolvi pęnitens, quamvis propinquam peccati occasionem non amoveat, quoties hæ quatuor concurrunt conditiones. Prima est dolor de peccatis præteritis. Secunda firmum propositum non peccandi in futurum. Tertia est credulitas, qua credit se cum Dei auxilio non peccaturum, cùm se in ea occasione invenerit. Quarta, quando adest rationabilis causa non separandi se à tali occasione. Navar. loc. cit. Layman lib. 5. trac. 6. c. 4. n. 9. Dian. par. 2. trac. 2. resol 45.

Hinc deducitur, Confessarium posse aliquando absolvere concubinarium verè pœnitentem, si concubinam is dimittere non possit sine gravi infamia, vel scandalo, aut alio gravi incommodo. Tunc enim occasio peccandi non fit proxima, & proinde involuntaria.

Similiter absolvi posse concubinarium, qui in articulo mortis existens non potest tunc concubinam eiicere, sed habet firmum propositum illam eiiciendi, quamprimùm poterit. Filliucius tr. 30. n. 56. Bassæus v. absol. n. 7.

Imò Graff. l. 1. decis. c. 20. n. 9. Sancius in select. disp. 10. n. 11. & 12. Navar. l. c. n. 14. docent, posse absolvi pœnitentem, cum concubina, cùm reincidendi periculum cessat, v. g. quia deformis facta est; aut quia fornicator uxorem duxit: Ideòque simul cū periculo etiā scandalum cessat.

Præterea qui domum, officium, vel negotium, in quo propinquum subest peccandi periculum, deserere nolunt, eò

quòd

quòd sine maxima difficultate non possint, parati interim adhibere media, & remedia præscribenda à Confessario, non debent repelli; Quia occasio etiam proxima non necessitat ad peccatum: Ideòque stare potest cum proposito vitandi peccatum. Nec refert, quòd quis putet, vel timeat se unum, vel plura peccata non vitaturum: Quia propositum est actus voluntatis; existimatio autem illa, vel suspicio est actus intellectus, qui ex illo proposito ob humanæ voluntatis mutabilitatem non necessariò dependet. Layman lib. 5. trac. 6. cap. 4. n. 8. Card. de Lugo disput. 14. de pœnit. sect. 8. nu. 152.

Quemadmodum igitur prædicti pęnitentes in prædictis casibus possunt absolvi: ita dicendum est de filiofamilias, vel cognato, qui cohabitans cum consanguinea solitus est peccare cum ea. Nam concurrentibus quatuor conditionibus enumeratis, nempè vera pœnitentia, firmum propositum non peccandi, fiducia auxilio Dei nixa non relabendi, & rationabilis causa non recedendi à tali occasione, absolutionis beneficium poterit obtinere. Secùs si certus sit, impossibile sibi esse in tali occasione, utpotè proxima, incestus flagitium devitare: Nam eam deserere debet, nisi perire velit.

Sed petes, quænam dicenda sit occasio proxima, & quęnam remota?

Resp: Occasio proxima est illa, quæ & in se peccatum mortale est, & qua posita, homo nunquam, vel rarò peccatum vitare solet. Remota verò illa, quę suapte natura non est peccatum, vel saltem non est mortale; & qua posita non frequenter, sed rarò verbi gratia bis, vel ter, aut quater per integrum anni curriculum delinquere solet. Graff. l. 1. dec. c. 20 num. 13.

Adverte tamen, cùm supra dixerim occasionem proximam esse illam, quæ in se mortale peccatum est, & tamen aliquando pœnitentem posse absolvi, quamvis propinquam peccati occasionem non deserat, id intelligendum non esse, quòd absolvi possit pœnitens, etsi in peccato mortali persistat, hoc enim falsum esset, sed quòd occasio proxima, accedentibus quatuor illis conditionibus cesset esse proxima, & consequenter cesset esse mortalis culpa.

An autem filiofamilias, vel cognato, qui solitus est peccare cum consanguinea, & generaliter loquendo de omnibus recidivis, an toties quoties ad Confessarium accedunt, impertienda sit absolutio, etiamsi nullam de anteacta vita emendationem Confessarius videat, nullusque appareat profectus. Negant Suarez 3. par. to. 4. disp. 32. sect. 2. Graff. p. 1. l. 1. cap. 28. num. 23. Reginald. lib. 8. num. 19. Navar. cit. c. 3. n. 21. quia tali casu fictitium præsumitur pęnitentis propositum.

Contrariam tamen sententiam sustinēt Uivaldus tit. de absolut. n. 43. Joannes Sācius in select. disp. 9. & 10. nempe, propter recidivum numquam denegandam esse absolutionem, si pęnitens habeat dolorem de pręterito, & propositum de futuro: Quia impossibile mortaliter non est, pœnitentem modò verè dolere de peccato, & proponere cavere, statim verò oborta occasione, mutare propositum. Etsi (ajunt isti) respectu venialium reperiri potest verum propositum, & dolor absque aliquo profectu, vel emendatione, quare respectu mortalium idem non poterit admitti? Etsi ideo neganda est absolutio respectu mortalium, quia propositum præsumitur fictitium; quare non est deneganda etiam respectu venialium ob eamdem præsumptionem, saltem quando veniale, quod subiicitur clavibus, est totalis materia confessionis? Proindè quoties pęnitens vero dolore ac proposito censetur affectus, absolutionis beneficio putant non esse privādum, etiamsi nulla appareat in ipso vitę emendatio. Vide Cardinalem de Lugo citata disputatione decimaquarta de pęnitent. num. 151. & 156. qui hanc Uivald. & Sancii sententiam refert, & tuetur. Sed rectè monet num. 160. hujusmodi doctrinam, licet per se loquendo procedat, per accidens tamen posse contingere, oppositam sentētiam in praxi esse servandam: si videlicet pęnitens ex indiciis argui possit in præsentia carere verò dolore, ac proposito requisito: qui enim efficaciter, & seriò proponit rem aliquā,

quam aliundè mortaliter implere potest, non adeò facilè obliviscitur statim sui propositi, sed saltem per aliqu d tempus perseverat, & difficiliùs, vel rariùs cadit: Quare ex hoc capite potest negari, aut saltem differri absolutio.

IN
SEXTVM
Casum Reservatum.

In Edicto Episcopali sub hac littera Expressum.

Copula post sponsalia, etiamsi sint clandestina, matrimonio nondum celebrato quoad mares tantùm.

ANNOTATIONES.

1 *Sponsalia unde dicta.*
2 *Tripliciter sumuntur sponsalia.*
3 *De quo genere sponsalium loquatur littera reservationis.*
4 *Quænam conditiones requirantur ad valorem sponsalium.*
5 *De prima conditione, quæ est promissio.*
6 *De secunda conditione, quæ est promissio voluntaria.*
7 *An qui ficto, & simulato animo matrimonium promisit, obligetur ad nuptias contrahendas.* Refertur duplex sentẽtia.
8 *Copula post ficta sponsalia reservationi non est obnoxia.*
9 *An qui Virgini matrimonium fictè promisit, & sub ea spe eam defloravit, teneatur eam ducere.*
10 *In quibus casibus fictus promissor non teneatur defloratam ducere.*
11 *De tertia conditione, quæ est, ut promissio sit acceptata.*
12 *An requiratur, ut sit etiam mutua.* Refertur duplex sententia.
13 *Vtrùm aliquando sufficiant mutuæ promissionis signa.*
14 *Copula post hujusmodi repromissionis signa an censenda sit reservata.*
15 *An causæ sufficientes ad dissolvendã sponsalia, quando illa consequuntur, sufficiant etiam si præcesserint, licèt fuerint ignoratæ.*
16 *Copula post sponsalia invalida ex præcedenti causa sed ignorata, an censenda sit reservationi obnoxia.*
17 *Si notabilis mutatio superveniat sponsalibus, & post mutationem habeatur copula, an ea sit reservata.*
18 *Sponsalia alia publica, alia clandestina.*
19 *An clandestina sponsalia sint valida.*
20 *Copula post sponsalia clandestinè celebrata reservationi est obnoxia.*
21 *Solius sponsi, non item sponsæ fornicaria copula in hac Brixiensi Diœcesi reservationi est obnoxia.*
22 *Ex sponsalibus clandestinis an oriatur impedimentum publicæ honestatis.*
23 *Quid faciendum, quando matrimonium celebratum fuit cum impedimento publicæ honestatis, ex sponsalibus clandestinis aborto.*

ANNOTATIO I.

1 SPonsalia dicta sunt à spondendo: Mos enim olim erat, ut puella nuptura promitteretur viro à Patre, Tutore, vel amicis, ideòque dicti sunt sponsi, quasi alteri promissi: is verò, qui promittit sponsor.

2 Sed notandum est, quòd tripliciter sumuntur sponsalia. Primò promissione futuri matrimonij. Secundò pro matrimonio nondum consumato. Tertiò pro donis, quæ dabantur sponsæ à Sponso. Sed prima acceptio est maximè propria; unde in jure quoties de sponsis fit mentio, intelliguntur ii, inter quos intercessit promissio futuri matrimonii. In materia tamen favorabili nomine uxoris venit etiam sponsa de futuro. Ita Sanchez libro primo de matrimonio, disputatione prima, numero primo Layman libro quinto, tractatu decimo, parte prima, capite primo.

3 Litera igitur reservationis loquitur tantùm de sponsalibus priori modo sumptis, hoc est, de iis qui sponsalia contraxerunt; sed ante celebrationem matrimonii

nii miscentur copula carnali. Complures enim, & maximè rudiores putant, statim ac inter eos promissio nuptiarum intercesserit, sibi fas esse carnaliter se cognoscere: qui perniciosus abusus multorum radix malorum, ut convelleretur, Providissimus Ordinarius noster casum hunc severiori suo judicio reservare decrevit.

ANNOTATIO II.

4 Sed notandum est, quòd ad validitatem sponsalium, & consequenter ad incidendum in reservationem, non sufficit quælibet matrimonii promissio, sed requiritur, ut hujusmodi promissio sit voluntaria, deliberata, acceptata, & mutua, & præterea signo aliquo externo sufficienter expressa. Sanchez libro primo de matrimonio, disputatione octava, & nona. Bonacina de matrimonio quæstione prima, puncto tertio, numero quinto.

5 Prima itaque conditio est, ut intercedat promissio: Non enim sufficit propositum, cùm propositum nullam inducat obligationem. Vnde qui diceret, *volo te accipere*, vel *ducere in uxorem*, non contraheret sponsalia: quia hæc verba non promissione, sed propositum promissionis tantùm significant; nisi tamen aliud ex circumstantiis colligatur. Valen. tomo quarto, disputatione decima, quæstione secunda, puncto primo, Filliucius tractato decimo, prima parte, capitulo septimo, numero vigesimo tertio.

Qui igitur post prolationem hujusmodi verborum, propositum non promissionem significantium, copulam cum puella haberet, licèt graviter delinqueret, nullam tamen reservationis pœnam incurreret: Quia litera reservationis non reservat quamcumque copulam, sed solùm eam, quæ habetur post sponsalia, matrimonio nondum celebrato: ut constat ex verbis reservationis.

ANNOTATIO III.

6 Secunda conditio est, ut promissio matrimonii sit voluntaria: Nam vis obligandi nascitur ex voluntate. Vnde si ante copulam non intercessit vera promissio, sed promissionis fictio, invalida erunt sponsalia; Siquidem ficta promissio deceptio potiùs, quàm promissio debet dici. Ficta autem promissio est, quæ fit sine animo promittendi, aut cum animo non se obligandi. Ita Sanch. l. 1. de matrim. disp. 11. num. 5. ConincK disp. 22. n. 7. Fill. trac. 10. par. 1. cap. 7. n. 251. Lessius lib. 2. cap. 18. num. 5.

7 Vtrùm verò qui ficto, & simulato animo matrimonium promisit, obligetur ad nuptias contrahendas. Negativè respõdet Sanch. de matrim. lib. 1. disp. 11. nu. 5. ConincK. de sacram. disp. 22. num. 7. Filliuc. tract. 10. cap. 7. num. 51. Lessius lib. 2. cap. 18. num. 5. Quorum ratio est, quia promissioni defuit consensus, licèt enim peccaverit fictus sponsor promittendo, & decipiendo alterum, qui non facilè poterat cognoscere rem joco agi; non tamen tenetur stare promissioni, aut complere sponsalia: ratione verò gravis damni, quod alter pateretur, aut ratione scandali vitandi, si aliter evitari non potest, teneretur stare promissioni. Ficta autem promissio est, quæ fit sine animo promittendi, aut cum animo non se obligandi, ut supradictum est.

Verùm hanc sententiam refellit Pontius lib. 2. de matrim. cap. 5. num. 5. sustinens, fictè cõtrahentem iterum teneri verè, & ex animo contrahere: quod quidem ita certum existimat, ut judicet oppositũ probabilitate carere: Tùm quia si opinio Sanchez, & aliorum eum sequentium admitteretur, latissima aperiretur via hominibus sceleratis ad decipiendas sæpè fœminas, si semel sibi persuaserint non teneri ad verè contrahendum, quod etiam putavit Reginald. lib. 31. n. 250. Tùm quia semper sequitur alteri gravissimũ damnũ; Cùm enim in foro Ecclesiastico probare nequeat fictum alterius consensum, non permitteretur aliud inire matrimonium, cogereturque continenter vivere.

Et

Et pro hac sententia citantur D. Thom. Scot. Adrian. Sot. Nav. Henriq. Nihilominus sententiam Sanch. ut valdè probabilem admittit Dian.cit.part.3. tract.4.resol.147.

8 Verùm quidquid sit de obligatione standi fictæ promissioni, vel complendi sponsalia, certum est, nullam eo casu incurri reservationem: Nam deficiente vera promissione, deficiunt vera sponsalia; deficientibus autem sponsalibus, deficit reservatio, ut patet ex verbis legis reservantis.

9 An autem qui virgini conjugium promisit, & sub ea spe seu conditione eā deflora it, teneatur eam ducere, etiamsi fictè promisisset. Resp. Qui per promissionem veram, vel fictam matrimonii, virginem ad copulam flexit, tenetur eam ducere. Ita communiter DD. ex Less.loc. infrà cit.& quidem si promissio fuerit vera, certius est, stupratorem teneri ad contrahendum, quia promissio acceptata obligat, & quidem ex justitia, teste Mol. & Less. infrà cit. Quando autem promissio fuit ficta, adhuc stuprator tenetur ad matrimonium contrahendum, nec satisfacit, si puellā defloratā dotet, aut damnū resarciat: Quia promissio hęc facta est per modum contractus; in omni autem contractu, ubi alter ex parte sua implevit, tenetur & alter implere. Cùm ergo puella ex parte sua illum impleverit concedendò copiam sui corporis, tenetur, & fictus promissor implere eam in uxorem ducēdo. Ita docent Angel. *v. stuprum* n.1. Syl. *v. luxuria* q.5. Nav. in man. c.16 n.18 Henriq. lib.11.c.11.n.2. Molin. tr.3.disp.106. n.4. Laym. l.5.tr.10.par.1. cap.1.nu.11. idque verum esse etiamsi stuprator religionem vovisset, docet Less. lib.2.c.10. dub.3. & 4. Trulench. l.7. c.9. d.3.

10 Excipiuntur tamen nonnulli casus, quibus non tenetur fictus promissor defloratam ducere. Primò si vir sit longè eminentioris conditionis quàm fęmina deflorata vel quoad divitias, vel quoad nobilitatem. Secundò, si deflorator jam sacris sit initiatus, aut alteri matrimonio junctus Tertiò si ex tali matrimonio grave damnum, aut scandalum timeatur. Quartò si post promissionem puella cum alio fornicetur. Quintò si requisita puella de sua virginitate responderit, se esse virginem, quam postea deprehendat corruptam. His enim casibus satisfaceret, dotando defloratam, vel augendo dotem, ita ut æquè benè nubere posset. Imò quinto casu vir ad nullam restitutionem tenetur, quia priùs ab ipsa fuisset deceptus. Vide quæ de hac difficultate fusiùs dicam in additione ad hanc secundam partem *casu* 3.

Rectè tamen advertit Laym. l.5. tr.10. par.1.c.1.n.11. in fine, si fictus promissor sciebat puellam esse corruptam, & nihilominus ei fictè matrimonium promisit sub conditione copulæ, ea impleta obligari ad eam ducendam.

ANNOTATIO IV.

11 Tertia conditio ad sponsalium valorem est, ut promissio sit acceptata, hæc enim regulariter non obligat, antequam acceptetur. Vasq. de matrim. disp.3. cap.2. nu.21. & disp.4. cap.3. Laym. lib.5. tr.10. par.1. nu.2. Nav. in man. cap.22. num.25. Dian. par.3.tr.4.resol.244.

13 Major difficultas est, an requiratur etiam, ut sit mutua, v.g ut ex parte viri intercedat promissio, ex parte verò puellæ repromissio, ut valida sint sponsalia, & consequenter copula tali occasione exorta sit reservata. Affirmativa pars videtur suaderi ratione, quia inter conditiones, quæ requiruntur ad validitatem sponsalium, annumeratur etiam mutua promissio, ut videre licet apud Dianam loc. sup. cit.

14 Contrarium tamen sustinet Sanch.l.1 de matr. disp.22. videlicèt ad valorem sponsalium non requiri expressam repromissionem, sed sufficere alia signa, quæ mutuæ repromissionis vicem suppleant. Vnde sicut habito tractatu inter amicos de matrimonio, si à viro puella arrhas accipiat, vel immissionem annuli, vel viro det manum ad fidem recipiendam sine alia repromissione, talia signa supplent vicem repromissionis, & operantur sponsalia: sicuti docent Henriq.l. 11.de matr.c.13.n.6. Rosel. *v. sponsalia*. Ita dicendum videtur in casu, quo vir matrimo-

monium puellæ promittat, puella verò illi copiam sui corporis tradat: Nam hujusmodi corporis traditio censetur signum sufficientissimum repromissionis, & sic operatur sponsalia. Ita Sanch. lib.1. de matrim. disp.22. n.6.

16 Verùm quidquid sit de validitate sponsalium, existimo hujusmodi copulam non censeri reservatam. Nam in casu reservatur copula, quæ subsequitur, non quę antecedit sponsalia: in hoc autem casu copula non est posterior, sed prior sponsalibus, utpotè quæ per eam constituuntur: Ideòque censeri non debet reservata. Quæ assertio procedit, nisi aliud signum mutuæ promissionis ipsam copulam præcesserit: idque certius est, si promissio facta sit sub conditione copulæ: Nam sponsalia non perficiunt, nisi impleta conditione, hoc est, post secutam copulam. Mazuch. disp.2. c.12. difficul.11. num. 42.

ANNOTATIO V.

16 Ex supradictis constat, quando sponsalia ex defectu prærequisitæ conditionis fuerunt invalida, copulam deinde inter sponsos secutam reservationi non esse obnoxiam. Difficultas est, an causæ quæ sufficiunt ad dissolvenda personalia, quando post illa eveniunt, sufficiant etiam pro illis dissolvendis, si præcesserint, & probabiliter fuerint ignoratę. Nam ex hujus difficultatis resolutione pendet alia, vtrum scilicèt copula habita post hujusmodi sponsalia reservationi Episcopali sit obnoxia.

Ante responsionem supponendum ex Sanch.lib.1. de matr.disp.64. si error, vel dolus fuerit causa contrahendi sponsalia, & insuper provenerit ab altero contrahente, hujusmodi sponsalia esse invalida, & consequenter copulam post illa habitam reservationi non esse subiectam.

Nunc ad difficultatem respondeo, & dico, defectus, & causas, quę sufficiunt ad dissolvenda sponsalia, quando superveniunt, sufficere etiam, si pręcesserint. Cùm enim sponsalium tempore non apparerent, perinde est, ac si non essent: Cùm verò postea apparere incipiunt, perinde est, ac si de novo existant.

Hinc si fornicatio commissa post sponsalia sufficientem causam prębet resiliendi à sponsalibus, ut docet Henriq. l. 11. de matr c.14. nu.6. Laym. lib.5. tr.10. par.1. c.2. n.18. & 19.

Item notabilis morum asperitas, & sævitia, quæ denuò innotescat; vt concedit Sanc. l.c. disp.58. Fill. tr.10. par.1. nu.290. Tolet.lib.7. c.21. n.6.

Item si alteruter incidat in lepram, paralysin, morbum gallicum, ut habet idem Sanch. l.c. disp.57. Nav. in man c.22. n.27. versic. octav. Dian. par.3. de sacram. resolut.285.

Similiter paupertas superveniens, etiamsi nulla dotis promissio præcesisset; ut tradit idem Sanch. l.c. disp.62. Fill. l.c. n.290. Similiter tactus impudici habiti à sponsa cum alio, ut docet Dian. par.2. tr.4. resol.283.

Istæ inquam aliquæ similiter causæ si sufficientem causam prębent dissolvendi sponsalia, quando superveniunt sponsalibus, sufficient etiam, si pręcesserint, & probabiliter fuerint ignoratæ. Navar. in man. c.22. n.27. Henr. l.11. de matr. c.14. n.6. Sanch. l.c. disp.63. Laym. lib.5. tr.10. par.1. c.2. n.19.

Quoties igitur sponsalia sunt contracta ex errore, vel dolo, dante causam contrahendi, sicut eo casu retenta sententia Sanch. loc.cit redduntur invalida; ita etiam copula post hujusmodi sponsalia censeri non debet reservationi obnoxia. Rursus sicut sponsalia contracta ex aliis causis pręter errorem, vel dolum dantem causam contrahendi, non sunt invalida, sed tantùm solubilia; ita etiam copula post sponsalia in causa sive antecedente, sive superveniente solubilia, quandiu de facto non solvuntur, haud dubiè Superiori erit reservata.

Hinc deducitur resolutio etiam alterius casus, videlicèt si sponsus conscius sufficientis causæ dissolvendi sponsalia, nihilominùs sponsam carnaliter cognoscat, censetur implicitè juri suo renunciare, sponsaliaque tacitè ratificare teste Laym.lib.5.tr.10. c.2. n.20. Ideque verum esse, etiamsi expressam habeat intentio-

nem

nem non renunciandi suo juri, docet Sanc. loc. cit. n.3. Vnde ulteriùs sequitur, si nondum dissolutis sponsalibus, vel illis expressè ratificatis, copula inter sponsos habeatur, quòd illa verè dicenda sit copula post sponsalia: Idóque reservationi obnoxia; consentit Mazuch. disp.2.c.12. diff.4. n.69.

ANNOTATIO VI.

19 Cęterum cùm sponsalia dicantur voluntaria, & mutua futuri matrimonii promissio, notare oportet, quòd hæc promissio dupliciter fieri potest, vel publicè, vel clandestinè: publicè, si fiat cum præsentia testium; clandestinè, si vir, & fœmina clam sibi spondeant, nullo præsente, vel advertente.

20 Quamvis autem in foro externo sponsalia valida non habeantur, nisi probētur per testes, aut in defectum testium juramento; tamen in foro conscientiæ sponsalia etiam clandestina robur, & firmitatem habent, sicuti docet Sanch. lib.1. de matrim. disp.12. & 13. & alij plures apud ipsum. Et licèt Concilium Tridentinum, *sessione vigesimaquarta*, cap.1. matrimonia clandestina irritaverit, non tamen irritavit sponsalia clandestina. Nam cùm lex Tridentini irritans matrimonium clandestinum sit correctoria juris communis, non est extendenda ultra casum expressum: Proinde cùm irritet tantum matrimonium clandestinum, non debet extendi ad sponsalia, sed tanquam casus omissus relinquendus est dispositioni juris communis. Nav. in man. c.25. n.44. Franc. Leo. *in thes. fori Eccles.* p.2. c. 21. n.36. Sanch. de matr. lib.1. disp.12. & 13. Filliuc. p.1. tr.10. c.7. q.8. Bassæus *in florib. v. sponsalia* n.6.

21 Licèt igitur sponsalia clam non debeant celebrari, si tamen contrahantur, valida firmaque manent, saltem in foro conscientię. Et consequenter quoties sponsus, & sponsa carnaliter se cognoscunt, uterque mortaliter delinquere, & in reservationem incidere censendus est: dummodò perfecta inter eos copula intercesserit cum seminis emissione intra pudoris fœminei claustra. Graff. in praxi l.2. cap.38. n.8. Belloch. q.4. nu.270. Mazuch. cap.10. q.1. n.10.

22 Adverte tamen, quòd licèt eo casu tàm sponsa quàm sponsus mortale fornicationis peccatum committant, solius tamen maris seu sponsi, non item sponsæ carnalis copula reservationi erit obnoxia: Idque verùm est, etiamsi sponsalia sint clandestina: quod clarè constat ex reservationis littera, ubi reservantis juris dispositio cùm limitetur ad mares, consequenter eximuntur fœminæ, juxta juris regulam: Inclusio vnius (sexus) est exclusio alterius. Quod præalto consilio in hac Brixiensi Diœcesi novissimè factum esse, unicuique proculdubiò existimare fas est. Et fortasse imbecillitati ac fragilitati sexus parcere voluit Sapientissimus Legislator: Tùm quia ipsum non latet, quòd sępè numero sponsi vel per violentiam, vel metum resiliendi à sponsalibus (maximè si clandestina sint) compellunt sponsas ante matrimonii celebrationem ad sibi concedendam sui corporis copiam: Ideòque sponsę eo casu sicut minorem contrahunt culpam, sic mitiùs multari consentaneum fuit.

Quæres hìc obiter, an ex sponsalibus clandestinis oriatur impedimentum publicę honestatis, impediens matrimonii celebrationem cum consanguineis alterius in primo gradu.

23 Resp. primò, ex sponsalibus clandestinis, quandiu manent clandestina, non oriri impedimentum publicæ honestatis in foro externo, & coram Ecclesia: Quia tale impedimentum inductum est ab Ecclesia ob publicam honestatem, & ad vitandum scandalum: at quando sponsalia sunt clandestina, tunc cessat ratio publicę honestatis, & scandali coram Ecclesia: Ergo, &c. Sanch. lib.7. de matrim. disp.68. n.16. & 17.

Respondeo secundò, ex sponsalibus clandestinis in foro conscientiæ, & coram Deo consurgere impedimentum publicę honestatis. Et ratio est, quia sponsalia clandestina in foro conscientię sunt firma, & valida, ut constat ex supra dictis n.19. Atqui ex spōsalibus validis consurgit impedimentum publicæ honestatis, ut patet ex Trident. sess.24. cap.3. quod impe-

impedimentum licèt non obstet in foro Ecclesiastico ob clandestinitatem, obstat tamen in foro conscientiæ: Nam tale impedimentum obligat in vtroque foro, teste Sanchez cit. n. 15. ex communi. Ergo &c. Non enim forum internum, & externum sunt unum & idem, neque unum ab altero dependet. Nam judicium fori conscientiæ hęret veritati, judicium verò fori externi nititur præsumptionibus, quæ sæpenumerò sunt falsæ. Quòd autem hujusmodi impedimentum non oriatur in foro Ecclesiastico, id est per accidens ratione clandestinitatis, & ex præsumptione, qua cessante, hoc est, probatis sponsalibus saltem juramento, etiam in foro externo Ecclesiastico statim orietur. Ita suadeor, meęque suasioni favent Doctissimi viri hac de re à me consulti: licèt aliter innuat Sanchez cit. disp. 68. n. 17. in fine.

Pro convalidando igitur matrimonio invalidè in foro conscientiæ celebrato, ob impedimentum ex clandestinis sponsalibus obortum, ad sacrum Pœnitentiariam Romanam oporteret recurrere; ab eaque dispensationem in eodem conscientię foro obtinere: Vide Pyrrum Corrad. in praxi dispens. Apostol. lib. 7. c. 7. n. 49.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro Incidentibus.

EX prenotatis resolvitur, reservatione ligari sponsum, non item sponsam, qui, contractis sponsalibus validis, ante celebrationem matrimonii miscentur copula carnali, dummodò copula fornicaria fuerit consumata per seminis emissionem intra secreta sponsæ genitalia: patet ex terminis casus, & docet Grassius in praxi lib. 2. c. 38. n. 8. Gambar. casu 14. pag. mihi 223.

2 Idem deciditur de illo, qui validè contractis sponsalibus, invalidè deinde ob defectum consensus proprii, vel alterius inivit matrimonium: Nam quoties id innotescit, matrimoniumque non revalidatus per novum consensum expressum, vel tacitum, concubitus inde mala fide secutus est verè copula post sponsalia, nondum matrimonio celebrato: cui autem conveniunt verba legis, & ejus dispositio convenire debet.

3 Reservationem incurrit sponsus, qui copula miscetur carnali post sponsalia clam contracta, ante celebratum matrimonium: quia sponsalia clandestina in foro conscientiæ sunt valida & firma, teste Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 12. & 13. & Graff. loc. cit. n 18 Tum quia ita disponit lex reservans, ut constat ex litera reservationis.

4 Eadem resolutio datur de sponso, qui cognito suo jure resiliendi à sponsalibus, carnalem deinde habet copulam cum sponsa: Nam per subsequentem copulam censetur renunciare juri suo: Ideòque illa copula verè dicitur post sponsalia, nondum inito matrimonio. Mazuch. disp. 2. c. 12. diff. 4. n. 69.

5 Subjacet reservationi, qui post sponsalia invalida quidem, sed per copulam subsecutam ratificata, rursus habet copulam cum sponsa. Quia concubitus posterior est verè copula post sponsalia, matrimonio nondum celebrato. Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 66. num. 3. Mazuch. cit. num. 69.

6 Præterea si ex parte sponsi præcesserint verba, & ex parte sponsæ receptio annuli cum prolatione verbi recipio, & postmodum inter eos sequatur copula, illa erit reservata respectu sponsi: Quia in hoc casu immissio annuli, & verbum recipio operantur sponsalia: constat ex annotat. 4. n. 14. & docet Sanchez lib. 1. de matrimonio disputatione vigesima sexta num. 6.

7 An autem in locis, ubi tàm sponsæ, quàm sponsi copula fornicaria reservationi est obnoxia, incidat fœmina, quæ contractis sponsalibus, antequam matrimonium celebretur, vel per violentiam, vel etiam per metum in constantem fœminam cadentem, compellitur à sponso ad sibi concedendam sui corporis copiam.

Affirmat Floron. de casibus reservatis parte secunda, casu sexto, numero trigesimo primo, cui videtur adherere Mazuchell. de casibus reservatis, disputatione se-

secunda, capite quarto, quęstione tertia, numero sexagesimo quinto, & sexagesimo septimo. Tùm quia voluntas non potest cogi: Tùm quia metus etiam gravis, cùm non excuset eo casu à fornicationis culpa, neque excusabit à reservationis pœna. Demum quia reservatio (ajunt) propriè non est pœna, sed ablatio jurisdictionis, cujus defectu Confessarius simplex non potest absolvere sponsos, qui fornicario concubitu explent libidinem, antequam ineatur matrimonium.

Oppositum sentit Graff. in praxi lib. 1. cap. 12. nu. 23. & cap. 13. n. 33. cui subscribit Januar. de casibus reservat. resol. 47. num. 15. in simili de deponente falsum in judicio. Quorum sententiam tanquam probabiliorem supra secuti sumus casu tertio, numero duodecimo, in resolutiva praxi pro incidentibus, & casu quinto, num. 6. in eadem resolutiva praxi, ob rationem ibi adductam: Quia metus gravis etsi non excuset à fornicaria copula, utpotè intrinsecè mala; censetur tamen excusare à reservatione, quę provenit ex jure humano; quandoquidem Superior reservans non pręsumitur, eo casu velle fęminam privare absolutionis obtinendę beneficio, eamque obligare cum tanta severitate. Ita colligitur ex Sanchez lib. 1. moral. cap. 15. num. 4. Bonacina tom 2. disput. 2. quęst. 8. par. 2. num. 3.

Jmò si fęminę inferatur vis, & coactio propriè dicta, excusabitur etiam à mortali culpa, si duo præstet. Primò si violentę copulę non consentiat, sed merè pasivè se habeat. Secundò, si quantum in se est, clamore, conatu, & nisu corporis resistat. Filliucius tomo secundo, tract. 21. cap. 2. num. 67. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 6. num. 2. Vide quæ suprà dixi in priori Elucidarii parte, resol. 122. & Doctores ibi citatos.

RESOLVTIUA PRAXIS

Pro non Incidentibus.

1 NOn incidit sponsus, qui post sponsalia, nondum inito matrimonio, se polluit cum sponsa tactibus impudicis, citra copulę consumationem. Quia litera reservationis expresſè loquitur de copula, non de tactibus impudicis: in odiosis autem non est facienda extensio, nisi necessitas, vel evidens ratio id facere cogat. Graff. in praxi lib. 2. cap. 37. num. 21.

2 Idem resolvitur de sponso, qui in terminis casus carnaliter cognovit sponsam præpostera libidine: Quia hujusmodi nefanda fęditas non venit nomine copulę, sed nefariore inuritur nota.

3 Immunis est à reservatione sponsus, qui in iisdem terminis casus copulam incępit, sed non perfecit cum seminis emissione intra vas naturale sponsę: Quia reservatio hęc intelligenda est cum effectu. Graff. in praxi lib. 2. cap. & nu. cit. 22. Culpam tamen mortalem committit.

4 Eadem immunitas extenditur ad sponsum impuberem, qui post sponsalia concubitum habuit cum sponsa. Nam reservatio requirit actum completum, & consummatum: pręterquam si comprehendat etiam attentionem & conatum: impuberes autem non emittunt semen. Ergo &c.

Quid autem, si in raro casu malitia suppleret ętatem, ideòque alter eorum copulam consumaret: in hoc casu illum tantùm incidere qui copulam consumaret, sentit Lupus de casibus reservatis par. 2. cas. 2. §. 3. num. 20. & in simili de copula incestuosa, cui subscribit Homob. de casib. reserv. par. 1. cas. 3. fol. 60. Ego verò censeo, si fęmina tantùm seminet, nec ipsam, nec masculum impuberem incidere: tum quia fœminę in quocumque casu excluduntur à reservatione in hac Brixiensi Diœcesi. Tum quia ex antea dictis copula consumatur tantùm per semen viri: Si verò masculus solus semen emittat,

emittat, utrumque reservatione ligari, si uterque comprehendatur in lege reservante. Quia copula per solam viri seminationem intra pudoris feminei claustra censetur consumata. Vide quæ diximus in prima Elucidarij parte resol.27.

5 Excusatur à reservatione sponsus, qui cœptam copulam, non ex industria, sed ex superveniente impedimento, & contra ipsius voluntatem, abrumpit: Quia defectus consumatæ copulæ non suppletur per consummatum voluntatis consensum, & malitiam. Secùs coram Deo, apud quem voluntas pro facto reputatur, ait S. Bernardus epist. 77. ad Ugonem Victorinum.

6 Non comprehenditur casu, qui patefacto ineundi cum fœmina matrimonii proposito, carnaliter deindè eam cognoscit, v.gr. si vir dicat puellæ, *volo te accipere in uxorem*: Quia copula in tali casu non intercedit post sponsalia, sed ante, cùm propositum non sufficiat ad valorem sponsalium. Sanchez lib.1. de matrimonio disp.16. n.1. Filliuc. 1.p. tract. 10. c.7. n.23.

7 Non ligatur reservatione, qui ante nuptiarum promissionem vel cum solemnitate, vel privatim factam, carnali copula se commiscet cum fœmina, non obstāte, quòd inter parentes, vel amicos præcesserit matrimonii ineundi tractatus: Quia amicorum tractatus, seclusa viri, & fœminę promissione, vel alio sufficiente promissionis signo, non operatur sponsalia. Sanch. lib.1.de matrimonio disp.22. num.5

8 Non subjacet reservationi, qui contractis sponsalibus cum Maria celebrat posteriora cum Antonia, cum qua & copulam habet: Nam posteriora sponsalia sunt invalida, sicuti docet Sanchez lib.1. de matrimonio disput. 50. num.2. Quod verum est, etiamsi posteriora fuerint jurata: Siquidem juramentum est de re iniqua, & in præjudicium tertii, quo casu non obligat: Ideòque talis copula mortalis est culpa, sed reservationi non obnoxia.

9 Idem asseritur, etiamsi postea vir ille matrimonium celebret cum Antonia. Nam matrimonium eo casu est validum, licet illicitum: Bonacina de sponsal.puncto 5. & 7. num.3. Layman lib. 5. tract.10. part. 1. cap. 1. num. 1. Ratio resolutionis est, quia licèt copula intercedat ante matrimonium, non tamen post sponsalia, quippè quæ fuerunt invalida, ut habet Sanchez cit. disp. 50. num. 2. reservatio autem afficit tantùm copulam post sponsalia. Unde non est extendenda ad copulam ante matrimonium, omissis sponsalibus.

10 Non innodatur casu, qui postquam ficto, & illusorio animo contraxit sponsalia, copulam extorquet à fœmina: quia ad hanc reservationem requiritur consumatio copulæ post sponsalia firma, & valida: quoties autem promissio est ficta, invalida profectò sunt sponsalia: Delinquit tamen mortaliter, & tenetur deceptam ducere. Vide supra annotatione 6. num. 9.

11 Non subjacet reservantis juris dispositioni, qui sponsalibus dissolutis, deindè copulam cum eadem fœmina fornicariam habet. Mazuch. disp.2.c.12.q.2. num.12.

Porrò sponsalia dissolvuntur in sequētibus casibus. Primò per mutuum consensum. Nam quælibet res per quas causas nascitur, per easdem & dissolvitur. Layman lib.5.tract.10. c.2.num.8. Secundò si superveniat impedimentum dirimens matrimonium. Bonacina de spons. punct.8.num.5.Tertiò per matrimonium cum alia contractum. Sanchez lib.de matrimon. disp. 48. num. 3. qui vult sponsalia omninò dissolvi: ita ut nulla eorum remaneat obligatio contra Dianam p. 3. tract.4.resolut.286. Quartò per ingressum in Religionem, etiam professione non secuta Sanchez lib.1.de matrimonio disputat.4. num. 2. Quintò per votum simplex religionis: præterquam si sponsam deflorasset, nec aliter quàm per matrimonium damnum resarcire posset. Nam eo casu non potest religionem ingredi: quia licèt virtus religionis præstantior sit ex obiecto virtute justitiæ, in hoc tamen casu vinculum religionis cedit vinculo justitiæ ob injuriam, & damnum puellæ illatum. Vide Dian.part.3.tract.4. resol.27. Bonac. de sponsal. disp. 1. punct. 7. Medull.

dull. Theol. moral. lib. 6. tract. 6. cap. 1. dub. 3. resol. 9. Sextò per votum simplex castitatis, superveniens sponsalibus: Nam contractui sponsalium hæc inest tacita conditio, nisi melior status eligatur. Ita S. Thom. in 4. sentent. dist. 38. quest. 1. artic. 3. Cajet. in sum. V. *perjur.* ad finem cap. 7. Eamdemque sententiam probabilissimam existimat Sanchez lib. 1. de matrimonio disp. 46. num. 7. licèt ipse contrariæ sententię adhęreat. Septimò sponsalia dissolvuntur omnibus illis modis, qui recensentur supra annotatione 5. numero 16. dummodo error, vel dolus fuerit causa contrahendi, & provenerit ab altero contrahente. Vide prędictam annot 5. n. 17. & Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 63. per totam. Adverte tamen, quòd error in substantia dirimit sponsalia, etiamsi contrahendi non extiterit causa, hoc est, etsi contrahens libenter contraxisset, cognito errore.

12 Quoties igitur aliquo ex dictis modis accidit sponsalia dissolvi, si iis dissolutis, copula postmodum habeatur, ea non debet censeri reservata, cùm ampliùs non sit copula post sponsalia. Mazuch. disp. 2. c. 12. q. 2. n. 21.

13 Sed & illi reservationi non sunt obnoxii, quorū unus nuptias alteri promittit, sed alter nec verbis, nec signis repromittit, vel solum repromittit tradendo promissori copiam sui corporis: Nam in priore casu deficit repromissio, & proinde sponsalium etiam validitas: in posteriore verò copula pręcedit, non subsequitur sponsalia: siquidem sponsalia constitui ac perfici censentur per talem copulam. Vide supra annot. 4. n. 15.

14 Eadem resolutio datur de illis, quorum matrimonium bona fide contractum, ob impedimētum dirimens postea detectum, dissolutum fuit, ipsique coniuges, quoad thorum, vel etiam habitationē, separati; si interim, dum expeditur dispensatio, rem inter se habeant. Et ratio est, quia dissoluto inter aliquos matrimonio, dissoluta manent etiam sponsalia, teste Bonacina de sponsa. punct. octauo, numero 5. Quare concubitus tunc temporis inter eos est quidem fornicarius, sed non post sponsalia: Ideòquè reservationi non subjectus.

15 Demum qui post sponsalia, celebrato bona fide matrimonio, copulam habent, quamvis occultum subsit impedimentum, ratione cujus nullum ab initio extiterit matrimonium, nequaquam reservatione innodantur: Tum ob rationem superiùs allatam: Tum quia bona fides sicut eo casu coniuges excusat à fornicationis culpa, ita etiam à reservationis pœna. Huic resolutioni affinis remanet discutienda sequens quęstio.

Vtrum Confessarius teneatur monere Pœnitentem, quem ob impedimentum latens, novit invalidè contraxisse matrimonium.

RESP. si pœnitens laboret ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili circa matrimonii valorem, vel jus exigendi debitum, tenetur Confessarius illum monere, etiamsi ex admonitione nullus speretur fructus, vel etiam scandali periculum subsit: Quia si dissimularet, nec pœnitenti, nec Sacramento consuleret; cùm pœnitens versetur in pravo statu, sacramentalique absolutione sit indignus.

Si verò laboret ignorantia invincibili, tunc distinguendum est: vel ex admonitione speratur fructus & bonus exitus, & tunc pœnitentem monere debet: quia Confessarius ex officio pœnitentem instruere & monere tenetur: vel nulla speratur utilitas, sed potiùs scandala, graviaque incommoda timentur, verbi gratia coniugis incontinentia, parentum vel liberorum infamia, familię querimonia, &c. & tunc Confessarius nequaquam pœnitentem monere, sed eum in bona fide relinquere debet; aliter ei laqueum injiciet; & qui antea non peccabat ratione inculpatæ ignorantię, peccabit postea ratione malę conscientiæ. Ita Sanch. lib. 2. de matrim. disp. 38. n. 2. ConincK de pœnit. disp. 8. art. 5. q. 7. Suarez tom. 4. disp. 32. sect. 4. Filliuc. tr. 7. c. 12. q. 4. Reginal. lib. 2. n. 45. Laym. lib. 5. tract. 6. c. 13. n. 6. Bonac. de matr. q. 3. punct. ult. Dian. par. 3. tract. 4. resol. 80. Card. de Lugo de pœnit. disp. 22. num. 24.

Ex-

Excipe cum Card. de Lugo loc. cit. nisi in posteriori casu dissimulatio Confessarii, ignorantiaque pęnitentis officiat bono communi; ut si populus hujusmodi impedimentum sciat, scandalumque sumat, tunc enim debet pęnitentem monere, quamvis admonitio non sit profutura, quia bonum commune privato est anteferendum.

Sed rogabit, quomodo Confessario innotescere potest, an pœnitens laboret ignorantia vincibili, ideòque sit monendus, vel detineatur errore invincibili, ideòque præstet instructionem omittere.

Respond. Confessarius potest id cognoscere curando detegere, an pœnitens existimet se versari in bono statu, an verò scrupulis agitetur: prudenter tamen & cum magna cautione, ne ex interrogatione, vel interrogandi circumstantiis, pœnitens detineri dubia fide incipiat. Si enim pœnitentem nullis agitari stimulis deprehendat eum detineri errore invincibili; si secus culpata laborare ignorantia judicare poterit. Quod si pęnitens ipse de matrimonii valore, jureque petendi debitum dubius sit, ideòque ex Confessario quærat veritatem tenetur eam illi aperire, etiamsi nullus speretur fructus: Nam eo casu pœnitens censetur detineri errore culpabili, & Confessarius dissimulans, vel tacens præsumeretur errorem approbare. Ita Layman libro quinto, tractat 6. cap. 13. num. 6. Suarez de pęnitent. disp. 32. sect. 4. n. 2. Cardin. de Lugo, de pœnit. disp. 22. n. 24. qui rectè monet Confessarium in tali casu non debere plus dicere, quam à pęnitente rogetur.

DE GRAUITATE

Hujus Delicti, & Obligatione Confessarii.

QUàm sit grave hoc peccatum, pręter sacrarum litterarum, Doctorumque virorum testimonia, illud nobis est argumento, quòd ferè Ordinarii omnes illud, vel reservantis juris dispositioni, vel censuræ pœnę subiiciant. Nam hujus sceleris reatum suapte natura gravem circumstantiæ tùm scandali, tùm fornicationis periculi reddunt graviorem. Quandoquidem non rarò sponsi, fornicario concubitu expleta libidine, vel sponsam defloratam deserere, vel ementiti criminis eam insimulare; ut resiliendi à sponsalibus, ad aliaque properandi viam sibi struant, non verentur, non sine magno populi scandalo, vel prostitutionibus deceptarum puellarum periculo. Quę scandali offendicula, ut à concredito sibi grege, quoad fieri potest arceret, tantamque sponsorum, vel potiùs deceptorum Virginum salacitatem, ac improbitatem compesceret, Sapientissimus Legislator, ac Pastor solertissimus meritò tantum nefas severiori suo judicio reservare decrevit.

Quod ad Confessarium attinet, ejus in primis munus erit delicti hujusce gravitatem pęnitenti ostendere eumque ad standum promissis inducere: Quia in re ignorare non debet integrum sibi non esse, extra mortis articulum, hoc innodatum casu absolvere, nisi recepto priùs juramento, de celebrando statim matrimonio; præterquam si sponsalium vinculum legitimè relaxatum esset; ut patet ex contra tabella concessionis facultatis cum limitatione. Quod accipiendum est dummodò per ipsum stet, quominus promissionem nuptiarum adimpleat. Quod si ex alterius tantum culpa talis defectus proveniat, is dumtaxat absolutionis beneficio carere debet.

Neque satis erit eo casu, si promissor infidus puellæ, sub conjugii promissione deflorate dotem offerat ipsa reluctante;

tum, seu procurationem abortus, non verò inductionem sterilitatis, vel conceptionis impedimentum.

14 *Abortus duplex, alter animati, inanimati fœtus alter.*

15 *Litera reservationis utrumque abortum, imò solam procurationem comprehendit.*

16 *Quando humano fętui infundatur anima.* Refertur duplex sententia.

17 *In dubio de fœtus conceptione, seu an fœtus fuerit mas, vel fœmina quomodo præsumendus.*

18 *Quid in dubio de fœtus animatione.*

19 *Concepti fœtus abortus subdivisio in voluntarium, & casualem.*

20 *Abortus fœtus animati procuratio directè voluntaria nullo casu licita.*

21 *An liceat directè procurare abortum fœtus inanimati pro tuenda salute Matris ex morbo periclitantis*. Refertur duplex sententia.

22 *Vtramque sententiam æquè probabilem putat Author.*

23 *Quæ medicinæ possint applicari ægrotanti fœminæ gravidæ, quando proles est animata.*

24 *Quid in dubio de remedij auxilio.*

25 *Numquam licet procurare abortum ad vitandum vitæ, vel infamiæ periculum.*

26 *Procuratio abortus mortaliter mala est etiam reservata si voluntariè, & studiosè, non verò per metum gravem sit attentata.*

ANNOTATIO I.

1 Reservatio hujus casus olim in Brixien. Diœcesi proposita fuit in hęc verba. *Abortus fœtus animati*. Cujus reservationis litera in tabella Episcopali usque ad hunc annum M. DC. LXVIII quo Elucidarium hocce prodiit, perduravit. Hinc multoties à Parochis & Confessariis ejusdem Diœcesis dubitatum fuit, num sub illis terminis comprehenderetur simplex abortus procuratio, nullo secuto ex tali procuratione effectu.

2 Pars negativa suadebatur his argumentis. Primò Edictum Episcopale proponit casum sub terminis abortus, non procurationis: Ergo non comprehendit procurationem, sed abortum reipsa secutum.

Secundò verba legis pęnalis intelligenda sunt cum effectu: Ergo hujus casus reservatio, quæ habet quamdam rationem pœnæ, requirit actum externum, hoc est, abortum cum effectu.

Tertiò in materia odiosa, qualis est reservatio, non est facienda extensio: Ergo reservatio abortus extendenda non est ad ejusdem procurationem.

Huic sententię favere videtur Chapeavil. cas.9.q.2. illat.9. & Homob. de cas. reser.part.3. cap.7. sect.2. except.6. ubi ait, quando in tabella Episcopali conceditur facultas cum limitatione, *non secuto effectu*, tunc qui procuravit abortum, si antequam effectus sequatur, confessionem instituat, posse per Confessarium simplicem absolvi.

3 His tamen non obstantibus, oppositum ego de hac re consultus semper tenui, & sustinui, nempè sub terminis abortus, &c. ejusdem etiam procurationem comprehendi. Quia in re notare oportet, quòd aliud est procurare potiones, venena, &c. ad abortum efficiendum, aliud actualiter applicare, & propinare procuratas potiones, venena, &c. & ad eumdem effectum. Hîc non est sermo de priore procuratione, sed de posteriore, scilicèt de actuali attentatione, seu applicatione rei procuratæ ad abortum causandum. Dicimus itaque hæc verba, *Abortus fœtus animati*, ex identitate, & implicitè includere procurationem, seu attentationem abortus ejusdem fœtus. Tùm quia in casu dubio potiùs attendi debet Legislatoris mens, quam cortex verborum: mens autem Sapientissimi Legislatoris pręsumebatur ea esse, ut vellet reservationis fræno impedire tàm applicationem proximę causæ tantę immanitatis, quàm effectum immanissimę applicationis. Ergo pręsumenda erat reservationi obnoxia tàm applicatio proximę causæ, scilicèt procuratio abortus, quàm effectus reipsa secutus.

Tùm quia eo casu si fœtus, sumpto poculo expelleretur, sed non necaretur, adhuc censendus esset casus reservatus:

S 2 quia

quia etsi ferè semper accidat, non tamen videtur necessaria fętus occisio. Ergo etiamsi tantùm fętus oppugnaretur, sed non eiiceretur. Nam sufficere debet efficax, seu proxima attentatio, quæ ex identitate includitur in litera reservationis.

Et quòd talis esset dispositio tàm legis reservantis, quàm mentis Legislatoris, clarè deducebatur ex contrata bella concessionis facultatis absolvendi à reservatis cum limitationibus, quæ sic habebat. *Conceditur non secuto effectu*. Ergo si Pęnitentiariis minoribus concedebatur facultas absolvendi à casu abortus, quoties secutus non erat effectus, omninò consequens erat, ut etiam applicatio causæ, seu rei procuratæ ad efficiendum abortum, reservationi esset obnoxia, secluso abortus effectu: alioquin nihil ipsis concessum fuisset, cum facultatem absolvendi à non reservatis à iure habeant: sicque ejusmodi concessio fuisset illusoria, & limitatio gratis addita, quod non est dicendum.

Præterea illa concessio erat facultatis limitatio super reservata: Ergo usus illius limitatæ facultatis supponebat materiam reservatam citra abortus effectum.

Demùm si procuratio ipsa, secluso effectu, non fuisset reservata, casus abortus fętus animati non fuisset distinctus à casu homicidii voluntarii, cùm vix accidat, ut fœtus tam præmaturè ejectus supervivere possit.

Neque obstant argumenta superiùs allata. Ad primum enim respondeo, quòd Edictum reservationis comprehendebat abortum expresè, & procurationem ejusdem implicitè, & ex identitate, ut supra dictum est.

Ad secundum Resp. reservationem hujus casu intelligendam esse cum effectu vel abortus, vel attentatæ abortionis, cui responsioni favebant verba contratabellę concessionis cum limitatione supra relata, ex quibus clarè deducebatur reservari etiam procurationem.

Ad tertium Resp reservationem procurationis non esse extensionem, sed inclusionem, tum ex verbis contratabellæ, tum ex mente Reservantis deductam.

4 His addendum, quòd quando agitur de salute animarum, & de præcavendo atroci crimine, potest fieri extẽsio etiam juris pęnalis, sicuti rectè notat Quaranta sum. Bullar. v. *casus reservatus* num 3. Quamvis igitur reservatio fortè sit odiosa quantum ad pęnitentium, & Confessariorum sensualitatem, ut ita dicam, est tamen medicinalis, & saluti animarum favorabilis; quod maximè spectatur in reservatione: Ideoque aliquando extendi, & dilatari potest. Vide Finellium de cas. reser. cas. 4. n. 25. & Abbatem apud ipsum citatum.

Quoad sententiam Chapeav. & Homob. supra relatam, dico eam reprobari à Zecco cas. 9. de abortu pagina 185. Belloch. de cas. reser. par. 2. quæst. 8. n. 71. Gambar. pag. 191. nu. 2. Bonac. disp. 2. de rest. quæst. vltim. punc. 7. nu. 6. Præterea obstabant verba contratabellę concessionis supra relata.

5 Hodie verò ex variatione literæ reservationis circa hunc casum, præalto consilio facta, profligata manet contraria sententia, & sublata omnis dubitatio. Siquidem Illustrissimus, ac Reverendissimus D. Marinus Ioannes Georgius, nunc, dextero Numine, Brixiæ Episcopus pro summa ejus sapientia, & vigilantia, ad deterrendum à tam atroci crimine sibi commissum gregem, hunc casum in Edicto reservationis propositum voluit non ampliùs sub terminis *Abortus fœtus animati;* sed sub hac litera. *Procuratio abortus, etiam effectu non secuto*.

6 Quam reservationem non minùs prouidè, sapienter, opportunè ad mandantes etiam, consulentes, aut auxilium ad id dantes, extenderet decrevit: sicuti constat ex mutatione, ac extensione literæ casus septimi in Edicto reservationis noviter propositi.

ANNOTATIO II.

7 Circa cujus casus ampliationem id venit notandum, sub litera extensę reservationis comprehendi eos omnes, cujuscumque conditionis, & sexus sint, qui jubent, suadẽt, hortantur, vel qui fauorem, con-

consensum, operam prestant, opemvè ferunt, aut aliquo modo cooperantur, ut fœtus immaturus abigatur. Unde incidunt primò adulter, aut stuprator, qui imperant Mater, quæ suadet; amici qui rogant; propinqui, qui consulunt; lena, quæ instruit; domestici, qui curant, ut puella gravida poculum sumat; vel uterum sibi percutiat, aut corpus oneribus premat, ut abortiatur. Item ancilla ad hunc finem Medicum vocans; Medicus pharmacum ordinans; aromatarius ad eumdem finem illud preparans: famulus facti conscius poculum deferens: Mater, vel famula illud puellę porrigens, barbitonsor venam in pede pregnantis secans, ac demum, qui aliquo modo ad abortum efficiendum cooperantur, concursumve studiosè præstant, ii omnes reservationem incurrunt: Quia omnes comprehenduntur sub litera reservationis, teste Finellio de abortu n.4. & Bellochio p.2.q.8. n.74. & 79.

Hæc tamen assertio intelligenda est, dummodo mandatum consilium, auxilium fuerit studiosè datum, & efficax, efficaciterque in procurationem abortus influxit; quamvis conatum, opem, concursum, effectus eluserit. Quod si fœtus sit animatus, pręter hanc reservationem incurrit etiam in aliam homicidio voluntario adnexam Nam qui fœtum animatum enecat, vel enecandi efficax consilium, aut auxilium prębet, secuto effectu, verè, & propriè homicida est, decretisque homicidę pœnis subiectus, sicuti constat ex cap. *si aliquis*, & capite *sicut ex litteris de homicidio*: & notat ibi Abbas n.3. Nav.in man.c.16.n.33. Covarr. 2.par. resol. c.20. n.10. Quin & parricida est, si parens animatę proli abortum procuret, mortemque inferat: sicuti notat Laym. lib.3.tract.3. part.3. cap.4. n.3. Prætereà si fętus sit animatus, incurrit etiam excommunicatio in Bullis Pontificiis contenta.

ANNOTATIO III.

9 Pro quo notandum contra procurantes abortum per se, vel per alios potionibus, medicamentis, percussionibus, venenis, aut laboribus, seu oneribus mulieri pręgnanti impositis, extare Bullam Sixti editam anno millesimo quinquecentesimo octogesimo octavo, quę incipit: *Effrænatam*, & decernit.

Primò, ut procurantes abortum fœtus tàm inanimati, quàm animati, incurrant omnes pœnas canonico, & civili jure in homicidas decretas.

Secundò, ut si sint Clerici, privati existant omni officio, Beneficio, & dignitate, & inhabiles ad ea obtinenda reddantur.

Tertiò easdem pœnas extendit ad omnes procurantes, vel consulentes, aut quovis modo adjuvantes, ut fœminę propinetur potio non solùm ad abortum faciendum, sed etiam ad sterilitatem inducendam, vel non concipiendum.

Quartò, omnibus prædictis imponit pœnam excommunicationis Summo Pontifici reservatę. Quam Bullam videre licet apud Quarantam in Summa Bullar. V. *Abortus*.

10 Verùm quia ista Sixti constitutio perniciem potiùs, quàm remedium, aut utilitatem animabus parabat: siquidem multi ex difficultate obtinendæ veniæ in tali scelere absque pœnitentia versabantur. Idcircò Gregor. XIV. eam constitutionem in duobus restrinxit, & moderavit.

Primò, ut quilibet Sacerdos ab Ordinario approbatus, & ad hoc specialiter deputatus à delicto abortus, & adnexa excommunicationis pœna possit absolvere.

Secundò, ut si fœtus non sit animatus, vel si solùm potiones ad non concipiendum, sterilitatemque causandam datæ sint, tunc non incurrantur pœnæ à Sixto constitutæ: Sed tunc delictum reguletur juxta dispositionem juris communis. Quoad abortum verò fœtus animati respectu auxiliantium, consulentium, &c. tùm quoad alia in

Bulla contenta relinquit eam in suo robore, & firmitate. Videatur moderatio apud Quarantam loco cit. Sayrus lib. 3. cap. 35. numero vigesimo quinto, & vigesimo sexto. Diana par. 7. tract. 5. resolutione 5. Finellius casu 4. de abortu numero 1.

ANNOTATIO IV.

11 Utrùm autem excommunicationis pœna à Sixto V. inflicta supra relata, incurratur non solùm in casu, quo quis alterius fœminę procuret abortum, sed etiam si fęmina ipsa prægnans proprium attentet abortum.

Negativè respondent Avila de censuris parte 2. cap. 5. disp. 3. dubio 12. concl. 1. Naldus V. *abortus*, num. 1. Trulench. lib. 5. in decal. cap. 1. dubio 1. numero tertio: sustinentes excommunicationem latam à Sixto Quinto juxta moderationem Gregorij Decimi quarti comprehendere eos tantùm, qui abortum alienum procurant, non verò qui procurant proprium. Quod inde probant, quia in Bulla Sixti in ea parte, in qua fertur ista excommunicatio; nulla fit mentio de fęminis proprium abortum procurantibus, dum agitur de excommunicatione, sed tantùm dum agitur de pęnis temporalibus: in materia autem odiosa, & pęnali stricta fieri debet interpretatio. Ergo, &c.

Affirmativam verò tenent Henriquez lib. 3. de pęnitentia cap. 10. Filliuc. tract. 14. cap. 6. num. 4. Bonacina de censuris in particulis disp. 2. qu. 2. puncto vigesimo, num. 12. & 13. Diana parte 7. tractatu 5. resolut. 7. & alii: quia in Bulla Sixti, in qua parte fertur ista excommunicatio, præcedunt illa verba. *Sive ut principalis, sive ut socia*: per illam vocem *principalis*, debet intelligi fęmina sumens: per particulam autem *socia*, persona poculum præbens ad abortum faciendum. Ergo, &c.

Hæc posterior sententia, & verior videtur, & mihi magis placet. Verùm quidquid sit de procurante proprium abortum in ordine ad excommunicationem, certum esse debet ab Episcopali reservatione non excusari, quæ tàm proprium, quàm alienum procurantes abortum comprehendit. Quod constat tùm ex verbis reservationis, tùm ex praxi interni fori Ecclesiæ Brixiensis, & Confessariorum consuetudine, quæ est optima legum interpres.

ANNOTATIO V.

12 Cęterùm pro clariori casus explicatione advertendum est, hæc tria valdè inter se differre, nimirùm potionibus, & venenis procurare sterilitatem, impedire fętus humani conceptionem, & expellere jam conceptum fętum. Nam sterilitatis procuratio non est abortus, quia abortus supponit conceptionem, non ita verò sterilitas. Opus similiter obstandi, ne fętus concipiatur, quamvis culpam mortalem involvat, cùm nullo bono fine honestari possit, à ratione tamen abortus longè recedit. Altera verò actio, hoc est, expulsio jam concepti fętus dicitur abortus. Unde abortus propriè est studiosa expulsio fętus ex utero matris violenter facta ante tempus à natura præfinitum. Ita Chapeavilla par. 2. casu 9. pagina mihi 228. Bellochius de casibus reservatis p. 2. qu. 8. Mazuchellus disputatione secunda, capite 2. differentia prima, numero tertio.

13 Constitutio igitur Gregorii Decimi quarti quemadmodum & Episcopalis reservatio non se extendunt ad sterilitatis inductionem, vel conceptionis impedimentum, sed tantùm ad studiosam, & malitiosam concepti fętus ex utero matris expulsionem. Nam licèt constitutio Sixti excommunicationis pęnam ad eos etiam qui sterilitatis potiones, ac venena mulieribus propinarent, vel sumerent, aut quovis modo prolis conceptionem impedirent, extenderit; nihilominus Gregorius Decimus quartus eam moderavit, ut supra annotatum fuit ex Quaranta, Sayro, Finellio, & Diana locis citatis.

Hoc interest, quod ad incurrendam excommunicationem in Pontificiis Bullis contentam, requiritur, ut animati fętus sequatur abortus; ad incidendum verò

rò in reservationem in tabella Episcopali expressam, sufficit sola procuratio abortus etiam effectu non secuto.

ANNOTATIO VI.

14 Pro quo non segniter notandum, quòd duplex datur abortus: alter fętus inanimati, animati alter. Abortus fętus inanimati est ejectio fętus, vel informis, vel immaturi ex utero matris, antequam illi anima rationalis sit infusa. Abortus verò fętus animati est expulsio ejusdem fętus, postquam animam rationalem recepit.

15 Littera igitur reservationis utrumque abortum comprehendit, imò solam procurationem seu conatum ad abortum efficiendum, tàm si fętus sit animatus, quàm inanimatus: Quia in utroque casu dicitur procuratio abortus: ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Gambar. de cas. abortus, folio 191. nu. 3. Non ita verò constitutio Gregor. XIV. cujus pęnalis dispositio afficit tantùm procurantes abortum, quando fętus existimatur anima rationali informatus, & reipsa procuratæ abortionis sequitur effectus, ut supra adnotatum fuit.

16 Quando verò humano fętui infundatur anima, Medicorum persuasio est, fætum tam masculi, quàm fęmellæ animari, statimque formatus est; quam formationem ex Hipocrate lib. de natura fœtus, ajunt absolvi aliquando die 30. aliquando 40. vel 45. aliquando verò 50. idque provenire ex majore, vel minore caliditate, vel frigiditate matris. Idem sentire videtur Azor. 3.p. lib.2. c.4. & probabiliùs existimat Mazuch. de cas. reser. disp.2.c.3.diff.1. num.5.

Cæterùm à communi Doctorum sententia non est recedendum, quæ sustinet masculum recipere rationalem animam quadragesimo die à conceptione, fæmellam verò octuagesimo, sumpto argumento ex cap. 12. Levitic. Ita Navar. in man. cap.15. n.14. Sylvest. V.homicidium 1. 3. Finell. de cas. reser. cas.4. n. 5. de abortu. Graff. p.1.decis.aure.lib.2.cap.63. num.31. Fran. Leo in thes. fori Eccl. p.3. num.28. Layman. lib.3. tract.3.par.3.cap.4. num.3. Et hanc sententiam confirmat stylus Sacræ Pænitentiariæ Romanæ, teste Nav. lib.5. cons. 26. de homicidio in nova editione.

17 In dubio autem de fætus conceptione, v.g. si Mater dubiam faciat partus conceptionem, dico eo casu mulierem præsumendam esse gravidam; proindeque judicandum in favorem legis contra pœnitentem, quem constat abortum procurasse. Floron.loc.cit. n.5. Mazuch. cit. cap 4. difficul.4.q.3.n.36. Idemque dicendum, si dubitetur, an fœtus fuerit mas, vel fœmella: Nam præsumendum esse marē, docent Dian. p.7.tract.5.resol.6. Barb. de offic. & potest.Episc. alleg.51. nu.137. Sà *v.homicidium*.

18 Sed quid, ubi dubitatur de fœtus animatione? Etiam eo casu Doctores communiter affirmant præsumendum esse animatum. Nav.in man.c.15.n.14. Finell. loc.cit.n.5.de abortu, & consequenter excommunicatum, & irregularem, qui procuravit abortum, effectu secuto. Nam dubius homicida tàm in foro externo, quā interno censendus est irregularis, sicuti habetur in *cap.ad audientiam, & cap.significasti*. Estque communis DD. sententia apud Sayr. lib.6. cap.15. n.9. Sanch. lib.1. mor. c.10.n.43. Avil. part.7.disp.2. dub.5. conc.1. Laym. lib.1. tract.1.c.5.§.4. nu.39. contra Præposit. 3.par.q.5.de irreg.dub.8. n. 58. cui adhęret Dian. p. 4. tract.2. resolut. 16.

ANNOTATIO VII.

19 Verùm ulteriùs notandum est, quòd abortus fœtus humani rursus dividitur in abortum voluntarium, & casualem. Casualis est, qui omninò casu fit, & præter operantis intentionem accidit. Voluntarius verò dupliciter evenit, vel directè, & in se, ut si quis scienter, ex industria, & malitia abortum affectet, & procuret: vel indirectè, & in causa volitus est, ut si quis liberè exerceat actionem, vel potionem sumat, ex qua regulariter sequi solet abortus, quamvis sumens illum non intendat.

20 Modò certissimum apud omnes

ad casum dubium de auxilio remedii; eò quòd in tali eventu melius sit anceps remedium experiri, quàm omni spe destitutam sinere infirmam perire Dian. l.c. si tamen cum morte secutura matris affulgeret spes vitę, & baptismi prolis, teneretur mater sub mortali abstinere ab omni remedio destructivo animati fętus: Quia ordo charitatis postulat, ut vita spiritualis animati fętus pręferatur vitæ corporali ipsius matris. Lessius lib.2.c.31.dub.6. n.33. Layman lib.3. tract.3. part. 3. cap. 4. num. 4.

25 Illud verò certius est apud omnes, non licere procurare abortum fętus etiã inanimati ad vitandum vitæ, famęque discrimen, quod imminet prægnanti puellę, si vel gravida reperiatur, vel fętum ignominiosum pariat: Quia in his casibus fętus non est aggressor, neque periculum mortis, vel infamię provenit ab ipso fętu, sed ab extrinseco, illudque fęmina sibi imputare debet: insuper discrimen præsentaneum non est, sed remotum. Ita Sanch. loc.cit. disp.26.n.10 Filliuc. tract. 29.c.6.n.103. Dian.p.7.tract.5.resol.32. Alphonsus de Leone de censur. recoll. 7. n. 18. quibus subscribit Mazuch. disp.2. c.3. diff.4. n.24. contra Torreblancam, Zambellum, Bordon. Lezzan. Trulench. quorum sententiam in generali Congregatione Sancti Officii Romę fuisse reprobatam, testatur idem Dian. p.6.tract.8.resol. 37.

26 In casibus igitur supradictis, quando scienter procurans abortum, non excusatur à gravissima mortali culpa, ita nec à reservatione: dummodo procuratio voluntariè, & studiosè, non verò per metum gravem fuerit attentata. Siquidem de tali procuratione, expresè loquitur littera reservationis, imò de sola procuratione, studiosoque conatu ad abortum faciendum, secluso etiam abortus effectu: sicuti constat ex verbis propositi casus.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro Incidentibus.

1 Ex prænotatis pro regula generali statuitur in excommunicationẽ, & reservationem incidere eos omnes cujuscumque conditionis, ac sexus, qui potionibus, medicamentis, percussionibus, venenis, laboribus, oneribus fœminę prægnanti impositis, aut alio quocumque modo scienter, & studiosè causa existunt ut fœtus animatus præmaturè abigatur. Patet tùm ex Bullis supra relatis, tùm ex litera reservationis. Si verò fętus nondum anima rationali pręditus sit, procuratorem abortus adhuc in reservationem incidere, constat ex verbis propositi casus.

2 In specie autem resolves incidere puellam gravidam, quæ vel poculum sumit, vel uterum sibi percutit, vel corpus suum nimiis oneribus premit, vel seipsam immoderatis laboribus vexat ea intentione, ut concepti fętus abortum patiatur. Nam hujusmodi studiosæ actiones verè, & propriè dicuntur procuratio abortus. Chapeav. de cas. reser. cas.9. q.2. illat.8.

3 In reservationem incidunt omnes, qui procurant abortum, sive fętus sit animatus, sive inanimatus: Quia in utroque casu dicitur procuratio abortus: ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguer debemus. Verùm tamen est, quòd grauiùs delinquit, qui animati fętus abortum procurat, secuto effectu, quàm qui inanimati. Siquidem ille homicidium committit, non item iste. Constat ex annot.6. n.15.

4 Resolves illum incurrere, qui consulit, instruit, movet, favet, suadet fęminam gravidam, ut abortum procuret, dummodo sit causa efficax hujusmodi procurationis; patet ex annot.2.n.7.& 8.

5 Nec prædictam excommunicationis, & reservationis pęnam effugit Medicus pharmacum præscribens, Pharmacopola illud conficiens, famulus deferens, Mater, vel ancilla puellæ pręgnanti porrigens, modò singuli scienter, & ex intentio-

tione causandi concepti fętus abortum, operam præstent. Hoc interest, quòd ad incurrendam excommunicationem requiritur, ut fœtus fuerit animatus, & secutus sit abortionis effectus: Ad reservationem verò sufficit sola procuratio, seu nefaria attentatio, & conatus ad abortum efficiendum. Vide supra annot. 1. & 3. & Doctores ibi cit.

6 Non excusatur ab eadem excommunicationis censura, qui per se, vel per alium procuravit fętus animati abortum, etsi non statim post applicationem causę, sed effluxis duobus, vel tribus mensibus, secutus sit abortionis effectus. Nam eo casu perdurare præsumitur procuratio abortus. Quod verum est, dummodo ex alia superveniente causa non constet processisse abortionis effectum. Mazuchel. de cas. res. disp. 2. c. 3. q. 2. num. 26. Ad reservationem verò, ut sępè dixi, sufficit simplex abortus procuratio, secluso procuratæ abortionis effectu.

7 Non eximitur ab imposita pœna procurator abortus ex eo, quod fætus studiosè ejectus postea supervivat, & baptizetur: Nam ad incurrendam excommunicationem sufficit præmatura animati fętus ejectio; ad reservationem verò sola procuratio, & omninò per accidens est, quòd fætus supervivat, & baptizetur, teste Chapeav. de cas. reser. cas. 9. qu. 2. illat. 9.

8 Incidunt supradicti omnes abortum studiosè procurantes, etiamsi id agant ob vitandum scandalum, vel tuendum honorem puellæ nobilis ex turpi concubitu prægnantis, tegendamque familiæ infamiam. Quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Chapea. Belloch. Floron. quibus subscribit Lup. de cas. reser. cas. 9. nu. 27. Imò neque ad vitandam mortem à consanguineis Puellæ gravidæ inferendam, licet directè abortum procurare. Constat ex annot. 8. n. 25.

Neque obstat regula juris, quòd ex duobus malis minus sit eligendum, & cõsequenter destruendus sit fætus, nondum rationali anima informatus, quod videtur minus malum, ut vitetur tùm periculum mortis imminens Puellæ nobili, tùm etiam infamia, & scandalum, quod censetur majus malum.

Respondeo enim eam regulam habere locum in iis tantùm, quæ mala sunt, quia prohibita, non verò in iis, quæ intrinsecè sunt mala, & ideò prohibita, cujusmodi est directa abortus procuratio: ut constat ex supradictis. Vel si contendas procedere etiam in iis, quæ intrinsecè sunt mala. Respondeo cum Layman lib. 2. tract. 3. c. 13. num. 7. id admittendum esse, quoties minus malum est pars formaliter, vel virtualiter contenta in majori malo, & peccato, quod alter committere decreverat. De quo vide, quæ fusiùs dicam infra post resolutivam praxim pro non incidentibus.

9 Ligatur reservatione maritus, qui ita graviter uxorem cædit, vel tanta corporis agitatione eam cognoscit, ut concepti fœtus sequatur abortus. Quod verum est, dummodo abortum hujusmodi vir non tantum præviderit, sed etiam studiosè, & ex industria procuraverit. Secùs verò si abortum non intenderit, sed tantùm iram, aut libidinem explere. Mazuch. disp. 2. c. 3. q. 2. n. 30. & 31.

10 Excommunicationis, ac reservationis telum non effugit, qui scienter, & data opera ordinat, conficit, porrigit, vel jubet, suadet, auxilium præbet, operam pręstat, aut aliquo modo cooperatur, ut ægra mulier prægnans sumat medicamentum directè tendens ad fętus animati expulsionem, quamvis id præstet ad salutem matri ex morbo, vel partu periclitanti conferendam: Quia hi omnes dicuntur directè, & per se fętus animati abortum procurare, quod nullo modo licet; cum nullo modo fas sit directè, & per se hominem innocentem occidere. Constat ex annot. 8. n. 23.

11 Idem omninò resolves in dubio, an fętus fuerit animatus: Nam existente tali dubio, fętus præsumitur animatus; Ideòque judicandum est contra pœnitentem in favorem legis, pro qua stat possessio, quando constat abortum studiosè fuisse procuratum. Vide supra annot. 6. n. 28. & Doctores ibi cit.

12 Eadem resolutio, quoad reservationem, extenditur etiam ad casum dubium de fætus conceptione, si videlicèt mu-

mulier dubiam faceret partus conceptionem. Nam etiam in tali dubio præsumendum est, mulierem fuisse gravidam: Ideòque judicium fieri debet in favorem legis reservantis contra pœnitentem, quem constat abortum malitiosè procurasse. Floron. de cas.res.p.2. cas.5.num.9. quem sequitur Mazuch. disp 2.difficul.4. q.2. num.36.

13 Incidisse stuprator, vel fornicarius ille censetur, qui feminę, cum qua rem habuit, dixit valdè angor ex eo, quòd partum conceperis, quia suspicor gravia mala, & tibi, & mihi eventura: Si exinde illis verbis perterrita mulier, ac permota abortum procuravit: tum quia talis locutio perinde est, ac efficax consilium: tùm quia eo casu diceretur per alium procurare abortum. Floron.loc.cit.n.9. Belloch. de cas.res. p.2. q.8. n.81. Mazuch. loc.cit. nu. 27. Hęc tamen resolutio intelligenda est, si stuprator, ita loquendo, adverterit futurum, ut perdita mulier conceptum partum disperderet, in eumque finem illa verba protulerit.

14 Demum resolves, quid quò studiosa rei applicatione abortui causam dederunt, si interim dum expectatur eventus, velint immanissimum scelus confiteri, à confessario simplici non possunt absolvi. Quia attentatio ipsa tantę immanitatis ante effectum, & secluso etiam effectu, reservationi est obnoxia: ut clarè constat ex litera reservationis.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro non Incidentibus.

1 NVlli subjacet excommunicationi, vel reservationi, qui potionibus venenis, &c. sterilitatem fœminę procuravit: Quia inductio sterilitatis non est abortus. Censura verò excommunicationis lata per constitutionem Sixti V. contra sterilitatem inducentes sublata est per moderationem Gregor. XIV. culpam tamen mortalem non effugit. Vide supra annot.3. n 10.

2 Idem ob eamdem rationem resolves de illo, qui propinatione, vel sumptione poculi, aut alio quocumque modo malitiosè impedit, ne fœtus humanus concipiatur. Delinquit tamen graviter, cùm nullo bono fine hujusmodi poculi sumptio possit honestari. Sanch.lib.9. de matr. disp.20.n.10.

3 Non incidit in casum, qui statuit procurare abortum fœtus etiam animati, sed id non prçstitit, vel quia noluit, vel quia non potuit: Quia imposita reservatio non afficit proponentes, sed abortum reipsa procurantes. Delinquit tamen toties mortaliter, quoties proposuit, ratione pravi affectus. Chapeav. cas. 9. quęst. 2.

4 Non ligatur excommunicatione in Pontificia constitutione contenta, qui medicinis, percussionibus, venenis, &c. mulieri prægnanti procurat abortum fœtus inanimati, etiam effectu secuto: Quia Bulla requirit, ut fœtus sit animatus: gravissimum tamen scelus committit. Ad incidendum tamen in reservationem sufficit sola abortus procuratio, sive fœtus sit animatus, sive non; ut constat ex supradictis.

5 Non incurrit maritus, qui ira inflãmatus, uxori prægnanti calce incusso, vel indiscreta percussione, aut ponderis impositione, causa extitit, ut abortum illa concepti fętus pateretur: quod verum est, etiamsi maritus periculum abortus prævideritmodo illum non intenderit. Non enim in casum incidunt, quicumq; causa sunt abortus, sed qui illum studiosè, & ea industria procurant: patet ex prænotatis, & docet Finel.cas.4.de abor.n.2. Lup.cas. 9. §.3. illat.2.

6 Eximuntur à reservatione vir, & uxor, qui nimiæ libidini indulgentes, jungunt se copula carnali tanta corporis agitatione, ut sequatur concepti fœtus abortus, nihil obstante, quòd periculum hujusmodi ab ipsis fuerit prçvisum, dummodo non affectatum, neque intentum. Floron. cas. 5. n.9. Mazuch. disp. 2. cap.3 diffic.4. q.2. n.30. In hoc tamen, & prçcedenti casu non abest culpa mortalis, quoties aliquo modo prçvidetur periculum abortus.

7 Episcopali reservationi non est obnoxia mulier illa, quę ignoranter potionem

Contrariam sententiā sustinent Cajet. 2.2.quęst.78.art.4. notab.3. Azor. tomo 2. lib.12. cap. 16. q. 18. Covarr. in 4. decret. par.1.cap.4.num.ult. Valent.tom.3.disp.5. quęst.21. punct.4. Sà V. *peccatum*, num.8. Quorum ratio est, quia inducere aliquem ad peccatum jussu, vel suasione per se malum est, & nullo casu licitum. Neque verum est (inquiunt) si homo commissurus sit majus peccatum, bonum ipsi esse committere minus: Nam minus peccatum non amittit rationem peccati, & adhuc malum quoddam est, & consequenter illicitum illud suadere. Illud verò quod ex duobus malis minus sit eligendum, ajunt locum habere tantùm in iis quorum alterum necessario est eligendum non verò in iis, quę liberè acceptantur.

Sed in hac difficultate mihi placet sequi sententiam Laym. lib.2. tract. 3. c.13. versic. *Verùm posteriori sententiæ*, & lib. 3. sect.4. n 6. qui asserit licitum esse suadere minus peccatum, si id sit pars formaliter, vel virtualiter inclusa in majore peccato, quod alter committere certò decrevit. Nam tūc suadens non inducit hominem ad malum sed abducit à parte mali, cum à toto avertere non possit. Unde habenti certum propositum committendi adulterium suaderi potest, ut potiùs cum soluta fornicetur, nulla designata persona; quia malitia fornicationi formaliter in adulterio continentur, tanquam pars in toto. Simili ratione volenti me, vel alium interficere suadere possum, ut fuste cædat, quia malitia ejusmodi lęsionis virtualiter continetur in hominis occisione. Præterea habenti firmum propositum furandi centum suadere licitum est, ut furetur tantùm quinquaginta, nullam nominando personam, quia malitia furti minoris formaliter continetur in majori. Secùs dicendum, si minus malum non sit pars formaliter, vel virtualiter contenta in majori. Nam tunc est vera inductio ad peccatum, & scandalum activum per se intrinsecè malum, quippè repugnans naturali pręcepto negativo: *Ne inducas alterum in peccatum*: Ex hac doctrina patet solutio ad casum in principio propositum. Nam quoties pater esset animo firmatus occidere filiam ex turpi concubitu gravidam repertam, vel ipsamet filia esset parata sibi necem inferre, ad avertendam infamiam, nec alia pateret via abducendi eos à concepto proposito; tali casu liceret alteri suo consilio eos inducere ad procurandum fętus inanimati abortum: Quia abortus malitia virtualiter continetur in peccato injustę occisionis matris Nam impedire per studiosum abortum, ne fętus humanus animetur, est quasi homicidium, teste Tertulliano in apolog.cap.3. apud Layman lib.3. tract.3. p.3. c.4. n.2. in fine: cujus verba sunt ista: *Homicidii festinatio est prohibere nasci. Nec refert utrum quis eripiat animam, an disturbet nascentem: Homo est, qui futurus est. Nam fructus in semine est*. Si verò fętus esset animatus, tunc abortus malitia formaliter contineretur in matris occisione: cum matris enecatio regulariter secum trahat animati fętus enecationem: teste Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 20. num. 17. Igitur eo casu nequaquam esset illicitum suadere abortum. Vide Mazuchellum disp. 2. cap.3. diff. 1. n. 63. qui hanc eamdem assertionem sustinet, sed minùs firma ratione.

Obiicies. Si posset quis in proposito casu abortum filię pręgnanti suadere, posset & ipsamet filia, ad vitandam sui ipsius occisionem seclusa omni suasione, abortum eligere, quod negavimus superiùs annot.4.num.11. ex Lessio lib.2.cap.9. dub.10. Layman lib.3. tract.3. part.3. cap. 4. n.4.

Resp. Quòd licèt alter in casu proposito possit Puellæ gravidę abortum suadere, non tamen ipsa eligere: Quia Puella dominium suę voluntatis habet: unde potest, & tenetur suam voluntatem à toto malo culpę abducere: Qui verò abortum suadet, dominium voluntatis Puellę non habet: unde si non potest eam à toto malo avertere, rectè agit, si saltem à mali parte in toto formaliter, vel virtualiter contenta removeat.

DE

cap. 12. n. 1. Unde hac irregularitate innodati recurrere debent, vel ad Sacram Pœnitentiariam Romanam, si casus sit occultus, vel ad Summum Pontificem, si delictum sit publicum. Vide Navar. loco citato. Conrad. de dispensation. Apostolic. libro 5. capite 1. numero 3. & 13.

Quoad reliquos verò Pœnitentiarios, limitatam super reservata facultatem habentes, uti communiter sunt Vicarii (ut vocant) Foranei, extra controversiam est integrum sibi non esse hoc irretitum casu absolvere effectu secuto; ut clarè constat ex illis verbis contra tabellæ concessionis. *Conceditur effectu non secuto.*

IN
OCTAVUM
Casum Reservatum.

In Edicto, seu Tabella Episcopali sub his terminis Propositum.

Sortilegia, Maleficia, Incantationes, ubi est abusus rerum sacrarum Sacramentalium, vel Sacramentorum.

TRia superstitionis delicta, ut intueti patet, enumerantur, & reservantur in proposito casu, videlicèt Sortilegia, Maleficia, Incantationes: quæ cùm sint tres, & distinctę superstitionis species, in tres quoque distinguere partes, singulasque distinctis annotationibus, ac resolutionibus expendere ac exponere, majoris claritatis, vel clarioris notitiæ gratia operę pretium duxi. Pro quo notandum, quòd superstitio communiter accepta est falsa religio, seu cultus vitiosus veri, vel falsi Numinis, quo vel Deus colitur sed modo indebito, vel colitur creatura, v. g. Dęmon cultu Deo debito. Nec recedit à definitione S.Thom. 2. 2. quęstione 92. articul. 1. quòd sit vitium Religioni oppositum secundùm excessum. Et dicitur per excessum, non quòd Deus nimium coli possit, aut excellentiori cultu, quàm dignus sit; sed quia exhibet cultum, vel quem non debet, vel eo modo, quo non debet, vel cui non debet.

Superstitionis autem quatuor sunt species, videlicèt cultus indebitus, idolatria, divinatio, & vana observantia. Cultus indebitus duplex est alter cultus falsus, ut si quis Deum coleret cœremoniis veteris legis; alter cultus superfluus, isque vel secundum se, ut si quis afficeretur devotione audiendi Missam ante solis ortum, cum certo numero, situ ordine cereorum; vel si quis attenta Ecclesiæ ordinatione, jejunaret die Dominico, neglectis aliis diebus: item in Missa contra Ecclesię rubricas plures formare cruces, pluries diceret Allel. adderet Gloria, vel Credo, &c. Lessius lib.2.c.43.dub.1.n.6.

Idolatria est cum honor, qui Deo debetur, defertur creaturę, cùm scilicèt Dęmon adoratur, tanquam Numen. Lessius loc. cit.

Divinatio est conatus perveniendi ope Dęmonis ad occultorum cognitionem, vel ad futurorum, quæ pendet à causa libera præcognitionem. Sanch.lib.2.mor. cap. 38.

Vana denique observantia est, cùm quis mediis inutilibus effectum aliquem, ver. gr. sanitatem, scientiam, &c. quam à Deo requirere, & implorare deberet, à Dæmone expresè, vel tacitè procurat.

Hisce quatuor superstitionis speciebus addi possunt aliæ duę: Altera Magiæ, quæ est potestas operandi, quę sunt supra naturam concurrente ope Dæmonis; quę licèt reduci possit ad vanam observantiamque tamen tanquam aliquid deterius potest distinctam speciem constituere. Altera maleficii, quod est ars nocendi aliis ope, & potestate Dęmonis; Ideòque species quędam est deterior etiam magia. Lessius loc.cit. n.6. Tolet. lib.4.c.14. n.5.

Modò cùm jus reservans proponat casum sub his terminis. *Sortilegia, Maleficia, Incantationes*, videndum est, an singulæ enumeratæ superstitionis species, vel ex his

his aliquę tantùm comprehendantur sub litera reservationis. Et primò de sortilegiis.

IN PRIOREM OCTAVI CASUS PARTEM,

In Edicto sub hac littera Expressam.

Sortilegia, &c. ubi est rerum sacrarum, Sacramentalium, vel Sacramentorum abusus.

ANNOTATIONES.

1 *Sortilegia unde dicta.*
2 *Sortium tres sunt species, divisoriæ, consultoriæ, divinatoriæ.*
3 *Sortes divisoriæ quando sint licitæ.*
4 *Sortes divisoriæ quando damnandæ.*
5 *Divinatio per sortes semper est mala, & superstitiosa.*
6 *Dœmon etsi propter superbiam è Cœlo Empyreo fuerit dejectus, non tamen ejus elatio mansit depressa: Ideòque magicarum artium fuit inventor.*
7 *Dœmones multis modis possunt plura de futuris prænosse, quàm homines.*
8 *Omnis usus sortium, quarum directioni præest Diabolus, sub litera reservationis comprehenditur.*
9 *An quælibet divinatio, in qua intervenit Dœmonis invocatio, sortilegii nomine veniat. Aliqui negant.*
10 *Affirmativam sententiam tuetur Author.*
11 *Astrologia judiciaria an sortilegii nomine sit comprehensa.*
12 *Omnis divinatio superstitiosa cum abusu rerum sacrorum, &c. reservationi est obnoxia.*
13 *Divinatio superstitiosa duplex, alia cum expressa, alia cum tacita Dœmonis invocatione.*
14 *Invocatio Dœmonis non solùm fit voce, & verbo, sed etiam facto.*
15 *Divinatio cum expressa Dœmonis invocatione novem sunt species.*
16 *Præstigium quid sit.*
17 *Quid somniorum divinatio.*
18 *Necromantiæ ratio explicatur.*
19 *Quid sit Pythonia.*
20 *Geomantiæ definitio.*
21 *Hydromantiæ quiditas.*
22 *Æromantiæ expositio.*
23 *Constitutiva Pyromantiæ ratio.*
24 *Aruspicium quid sit.*
25 *Sortilegia cum expressa Dœmonis invocatione sunt hæreticalia.*
26 *Sortilegia hęreticalia quomodo, & quando sint Episcopo reservata.*
27 *Hæresis quid sit.*
28 *In foro externo qui sortilegiis hæreticalibus nefariè se immiscere deprehenditur hæreticus, & excommunicatus præsumitur.*
29 *Sortilegia, quæ fiunt cum implicita Dœmonis invocatione in sex species dividuntur.*
30 *Astrologia circa quæ versatur.*
31 *Astrologia duplex naturalis, & judiciaria.*
32 *Astrologiæ naturalis usus nec est malus, neque prohibitus.*
33 *Astrologia judiciaria triplex electionis, revolutionis, & nativitatis.*
34 *Astrologia judiciaria electionis, & revolutionis ementitæ vanitatis à pluribus damnatur.*
35 *Astrologia judiciaria nativitatis an mortali culpæ, & excommunicationis pœnæ sit obnoxia.*
36 *Sententiam negativam nonnulli sustinent.*
37 *Affirmativam omninò esse sequendam putat Author.*
38 *Augurium (secunda divinationis species ex pacto implicito) quid sit.*
39 *Auspicii definitio.*
40 *Omen quid sit.*
41 *Chiromantiæ dilucida expositio.*
42 *Spatulamantia quid sit.*
43 *Sortilegia cum implicita Dœmonis invocatione seclusa ignorantia, vel simplicitate animi sunt peccata mortalia, sed non reservata, nisi etiam adjunctum habeant rerum sacrarum, &c. abusum.*
44 *Quot sint genera rerum sacrarum.*
45 *Quænam dicantur res sacræ.*
46 *Sacramentalia quid sint.*
47 *Ad hanc reservationem incurrendam ne-*

necessariò requiritur vel rerum sacrarum, vel Sacramentalium, aut Sacramentorum abusus.

ANNOTATIO I.

1 Sortilegia ita dicuntur à sortibus: Sortes autem propriè sunt, cùm aliquid fit, ut ejus eventu considerato, aliquid occultum innotescat cujusmodi sunt traxillorum emissio, descriptio cartularum, figuræ resultantes in plumbo liquefacto in aquam projecto, signa, seu verba, quæ primò occurrunt aperienti librum, & alia id genus sexcenta, quibus ope Dęmonis rerum naturaliter incognoscibilium acquiritur cognitio. S. Tho. 2.2. q.95. art.2. & seq. Azor. lib.9. cap.22. Finell. de cas.res.cas.2. n.22.

2 Sortes dividuntur à Doctoribus in tres species, scilicèt in divisorias, consultorias, & divinatorias. Nam si res aliqua inter plures sit dividenda, dignitas conferenda, pęna irroganda; idque sortium beneficio fiat, dicuntur sortes divisorię. Si in dubio, arduoque negotio desideretur scire, quid sit agendum, eaque cognitio sortibus indagetur, vocantur sortes consultorię. Si verò occultorum, vel futurorum quęratur præcognitio, idque sortium adminiculo attentetur, nuncupantur sortes divinatoriæ. Sanch. l.2. mor. c.43. n.56. Less. lib.2. c.43. dub.9. n.57.

3 Inter hæc sortium genera, notandum est ex S. Thom. 2.2. qu.95. art.2. Lessio cit. dub.9. num.58. quòd sortes divisoriæ licèt multis in rebus sint licitę, si eventus non expectetur à Dæmone; vel à fortuna, velut ab aliquo Numine, sed à solo Deo, atque caveatur, ne ulli fiat injuria, nec adhibeantur in electione ad dignitates, & officia Ecclesiastica: tamen aliquando, & harum sortium usus potest esse illicitus, si earum directioni pręsit Diabolus, intercedente pacto expresso, vel tacito inter Diabolum, & mittentem sortes: Sicuti docent Sanchez lib.2. mor. cap.38. nu.88. & 89. Fagund. præcep.2. lib.8. c.4. num.12. Graff. de cas.res. lib.3 cap 1.

4 Sortes similiter consultoriæ, quamvis non rarò possint esse licitæ, si necessitas, ac honestas id suadeat, aptiorque modus consilium capiendi non appareat, fiantque cum debita reverentia; ut docet Lessius cit. dub.9. nu.58. Nihilominus, regulariter loquendo, sunt illicitę, cùm non sortibus, sed Ecclesię precibus, Sāctorum doctrina, piorumque consilio Divina scrutanda sit voluntas. Imò, & harum usus malitiam superstitionis continere possunt, si interveniat expressa, vel implìcita dœmonis invocatio: Ideòque earum eventus non à Deo, sed à Dęmone expectetur. Ita Sanch. Fagund. Graff. ll cc. Bonac. to.2 disp.3. q.5. punct.3. n.15.

5 Sortes porrò divinatoriæ omninò sunt illicitæ, & superstitiosæ; cùm ejusmodi sortes neque ex natura rei, neque ex Dei, aut Ecclesiæ institutione occultis rebus cognoscendis possint deservire: Ideòque pactum aliquod sive expresè, sive tacitè cum Dæmone ineatur, ut ab eo mittens sortes rebus occultis instruatur. Ita DD. superiùs citati ll.cc.

ANNOTATIO II.

6 Pro quo notandum, quòd licèt propter superbiam Dęmon dejectus fuerit è Cęlo Empyreo, non ideò depressa est illamet superbia, sed potiùs elata: Quare, & in *Psal.73.* dicitur *superbia eorum, qui te oderunt, ascēdit semper.* Vnde nunquam destitit Satā novas artes adinvenire, quibus in hac vita præesse hominibus, ac veluti mundi princeps eminere videretur: & ideò magicarum artium fuit inventor, ut homines futurorum præcognoscendorum desiderio alliceret, sibique devoveret, ut per deceptos homines alios deciperet, ac suæ perditionis, quos posset, faceret consortes. S. Thom. 2.2. qu.95. art.8. Suarez de relig tom.1. tract.3. lib 2. cap.12. Bonac. loc. cit.

7 Et quamvis Dęmones non possint certò cognoscere futura, quæ à libero arbitrio alterius pendent, ut docet S. Aug. lib. de divinat. Dœmon. cap.5. & 6. tamen possunt longè plura de rebus futuris, aliisque occultis nosse, quàm homines, idque quinque modis.

Primò, quia cognoscunt exactè omnes causas naturales, & vim earum, ut Solis, Lu-

Lunæ, syderum, elementorum, animalium, &c. Unde facilè colligere possunt, qui effectus ex iis secuturi sint, vel absolutè, vel si certo modo applicentur. Sic facilè possunt prædicere ventos, tempestates, naufragia, mortes.

Secundò, quia sciunt, quid ipsi, & alij Dæmones malorum socii, Deo permittente, facturi sint: sic poterant prædicere eversionem familiæ Iob, & ipsius calamitates.

Tertiò, quia summam habent experientiam; milites enim observarunt, quid ex quo in causis liberis sequi soleat; quibus rebus voluntas humana huc, vel illuc impelli: unde sæpè fit, ut de futuris liberis verè conjectent.

Quartò, quia vident in longinquis locis causas jam positas, vel effectus inchoatos: Ideòque possunt celeritate naturæ illos prævertere, & alibi prænunciare.

Quintò, possunt interdum aliquid de rebus futuris cognoscere ab Angelis, Deo permittente, vel ex scripturis, quas meliùs intelligunt, quàm homines. Vide S.Thom. par.1. quæst.64. art.1. ad 2. Lessium lib.2. cap.43. dub.5. n.23. Finellium de cas. reser. cas.2. num.5.

8 Litera igitur reservationis, nomine sortilegii censetur comprendere omnem usum sortium, quarum directioni præest Diabolus, intercedente pacto, sive illæ sint divisoriæ, sive consultoriæ, siue divinatoriæ. Nam lex generaliter loquens generaliter est intelligenda: & cùm ipsa non distinguat, nec nos distinguere debemus. Quod verum est, dummodo in hoc sortium usu simul interveniat rerum sacrarum, Sacramentalium, vel Sacramentorum abusus de quo fusiùs infra annota.12. Ita S. Thom. loc.cit. art.5. Sanchez, Fagund. Graff. ll.cc. Valen. 2. 2. disp.6. quest.12. punc.2. Filliuc. tract.24. cap. 3. quest. 3. 4. & 8. Portel. de dub. regu. V. veneficia num.21. 24. & 25. Dian. par.4. tract. 8. resol 14. & novissimè in propriis terminis Bassæus in florib. V. *casus reservatus* num.40. §. *Versiculo per sortilegia*.

ANNOTATIO III.

9 Quamvis autem nomine sortilegii intelligatur propriè usus sortium, quæ adhibentur ad cognoscendum res occultas, ideòque sortilegia sub genere superstitiosæ divinationis videantur subalternam speciem constituere: quod sentire videtur Zeccus cas.6. num.5. Mazuchellus disp.2. cap.10. num.58. & expresè tenet Bordon. in conf. regul. resol. 40. nu.1. & sequenti.

10 Nihilominus communior, & probabilior est sententia Suarez de Relig. tom.1. tract.3. lib.2. cap.12. Sanchez lib.2. mor. cap.38. num.88. & 89. Fagund. precept.2. lib.8. cap.4. num.12. Coriolani de casib. reser. par.2. in primo casu. Graff. de cas. reser. lib.3. cap.1. Finell. de cas. reser. cas.2. n.1. Bassęi in floribus V. *casus reservat.* num.40. §.1. & aliorum, asserentium per sortilegia non solùm intelligi tres illas sortium species, quas supra retulimus, sed omnem insuper divinationem, in qua intervenit expressa, vel tacita Dœmonis invocatio.

11 Præterea Astrologiam judiciariam, quæ ex astrorum aspectu futura contingentia, & à libero arbitrio pendentia divinare præsumit; ideòque prorsus superstitiosa, omniquè jure prohibita est, sub litera sortilegii cõprehendi, docent Suar. Fagund. Sanch. Graff. ll.cc. Quaran. sum. Bullar. v. casus reserv. nu.3. Marcant. c.7. reg. minor. tit.2. qu.1. d.1. Bassæus loc.cit. Idquè probant ex identitate, vel majoritate rationis: Quia supradictę divinationis species sunt ejusdem generis, & potiùs dicitur inclusio similium peccatorum, quàm extensio.

Neque obstat, quod objicit Bordon. in conf. regu. resol 40. num.1. quòd in odiosis non debeat fieri extensio ad ea, quæ termini formaliter accepti non significant: Nam rectè respondet Quaranta loc. cit. Belloch. de cas. reser. par.2. quæst.9. n. 9. Finellius de cas. reser. cas.4. num.25. Lupus de cas. reser. par.2. cas.12. §.1. num.11. quòd quando agitur de animarum salute, & de peccato vitando, potest fieri extensio etiam juris pœnalis; & potiùs

tiùs

tiùs dicenda est inclusio similium delictorum, quàm extensio.

Addo, quòd casuum reservatio licèt fortè sit odiosa quantùm ad pœnitentium, & Confessariorum sensualitatem, ut ita dicam; est tamen medicinalis, & favorabilis animarum saluti: Ideò aliquando, extendi, & dilatari potest. Quod notavit Finellius citato ex Abbate, & tenet Quaranta summa Bullar. v. *casus reserv.* num.3.

12 Hac igitur ratione attenta, retentaque sententia dicendum est, literam reservationis, nomine sortilegij non solùm comprehendere sortes, quarum directioni pręest Diabolus, intercedente expresso, vel tacito Diaboli pacto; sed etiam omnem divinationem, in qua similiter intervenit expressa, vel tacita Dœmonis invocatio: dummodo ex advertentia, & deliberatione sufficiente fiat: simulque adsit rerum sacrarum, Sacramentalium, vel Sacramentorum abusus.

ANNOTATIO IV.

13 Cęterùm pro majori hujusce casus dilucidatione, notandum est, divinationem superstitiosam duplicem esse; alia quæ fit cum expressa Dęmonis invocatione; alia cum tacita. Divinatio cum expressa Dœmonis invocatione, seu cum pacto tunc fieri censetur, cùm divinator intendit invocare Dœmonem, & cum eo inire pactum: quod multis modis contingere potest, prout Dœmon multis modis consulitur, aut consultus variis modis respondet: quæ Dœmonis invocatio ad sciendum futura, hęresim sapit: de quo inferiùs. Divinatio verò, in qua Dęmon tacitè invocatur tunc est, cùm quis ad hauriendam futurorum notitiam, utitur mediis, quæ nec virtute sua naturali, nec Divina vim habent indicandi res futuras: Ideòque tacitè in eis Dęmonis auxilium imploratur, ut operetur aliquid, quod hujusmodi media per se operari nõ possunt: ut si quis, pro inveniendo furto, vel fure, verba quędam adhibeat ad movendum cribrum; cùm hujusmodi motus ex pacto explicitè inito cum primis Sortilegis fiat à Dęmone, qui per eadem verba tacitè invocatur. S. Thomas 2. 2. quęst.95. art.3. Valentia 2. 2. disput 6. quęst. 12. punct.2. Toletus lib.4. cap.4. Clavis Regia lib.4. cap.5. num. 5. & 6. Layman lib.4. tract.10. cap.3. num 2. Finellius de casibus reservatis casu 2. numero 2.

14 Invocatio autem Dęmonis non solùm fit voce vel sermone, cùm per verba imperativa invocatur, ut si dicatur, jubeo, pręcipio, constringo, & similia: vel cùm per verba deprecativa, cùm dicitur, oro, obsecro, obtestor, & hujusmodi: sed etiam fit facto, ut adoratione, vel cultu eidem exhibito. Imò invocatio potiùs fit facto, quàm verbo: Siquidem invocare est per affectum cordis, & cultum in se alterum vocare: Unde Glossa super illud Genes. cap.4. *cœpit invocare*, idest, colere, & deprecari. Proindè magis invocare Dęmonęm dicitur, qui eumdem cultu aliquo veneratur, quàm qui vocibus etiam repetitis illum obsecrat, & implorat. Et licèt verba imperantis majorem vim videantur habere, quàm obsecrantis; hic tamen censetur magis invocare, quàm ille, quia hic venerationem aliquam, vel adorationem pręsefert, non ille; & consequenter graviùs delinquit, & vehementer de hęresi fit suspectus, invocatio igitur Dęmonis magis fit per cultum eidem exhibitum, quàm per quęcumque verba, absque ullo cultu. Vide Finellium casu 2. num.4. & 5.

ANNOTATIO V.

15 Porrò divinatio, quę fit cum expressa Dęmonis invocatione, dividitur in novem species.

16 Prima dicitur Pręstigium; & est Dęmonis invocatio sub ficta, apparentique figura: ut cùm homo speciem Lupi, vel Asini refert, quę species licèt sit falsa, ab intuentibus tamen judicatur vera. Quia ipsis oculorum acies perstringitur: unde dictum est Pręstigium: Tales autem pręstigiosæ species formantur à Dęmone ex condensato aere, quæ ex alteratione imaginativę vera, naturaliaque apparent.

17 Secunda appellatur somniorum

observatio, cùm scilicet homo somnium observat, ut in cognitionem veniat earum rerum, ad quas præsciendas, Sortilegus in vigilia Dœmonem invocavit, quarum cognitio nullo modo per somnia haberi potest, quod est omnino superstitiosum: ut si quis, invocato Dœmone in vigilia, ab eodem responsum expectet in somno, v. gr. utrùm talem fęminam sit habiturus in uxorem, & similia, de quibus licet videre, quæ fusiùs tradit S. Thom. 2. 2. quęst. 55. artic. 6. Finellius casu 2. nu. 13. Lessius lib. 2. cap. 43. dub. 8. num. 1. ubi notat, quòd somnia possunt provenire ex quinque causis. Primò, ex Dei providentia. Secundò, ex mutatione Cœli. Tertiò, ex affectione corporis humani. Quartò, ex præuis cogitationibus. Quintò ex invocatione Dœmonis, de quo hìc est sermo, & est omninò superstitiosum, jurisque reservantis dispositioni obnoxium.

18 Tertia nuncupatur Necromantia; cùm scilicèt per expressam Dœmonis invocationem videtur excitari mortuus, qui interrogata respondeat; at revera non excitatur: Siquidem Dęmon nequit resuscitare mortuos, cùm id soli omnipotentiæ Dei reservetur, sed à Dęmone corpus mortuum assumitur, in quo apparet, & colloquitur. Et dicitur Necromantia à voce græca *Necros*, quod est mortuus, & *Mantia*, quod est divinatio.

19 Quarta species inscribitur Pytonia, cùm nimirùm, Dęmone invocato, occultorum quæritur cognitio per homines arreptitios, ficuti cernitur, dum ab Exorcistis de futuris interrogantur: quod nullo modo faciendum est, etiam absque pacto: cùm mendax sit Dęmon, & pater mendacii: neque veritatem dicat, nisi ad decipiendum, & diffamandum. Sine prece tamen, & aliquo societatis pacto, arreptitios interrogare ob aliquam utilitatem, vel etiam ob solam curiositatem, non excedere culpam venialem, docet Navarr. in man. cap. 11. num. 28.

20 Quinta vocatur Geomantia, cùm divinatio fit per figuras, vel signa in corpore aliquo terrestri, ut in statua, ligno lapide apparentia, quæ cognitio, cùm non sit naturalis, Dęmonis arte comparatur.

21 Sexta Hydromantia nominatur, cùm occultorum cognitio habetur per imagines in aquis apparentes: ut si ad furem, vel furtum detegendum, adhibeatur vasculum aquæ plenum, quod puer aspiciens dicat, *Angelo bianco, &c.*

22 Septima Aeromantia vocitatur, cùm Dęmon invocatus respondet, occultaque, aut futura per quasdam aereas figuras, quas assumit, prænunciat.

23 Octava Pyromantiæ nomen assumit, cum divinatio, seu occultorum cognitio per ignem, vel per crepitans lignum in ignem immissum comparatur.

24 Nona denique dicitur Aruspicium, cùm habetur cognitio, seu præcognitio per signa in visceribus animalium in Dęmonum aris immolatorum, apparentia.

Quicumque igitur se immiscet alicui ex divinationibus suprà dictis, dicitur vti sortilegiis cum expressa Dęmonis invocatione, & consequenter gravissimum scelus reservationi obnoxium committere. Vide S. Thomam ubi suprà artic. 3. Azorium tomo 1. lib. 9. à cap. 9. usque ad vigesimum secundum. Lessium libro 2. capite 45 dub. 5. Finell. cas. 2. num. 11. & seq.

ANNOTATIO VI.

25 Sed petes, utrùm sortilegia supra relata sint hæreticalia, iisque utentes de hæresi sint suspecti.

Respondeo, sortilegia, quæ fiunt cum expressa Dęmonis invocatione, seu ab habentibus pactum expressum cum Dęmone, qualia sunt novem supradicta, esse hæreticalia, quoties in iis exercendis, latriæ cultus Dęmoni exhibetur, eidem thura adolendo, sacrificia offerendo, candelas accendendo, genua flectendo, prostrationes faciendo, preces effundendo, se illi devovendo, obedientiam promittendo, per certum Dęmonem jurando, laudes Dęmonum cantando, certis vestibus se induendo, per characteres, signa, & ignota nomina obsecrando, Aves, aliaque similia animalia immolando,

do, sanguinem ex se emittendo, in quibus omnibus, aliisque similibus, & eorum singulis expressè Dœmon invocatur.

Item si duliȩ cultus illimet exhibeatur, ut si Dœmonum nomina, Beatorum Spirituum, aut Sanctorum nominibus misceatur in nefariis orationibus, mediatores illos faciendo ad impetrandum aliquid à Deo, ipsummet Deum exhorando per illorum merita, vel nomina. Quoties igitur invocatur Dœmon, interveniente aliqua ex supradictis nefariis actionibus, latriȩ, vel duliȩ cultum significantibus, sortilegia hujusmodi censeri debent hȩreticalia, iisque utentes tanquam hȩretici possunt condemnari. Ita Director Inquisit. par. 2. quȩst. 43. Finellius de cas. reser. cas. 2. num. 6. Belloch. de cas. reser. par. 2. quȩst. 1. num. 73. Delrius disquis. magic. lib. 5. sect. 15. nu. 2. Carena in tract. S. Inquisit. par. 2. tit. 12. §. 4. num. 28.

ANNOTATIO VII.

26 Verùm rursus instabis, quomodo possit Episcopus sibi reservare sortilegia supra relata, si talia sunt hȩreticalia, iisq; nefariè se immiscentes tanquam hȩretici possunt puniri: siquidem casus hȩresis est Papæ reservatus, in Bullaque Cœnæ Domini contentus?

27 Difficultas quidem videtur gravis, & evidens, sed resolutio non erit difficilis, si priùs, quid sit hæresis, explicetur. Hæresis igitur est error, sive assensus falsus intellectus circa veritatem orthodoxæ fidei cum pertinacia junctus. Vnde sine tali falso intellectus assensu, etsi factum aliquod possit esse peccatum, nunquam tamen erit hæresis. Illustro rem exemplis. Qui fornicatur, etsi fornicationem jure Divino prohibitam esse non ignoret, nunquam tamen dicendus est hȩreticus, nisi etiam pertinaciter credat, quòd absque peccato fornicari liceat, nõ obstante Divinȩ legis prohibitione, quod esset dogma falsum, fidei orthodoxæ repugnans. Similiter qui studiosè rem spiritualem vendit, pacto pretio, etsi peccatùm simoniæ committat tum ob Divinæ, tùm Ecclesiasticȩ legis prohibitionem; hȩresis tamen non est damnandus, nisi pertinaci errore credat, spiritualia esse venalia. Solum igitur opus quamtumvis nefarium, & prohibitum absque pertinaci intellectus errore, contra orthodoxȩ fidei veritatem operantem, hȩreticum non facit, teste Nav. in man. cap. 11. nu. 27. Sanch. lib. 2. mor. cap. 2. n. 20.

Ex hac doctrina resolvitur difficultas superiùs allata. Nam si sortilegiis supra relatis nefariè se immiscens habeat errorem in intellectu, eò quòd credat ita esse, v. g. si latriȩ, vel duliȩ cultum Dœmoni tribuat, quia credat hujusmodi cultum eidem deberi: vel si magnetem baptizet, quia credat illum Sacramenti esse capacem, is verè hȩreticus est, excommunicatione Papæ reservata innodatus, cȩterisque hæreticorum pœnis subjectus, dummodò pertinax sit, quia cùm non ignoret opinionem suam Catholicæ fidei adversari, atque ideò ab Ecclesia tanquam hæreticam fuisse damnatam; eam nihilominus retinere, defendere, ac in usum deducere audet.

Si verò nefariis hujusmodi superstitionibus utens nullum habeat errorem in intellectu, sed illis se immisceat motus cupiditate obtinendi aliquid à Dœmone, ut sic Dœmoni obsequendo, sacrorum abusum imperanti, ipsum in sua vota perducat, non est hæreticus, sed perditissimus peccator; cujus nefaria scelera sunt illamet, quæ Episcopus sibi reservat in casu.

28 In foro tamen externo, qui prædictis sortilegiis nefariè se immiscere deprehenditur, hȩreticus, & excommunicatus pȩsumitur. Nam factum suapte natura malum, prȩsumitur mala intentione factum, *l. si non convicii. cap. de injur. & cap. extra de præsump.* & Glossa *ibid.* Exhibere autem latriȩ, vel duliȩ cultum Dœmoni manifestam hȩresim sapit in foro exteriori: Quia id agens credere prȩsumitur Dȩmoni talẽ cultũ deberi. Juris ergo prȩsumptione sortilegiis hujusmodi addicti præsumuntur hȩretici, sanctique Officii Inquisitoribus sunt denunciandi, teste Carena cit. par. 2. titul. 12. §. 10. num. 56. rei tamen veritate non sunt hȩretici: Quia ex suppositione errorem non habent in intellectu cũ pertinacia junctum, sed nefariis

fariis illis divinationibus incumbunt nō infidelitate, sed cupiditate moti, aliquid à Dœmone assequendi. Ita Sylvest. *v.hæresis* 1. quæst.5. & *hæresis* 2. quæst.3. nu.5. Navar. in man. cap 11. num.27. Finellius de cas.reser. cas.2. num.10. Sanchez citat. cap.7. num.20. & sic in hoc casu sortilegia non ad primum casum Bullæ Cœnæ, neque absolutio ad Papam, sed ad Episcopum spectaret in foro sacramentali Pœnitentiæ, quod non nititur præsumptionibus, sed veritate: Et sunt ea, quæ reservantur in casu.

ANNOTATIO VIII.

29 Altera verò divinatio, quæ fit cum tacita Dęmonis invocatione, complectitur sex species: Quarum prima est Astrologia.

30 Istæc autem Astrologia, seu divinatio per astra versatur circa considerationem situs, & motus Astrorum.

31 Sed ut ordinatim procedamus, advertendùm est, quod Astrologia est duplex; alia naturalis, alia judiciaria. Naturalis est illa, quæ ex astrorum situ, motu, conjunctione, oppositione prædicit effectus, qui à necessariis causis proveniunt, ut Eclypses, nives, pluvias, grandines, siccitates, ventos, salubritatem, morbos, &c. Item quæ ex puncto nativitatis pueri alicujus coniectat illius temperamenta, naturalesque propensiones. Siquidem astra directè agunt in corpora, teste S. Thom. contra gent. cap 54. & 85. Judiciaria verò est illa, quæ ex astrorum aspectu prædicit eventus, qui à liberis causis dependent, vel præteritos, aut pręsentes occultos investigat. S Th.2.2.q.95. art.5. Sanch. l 2. mor.c.38.n.28.

32 Hęc Astrologia judiciaria triplex est: Alia dicitur electionis, qua divinatores ex astrorum aspectu pręd icunt pericula cuique impendentia, quidvè facere quisque debeat, ut ea declinet. Altera vocatur revolutionis, qua præmonstrant rerum vicissitudines, ut bella, pacem, Principum mortem, &c. Tertia nuncupatur nativitatis, qua eventu vitæ, conditionem nuptiarum, dignitates, opes, tempus, genusque mortis divinare contendunt. Delrius disquisit. magic. libro quarto cap.3. quæst.1. Less. lib.2. cap. 43. dub.8. num.35.

33 Nunc dico Astrologiam naturalem, quæ ex astrorum situ, ac motu conjectat, quæ naturaliter contingunt, nec esse malam, neque prohibitam: Imò ipsius usum Agriculturæ, Medicinæ, & Navigationi plurimùm conducere, dum prævidentur eclypses, pluvię, siccitates, venti, & hujusmodi, quorum pręcognitio absque Dœmonis auxilio, sed ex necessaria positione, ac influxu causarum habetur, cùm à virtute cęlesti fiant. S.Th.cit. q.95. art.5. Less. cit. dub.6. n.34. Laym. lib.4. tract.10. cap 3. num.5.

34 Astrologia verò judiciaria tùm electionis, tùm revolutionis quamvis non mortiferę superstitionis, per se loquendo; at certè magnę temeritatis damnanda est, teste Regin. lib.17.n.172. & P. Alexandro de Angelis in suo eruditissimo tract. contra Astrolog. lib.4. cap.47. Siquidem cognitio per astra circa res contingentes est incertissima, ne dicam prorsus inanis, & ementia. Consule etiam Sanch. lib.2. mor. cap.39. num.29. Delrium citat. cap. 3. quęst.1. Layman. cit. cap.3. num.5. Carenam. citat. titut.12. §.11. & 12. num.72. & 73.

35 Cęterùm Astrologia judiciaria tertii generis nimirùm nativitatis, quæ ex situ, ac figura Cęli tempore nativitatis efformata, in domosque duodecim distributa, pręd icit res futuras, à libero arbitrio pendentes, ut hominis mores, evẽtus vitę, opes, magisteria, amicos, carceres, dignitates, cōditionem nuptiarum, tempus, genusque mortis. Item quę ex astris res præteritas, aut præsentes investigat, verbi gratia occultum furtum, thesaurum, virginitatem, &c. omninò superstitiosa est, Christianæ Reipublicæ noxia, Divino, Canonico, ac civili jure prohibita: demumque per constitutionem Sixti Quinto, & postmodùm per Bullam Vrbani Octavi sub gravissimis pœnis damnata, ea pręsertim, quę de statu Sanctę Ecclesię, seu de assumptione, vita ac morte Summi Pontificis aliqua ex astris prędicere audet; quasi hęc non à sola Dei providentia, sed ex astrorum etiã virtute, ac molimi-

ne

ne depēdeant. Et meritò quidem, ac jure damnata est. Quia ejusmodi cognitio nec ex astris tanquam causis potest haberi, quia tolleretur libertas; nec ex astris tanquam signis, quia vel essent signa naturalia, vel ad placitum: non naturalia, quia hęc præsignare non possunt effectus liberos; neque ad placitum, quia nulla de hoc habetur à Deo revelatio. Relinquitur ergo, quòd hujusmodi divinatio ex pacto implicito habeatur à Diabolo; fundamentumque magiæ, necnon omnis superstitiosæ divinationis existat. Ita S. Thom. 2.2. quęst. 95. art. 5. Valen. 2.2. disp. 6. q. 12. punct. 3. Lessius lib. 2. c. 43. dub. 6. n. 35 Sanchez lib. 2. mor. cap. 38. num. 33. Martinus Delrius disquis. magic. lib. 4. c. 3. quęst. 1. Clavis Reg. lib. 4. cap. 5. nu. 3. Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 5. punct. 3. n. 11. Finell. de cas. reser. cas. 2. n. 19. Carena citat. §. 12. num. 90. P. Alex. de Angelis contra Astrologos, *lib. 4. cap. 19.* vbi satissimè id probat.

ANNOTATIO IX.

36 Planum est igitur, facientes judicia, & nativitates, & mortalem culpam committere, & excommunicationis censurę subjacere, si effectus à libero arbitrio pendentes affirment certò eventuros. Difficultas est, si non certò, sed sub dubio, eaque tenui conjectura, quæ ex astris haberi potest, pendentia à libero arbitrio pręnuncient futura; an tunc superstitionis mortalis sint damnandi.

Negant Valent. 2.2. disp. 6. q. 2. punct. 3. Martinus Delrius disq. magic. lib. 4. cap. 3. quęst. 1. concl. 2. Dian. par. 2. tract. 1. resolut. 58. Raphael à Turre 2.2. tom. 2. q. 95. art. 5. disp. 2. asser. 3. *vers. pro decisione*. Neque obstare ajunt Bullam Sixti V. contra Astrologos judicarios latam, quia eam in foro tantùm externo, non item in foro interno obligare putant.

37 Hæc sententia forsitan probabilis videretur, nisi obstaret approbatio, confirmatio, & innovatio cōstitutionis Sixti Quinti per supradictam Bullam Vrbani Octavi, 1. *April.* 1623. quæ incipit. *Inscrutabilis*. ubi contra Astrologos judiciarios excommunicationis pęnam ipso facto incurrendam, aliasque pœnas infligit. Vnde, stante hac Pontificia constitutione, subsistit sententia affirmativa, & corruit contraria: & sic transgressores hujus constitutionis denunciari debent Inquisitoribus contra hæreticam pravitatem, si tales sint pertinaces, hoc est, si pertinaci animo sententiam suam, damnatamque futurorum eventuum præscientiam retineant, ac defendant: cùm eam ab Ecclesia fuisse reprobatam, non ignorent. Si tamen adesset spes emendationis, præmittenda esset correctio fraterna: siquidem pręceptum correctionis, quando affulget spes emendationis, semper obligat, excepto casu hęresis formalis, ac solicitationis in sacramentali confessione: de quo fusiùs in priore Elucidarii parte resol. 42. Ita Sanch. l. 2. mor. c. 38. n. 34. Salas 1.2. quæst. 9. art. 5. tract. 5. disp. 2. sect. 3. nu. 36. Bonac. tom. 2. disp 3. quæst. 5 punct. 3. n. 12. Farinac. de hæresi quæst. 181. §. 1. num. 59. Bassæus *in florib. v. Astrologia* nu. 4. in fin. Carena cit. p. 2. tit. 12. §. 12. n 90. P. Alex. de Angelis in suo doctissimo tract. contra Astrol. lib. 4. cap. 19. Finell. de cas. res. cas. 2. n. 19. & alii plures.

ANNOTATIO X.

38 Secunda divinationis species ex pacto implicito est Augurium, hoc est, divinatio futurorum ex garritu avium, vel vocibus animalium, ad quę suapte natura nullam præsignificationem habent; ut ex erocitatione Corvi, offensione Canis, obvia funeris, occursu Crucis, effusione salis super mensam: Item ex scissione vestis, fractione corrigiæ, ruptione calcei, impactione pedis in limen ostii, uel sternutatione, cùm primùm domo egreditur. Nam ex his, & similibus fortuitò contingentibus aliquid fœliciter, vel infœliciter eo die sibi eventurum credere, vel cogitare, augurium superstitiosum est; cùm hæc omnia, & singula casualiter eveniant. Ideòque ex se absque Dœmonis auxilio futura pręnunciare non possint. Consule S. Thom. 2.2. quęst. 95. art. 5. Valent. 2.2. disp. 6. quęst. 22. punct. 2. Lessium l. 2. c. 43. dub. 2. Sanchez l. 2. mor. c. 38. vsque ad 43. Finel. de cas. reser. cas. 2. n. 19.

Non videtur tamen negandum cantu, vel voce animalium quædam futura prænunciari: ut pluviam ex corvina voce, serenitatem ex Uespertilionum procul à domibus volatu, &c. quorum conjectatio non superstitiosa, sed naturalis debet censeri, ex naturali instinctu, seu ex motu aliquo in eis causato, aut ab humiditate, vel siccitate ambientis aeris, ut à cælestium corporum influxu.

39 Tertia est Aruspicium; cùm ex avium volatu, vel quorumdam animalium motu, cursu, &c. futurorum sumitur præcognitio; ut si uxor ex visione Accipitris in imam vallem devolantis conjectet emorientis mariti animam ad infernum descensuram.

40 Quarta est Omen: cùm ex verbis casu ab aliquo prolatis alter futurorum conjecturam sumit.

41 Quinta est Chyromantia: cum ex manuum lineamentis inquiritur rerum futurarum notitia, v.g. periculorum vitæ, conditionis nuptiarum, prosperæ, vel adversæ fortunæ, &c. Quæ divinatio profectò superstitiosa est, ac mortale peccatum, si cum credulitate fiat; cùm ex his talis notitia haberi non possit. Secùs si ex curiositate, ut communiter fit, manuum lineamenta inspiciantur.

Hinc deducitur, quid dicendum de iis, qui à Cingaris de prospera, vel adversa sorte præmoneri quærunt. Nam si ex curiositate, vel joco id faciant, venialiter tantùm; si animo credendi, vel cum aliorum scandalo, mortaliter delinquere, sentit Less. lib.2.cap 43. dub.num.48. Navar. in man.cap.11. num.31. Carena titul.12. §.17. num.164. Vbi notat vix aliquem, quamvis simplicem istis partibus reperiri, qui Cingaris, hoc est, earum prædictioni, vulgò, *buona fortuna*, fidem præstet.

42 Sexta tandem est Spatulamantia: cum divinatio fit per signa in spatula alicujus animalis apparentia.

43 Omnes igitur, & singulæ divinationes supradictæ tàm cum expressa, quàm tacita Dæmonis invocatione comprehēduntur sub litera reservationis. Nam tacita invocatio, si plena consideratio adsit, est ejusdem rationis ac expressa. Et ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, nisi evidens ratio, vel necessitas distinctionem ponere cogat. Et quamvis sortilegia cum expressa invocatione longè atrociora sint, quàm cum tacita; nihilominus, & ista in casu includuntur, si à mortali culpa non excludantur, simulque rerum sacrarum abusum adjunctum habeant Nam etsi ex communi Doctorum sententia omnis divinatio mortalis culpæ sit damnanda, neque ex parvitate materiæ venialis fieri possit, si divinatio seriò fiat, ut docet Delrius l.4. disquisit.magic.c.2. quæst.4.Sanch.l.2. moral. c 38. Ex ignorantia tamen, vel inadvertentia, aut simplicitate animi à mortali potest excusari, si quis ignoret, vel saltem non dubitet, Dæmonem in talibus concurrere, paratusque esset ab illis abstinere, si existimaret, vel dubitaret, Dæmonem in hujusmodi intervenire. Quo casu Sortilegus sicut excusaretur à mortali culpa; ita etiam à reservatione; præterquam si ignorantia esset crassa, vel affectata, quæ sunt culpabiles. Ita Cajetanus secunda secundæ, quæst.95. art.2.*vers.ad evidentiam*.Sanchez loc.cit. Suar. lib.3. de superstit. c.10. num.6. Reginal. lib.17. num.170. Delrius cit.Finellius de cas. reser.cas.2. num.22.in fine. Graffeus part.1. lib.1. capitul.3. numer.71.

Dixi, si divinatio à mortali culpa non excludatur, simulque adjunctum habeat rerum sacrarum abusum. Nam ad incidendum in casum præter sortilegium, seu divinationem mortalem, requiritur etiam, ut intercedat rerum sacrarum, Sacramentalium, seu Sacramentorum abusus, ut patet ex litera reservationis.

ANNOTATIO XI.

44 Pro cujus rei clariore notitia notandum est, quòd tres rerum sacrarum sunt species. In prima reponuntur Sacramenta. Vnde si quis baptizaret magnetem, vel imaginem, vel rebaptizaret puerum, aut (quod est horribile dictu) abuteretur Hostia consecrata; talis nefaria sacrilegaque actio diceretur Sacramentorum abusus.

45 In secunda reponuntur res sacræ, ut

ut Sacramentorum vasa, Sanctorum reliquię, imagines sacrę, candelę, palmęque benedictæ, sal exorcizatum, aqua lustralis seu benedicta, Agni cerei benedicti, paramenta sucerdotalia, brevia sacra ad collum appensa, aliaque multa, quorum abusus sacrilegium constituit.

46 In tertia veniunt Sacramentalia, quę sunt actiones sacrę, quibus in Sacramentorum administratione, vel Missæ celebratione utitur Ecclesia: ut oratio Dominica, exorcismi, preces, benedictiones, variarum rerum consecrationes, signum Sanctæ Crucis, invocatio Sanctæ Trinitatis, Sanctissimi Nominis Jesu, vel Deiparæ Virginis, Symbolum Apostolorum, Evangelium Sancti Joannis, verba sacrę Scripturæ, versiculi Psalmorum, &c. Vide Finellium de cas. reser. cas. 2. num. 23. & 24. Dianam part. 4. tract. 8. resol 14.

47 Edictum igitur, seu litera reservationis non comprehendit nuda sortilegia, ceterasque divinationis species, nisi simul cum sortilegiorum usu coniungatur rerum sacrarum, Sacramentalium, vel Sacramentorum abusus, hoc est, malus rei contra suam institutionem usus; ut supra dictum est, & constat ex verbis legis reservantis.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro Incidentibus.

1 EX pręnotatis statuitur pro regula generali, eos omnes reservatione ligari, qui seriò, & scienter utuntur sortilegiis, cujuscumque generis illa sint, dummodò eventus à Dœmone expectetur, interveniente expresso, vel tacito ejusdem pacto, unà cum abusu rerum sacrarum, &c. Constat ex annotatione 1. & 2.

2 In specie incidit ille, qui in sortibus consultoris directionem, in divinatoriis auxilium implorat, & expectat à Dœmone, qui extrahentium sortes moveat manus, interveniente pacto saltem tacito, cum abusu vel rerum sacrarum, vel verborum sacrę Scripturæ. Vide superiùs annot. 2. num. 8. & Doctores ibid. citatos.

3 Idem resolves de illo, qui ex advertentia, & deliberat one sufficiente ad mortale utitur aliqua ex divinationum speciebus supra enumeratis annotatione 3. num. 10. 11. & 12. modò cum harum divinationum usu rerum sacrarum, Sacramentalium, vel Sacramentorum coniunctus sit abusus. Quia sunt peccata ejusdem generis, & potius dicitur inclusio similium delictorum, quàm extensio. Quaranta in summ. Bullar. V. *casus reservatus*, num. 3. Belloch. parte 2. quæst. 9. num. 9.

4 Reservationi subjacet, qui, ut divinet adventum Sponsi Adulterę, utitur verbis Psalmi, ad movendum annulum super filum. Quia est divinatio cum abusu sacramentalium: Siquidem versiculi Psalmorum inter sacramentalia numerantur. Dian. loc. cit. resol. 14. Januar. de cas. reser. resol. 14. n. 8. sibi contrarius resol. 18. n. 18. Secùs resolvendum, si reservatio lata esset contra abutentes rebus consecratis: Nam Psalmi sunt quidem res sacrę, sed non consecratę.

5 Subjacet non solùm reservationis, sed etiam excommunicationis pęnę exercens seriò, & scienter Astrologiam judiciariam tertii generis, sive nativitatis, res futuras, & à libero arbitrio pendentes divinando intercedente rerum sacrarum, &c. abusu, ut in terminis casus. Vide supra annot. 3. num. 11. & 35. & Doctores ibid. cit.

6 Eadem resolutio extenditur ad eũ, qui res occultas, sive præsentes, sive pręteritas, v. g. furtum, thesaurum, virginitatem per astra investigat: Quę talis divinatio sine tacito cum Dęmone pacto vix fieri potest: quę resolutio vera est, si illi misceatur rerum sacrarum, &c. abusus, ut supra. Ita pręter Doctores cit. Tolet. lib. 4. sum. c. 15. n. 16. Mazuch. disp. 2. c. 10. diff. 4. n. 48.

7 Ligatur reservatione, qui utitur aliquo ex supradictis divinandi modis cum abusu, ut in terminis casus, etiamsi res occulta, cujus cognitionem quærit, parvi sit momenti: Quia in divinatione seriò facta ope Dœmonis, non datur parvitas

vitas materiæ. Delrius l.4. disquis.magic. cap. 2. q. 4. Sanchez lib. 2. moral. cap. 38. num. 18.

8 Prætereà incidunt omnes supradicti, qui sortilegiis, vel aliis vanis signis utuntur cum abusu, ut supra, quamvis expressè protestentur se non intendere Dœmonem invocare. Nam protestatio est contraria facto, quia dum seriò media illa inutilia usurpant ad rerum occultarum cognitionem, ad quam sunt improportionata, tacitè ad Dœmonem recurrere censentur. Suarez tomo 1. de relig. lib. 2. de superst. cap. 9. n. 27. Sanchez lib. 2. mor. cap. 38. n. 8. Mazuch. loc. cit. diss. 2. n. 26.

9 Innodatur casu, qui per alterius ministerium, tanquam per cooperationem, utitur superstitiosis divinationibus cum abusu rerum sacrarum, &c. Quia moraliter rem æstimando, censetur iste sortilegiis se immiscere, quamvis per alterius ministerium. Neque dubito mentem Superioris reservantis esse, ut is etiam casu comprehendatur. Nam alioquin cuilibet in fraudem legis reservantis agere, reservationisq; telum effugere perquàm facilè esset. Neque ad strictam juris pœnalis interpretationem confugiendum est, quando de mente Legislatoris dubitari non potest. Faciunt quæ habet Azor. lib.8.cap.16.q.4. Sayr. lib.3.cap.5.num.14. Layman lib.2. tract.1. ca.15.n 6. qui licèt ibi agant de excommunicatione lata in eos, qui legunt librum hęretici, quam excommunicationis pœnam extendunt etiam ad eum, qui ab alio audit, vel per alium legit hujusmodi librum; idem tamen dicere debent etiam de reservatione, quam is incurrit, qui per alterius ministerium utitur sortilegiis, cùm utriusque sit par ratio: nec minùs agat contra legem, qui per manum, & os alterius utitur sortibus divinatoriis, quàm qui per alium legit librum damnatum: & expressè docet Bassæus in florib. V. *casus reservatus*, n.40.§.1. vers. *per sortilegia*, & tenet Finellius cas.4.n.21.citans Felinum.

Contrarium videtur sentire Mazuch. de cas.reser.disp.2.c.10.q.8.n.132. cui subscribit Januarius de cas. reser. resol 22. n.6. ea ratione nixi, quòd lex pœnalis lata contra facientes non comprehendat mandantes, vel auxilium, aut favorem præstantes, nisi exprimantur. Sed responderi potest, quòd qui per alterius ministerium, tanquam per instrumentum, seu cooperationem utitur sortilegiis, non incurrit reservationem tanquam mandans, sed tanquam utens, moraliter rem æstimando, ut dictum est.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro non Incidentibus

NOn subjacet reservantis juris dispositioni, qui utitur superstitione cultus superflui, v. gr. qui non celebrat, vel audit Missam, nisi ante ortum Solis, vel cum tot candelarum numero situ, vel à Sacerdote talis nominis, & sexcenta similia: Tùm quia superstitio cultus superflui regulariter culpam venialem non excedit, cùm fiat bona intentione, & in materia levi. Navar. in man.cap.11.n.23. Lessius lib.2. cap.43. dub.1. n.5. Layman lib.4. tract.10. cap.1. Tùm quia non venit nomine sortilegii: ut patet ex annot. 1. à n 1. usque ad 6.

In sacro tamen faciendo addere, vel demere cęremonias cum notabili earumdem perversione etiam ex sola devotione, quę corrigenda est: Item turpia verba in templo canere ore, vel organo esset superstitio mortalis, nisi fortè circumstantia aliqua excusaret. Less. cit. dub.1. n.5. Sanchez lib.2.mor. c.37.n.10.

2 Non ligatur casu, qui utitur superstitione cultus falsi, v.gr. qui colit Deum cęremoniis veteris legis, quæ significant Christum nondum venisse; vel falsas reliquias proponit, vel miraculum aliquod fingit, &c. Quia licèt hęc superstitio sit mortale peccatum, sicuti docet Lessius loc.cit.n.4. Suarez tom.1.de relig.lib 2.de superst.c.2.n.18. nisi excuset ignorantia, vel simplicitas: tamen non comprehenditur sub terminis sortilegii, maleficii, vel incantationis: ut patet ex dictis, & constabit ex infra dicendis.

3 Eximitur à reservatione, qui adhibet sortilegia tantùm divisoria, seu consul-

sultoria, dummodo nulla vel expressa, vel tacita intercedat Dęmonis invocatio, cum rerum sacrarum, &c. abusu: vide annotat.1.n.3.4.& 8.

4 Eamdem immunitatem à reservatione extẽdes ad illum, qui utitur Astrologia naturali: Quia sicut non est illicitum spectare causas, ita nec prædicere illarum effectus Constat ex annot.9.n.32. Consule etiam Lessium, Layman, & Carenam ibid.cit.

5 Eadem excusatio ampliatur ad usum Astrologiæ judiciarię primi, & secundi generis, videlicèt electionis, vel revolutionis: Quia licèt à viris doctissimis arguatur temeritatis, & mendacii; non tamen damnatur mortalis superstitionis: vide supra annot.9.n.33.& Doctores ibid. allegatos.

6 Extra telum reservationis existit, qui cœpit uti sortilegiis, aliisque divinandi modis cum rerum sacrarum, &c. abusu, sed actum non complevit. Ratio est, quia dispositio juris reservantis non afficit abusum rei sacræ ad finem sortilegii, sed sortilegia cum abusu rei sacræ: Ideòque requiritur actus completus in materia sortilegii Graff. in praxi lib.2.c.12.n.38.& 45.Mazuch.disp.2.c 10.q.8.n.129. Non effugit tamen gravissimum sacrilegii peccatum.

Secus resolvendum, si reservatio lata esset contra rebus sacris abutentes ad finem sortilegii, uti disponebat jus reservans antiquum in Diœcesi Brixiensi apud Zeccum cas.8. Quia tunc ad incidendum sufficeret abusus tantùm rei sacrę, etiamsi imperfectus maneret incœptus sortilegii actus.

7 Non afficitur reservatione, qui dedit operam sortilegiis, cœterisque divinandi modis superiùs annot. 6. & 9. relatis, si nullus rerum sacrarum, Sacramentalium, vel Sacramentorum intercesserit abusus: Clara sunt verba reservationis: quę talem requirunt abusum.

8 Hinc resolves reservatione non ligari, qui inspectis manus, vel frontis lineamentis, divinat inclinationes naturales, vel etiam prosperos, vel adversos humanę vitę eventus: modò absit rerum sacrarum, &c. abusus. Et ratio est jam allata, quia non quælibet superstitiosa divinatio reservationi est obnoxia, sed ea tãtùm quę cum abusu, ut exprimit casus, sit conjuncta. Committit tamen Chyromanticus ille si advertenter, & seriò id agat mortale peccatum, ob pactum implicitum cum Dœmone: Siquidem ex hujusmodi lineamentis talis pręnotio haberi non potest. Secùs si ex curiositate tantùm talia linementa inspiciantur. Delrius disquis. magic.lib.4.c.2.q.4. Less. lib.2.c.43.dub.6.n.45. Vide supra annot. 9.n.41.

9 Reservationi non est obnoxius, qui se immiscet sortilegiis, cęterisque divinandi modis intercedente etiam rerum sacrarum abusu, si ex ignorantia non crassa, vel inadvertentia, aut simplicitate animi id agat: Quia ignorantia, inadvertentia, vel simplicitas sicut excusant à malitia mortali sic etiam à reservatione; quæ necessariò lethalem culpam prærequirit. Consule Doctores superiùs allegatos annot.11. n.42.

10 Idem resolves de illo, qui non seriò, & ex animo, sed ex joco, vel curiositate utitur sortilegiis etiam cum abusu, ut in terminis casus: Quia licèt in hoc casu peccet mortaliter peccato sacrilegii, non tamen delinquit mortaliter peccato superstitiosę divinationis, cujus usus non est malitiosus, sed jocosus: Reservatio enim semper intelligitur de delicto vero non ficto. Suarez tomo primo de relig. lib.2.de superst.cap.9.& 10. Delrius lib.4. cap.2. q.4. Bassęus in florib. V. *divinatio*, num.4.

11 Non incidit, qui absque ullo sortilegio, maleficio, vel incantatione, rebus sacris abutitur, v.gr.ebibit, vel ungit se oleo sacro, aut ad collum defert sanctam Eucharistiam, &c. Quia non quilibet rerum sacrarum abusus reservationi est obnoxius, sed qui cum sortilegiis, maleficiis vel incantationibus conjungitur. Graff. lib.2.c.13.n.3.Mazuch.disp.2.c.10.q.8.nu. 128. Committit tamen iste gravissimum sacrilegii peccatum.

12 Eadem à reservatione immunitas extenditur ad eum, qui mandat consentit, vel alteri consulit, ut sortilegiis, aliisque superstitiosis divinationibus nefariè

se

se immisceat etiam cum abusu rerum sacrarum, &c. Et tunc habet locum doctrina Januarii, & Mazuchelli supra relata, quòd pœna lata contra facientes non comprehendat manentes, vel consulentes, nisi exprimantur. Alia tamen est ratio de illo, qui per alterius ministerium, tanquam per instrumentum, seu cooperationem, superstitiosis divinationibus utitur: Obstringitur tamen & iste gravi scandali delicto. Vide supra resol. 8. pro incidentibus.

13 Idem resolves de illo, qui alterum instruit de modo exercendi sortilegia, aliasque superstitiosas divinationes, modò instructio consistat in solis verbis, non in facto, seu practico opere. Quia à diversis non fit illatio, & aliud est exercere, aliud instruere. Delinquit tamen nefarius quàm graviter; & si commonitus ac correptus non resipiscat, denunciari debet Inquisitoribus contra hęreticam pravitatem. Quia vehementer fit suspectus de hæresi. Azor. part. 1. lib. 9. cap. 29. quæsit. 4. Januar. de casib. reser. resol. 22. n. 1. Carena in tract. S. Inquisit. p. 2. tit. 12. §. 15.

Quid verò Confessarii cum hujusmodi sacrilegis hominibus, seu veriùs Diaboli membris agere debeant, vide infra in fine tertię partis hujus Octavi casus, quæ est de incantationibus.

IN SECUNDAM OCTAVI CASUS PARTEM,

In Edicto sub hac littera Expressam.

Maleficia, &c. ubi est abusus rerum Sacrarum, Sacramentalium, vel Sacramentorum.

ANNOTATIONES.

1 *Quid sit maleficium & quotuplex.*
2 *Quodnam sit maleficium amatorium.*
3 *Quodnam veneficium.*
4 *Littera reservationis utrumque maleficium comprehendit.*
5 *Ex quinque causis fieri solent maleficia.*
6 *Ex ignorantia, vel inadvertentia aliqui magici actus possunt fieri veniales, & consequenter à reservatione excusari: non tamen ex parvitate materiæ.*
7 *An omnia, & singula maleficia reservantis juris dispositioni sint obnoxia.*
8 *Quomodo maleficus possit cognosci.*
9 *Cur suadeat Dœmon abuti rebus sacris.*
10 *Ad hanc reservationem requiritur, ut cum maleficiorum usu conjunctus sit rerum sacrarum, Sacramentalium, vel Sacramentorum abusus.*
11 *Quomodo, & quando maleficia, quoad absolutionem, ad Episcopum spectent.*
12 *Maleficium maleficio dissolvere nullo casu licet.*
13 *Si maleficium à malefico licito modo tolli possit, an liceat ab eo petere, ut illud tollat.*
14 *Signum fœderis inter Dœmonem, & Maleficum fas est cuique dissolvere, etiam opera ipsius Malefici.*
15 *Reservantis juris dispositio comprehendit omnem magicam actionem, tam maleficii constitutivam, quàm ejusdem dissolutivam.*
16 *Petitio, seu inductio ad maleficium dissolvendum, etsi possit esse mortaliter mala, à casu tamen est exclusa.*
17 *Dissolutio maleficii actione non diabolica, sed humana non est illicita, neque in casu comprehensa.*

ANNOTATIO I.

1 Maleficium est ars nocendi ex pacto, & auxilio Dœmonis. Ita Tolet. lib. 4. cap. 10. Lessius lib. 2. c. 44. dub. 1. n. 3. Filliuc. tract. 24. cap. 8. n. 182. Maleficium duplex est; aliud dicitur amatorium, aliud veneficium. Lessius, & Filliu. supra cit.

2 Amatorium illud est, quo Malefici utun-

utuntur ad excitandos animos, vel ad turpem amorem, vel odium Dęmone phantasiam hominis commovente, manente tamen omninò libera voluntate; quo fit, ut maleficio affecti non excusentur à peccato; cùm ad illud alliciantur, non cogantur Tolet. citat. lib. 4. capite 16. num. 4.

3 Veneficium verò est aliquid arte Dœmonis fabricatum, quo Malefici ejusdem Dœmonis auxilio, per occultam veneni applicationem alteri nocent, vel in bonis corporis, sterilitatem, morbos dolores, mortem, &c. inferendo; vel in bonis fortunę, vineas, segetes, domos per ventos, pluvias, grandines à Dœmone excitatas destruendo. Ita Finell. de cas. res. cas. 2. n. 2. Lessius cit. n. 3. Azor. tomo 1. lib. 9. cap. 26. Estque species subalterna superstitionis, & species specialissima maleficii.

4 Littera igitur reservationis utrumque maleficium, tàm amatorium, quàm veneficium proculdubio comprehendit: cùm utrumque peccatum gravissimum sit, & in tribunali Sanctæ Inquisitionis, quoties eò deducitur graviter puniendum.

ANNOTATIO II.

5 Cùm verò pluribus de causis fieri possit, ac soleat maleficium. Primò, ad cognoscenda occulta consilia, & actiones personarum, quæ longè absunt. Secundò ad morbos, dolores, homicidia inferenda, vel animalia, domos, vineas lędendas. Tertiò ad inducendam sanitatem. Quartò, ut falsę ac prestigiosæ apparitiones verę appareant. Quintò, ad efficiendas mirabiles mutationes, &c. & effectus humanę potentię vires excedentes.

6 Nos dicimus quocumque fine, ac causa, modò ex advertentia, & deliberatione sufficiente ad mortale, maleficia fiant, nedum reservationi Episcopali subjacere, sed præterea tùm judicium, tùm supplicium extra Sacramentalis confessionis actum, ad Sancti Officii tribunal pertinere. Vide Sylvest. V. *maleficium* q. 5. Bonac. tom. 2. disp. 3. punc. 5. n. 3. Carenam in tract. Sanctę Inquisit. p. 2. tit. 12. §. 19. num. 170.

7 Dixi in assertione, modò ex advertentia maleficia fiant. Quia fieri potest, ut aliqui actus magici excusentur à peccato mortali ratione ignorantię non crassę: ut si quis probabiliter ignoret, vel non advertat tacitam Dœmonis invocationem (cùm sępè fit occulta) vel se operam dare maleficiis. Nunquã tamen maleficia fiunt venialia ratione levitatis materię precisè. Nam quòd in re parva, vel ludrica Dœmon invocetur, per se non minus crimen est, quàm si fieret in magna; & consequenter à casu non sunt exclusa. Lessius lib. 2. cap. 44. dub. 4. num. 26. Dian. part. 6. tract. 6. resol. 42. Graff. part. 1. lib. 1. cap. 3. num. 71.

ANNOTATIO III.

8 Sed obiter inquires, quomodo extra Sacramentalem confessionem Maleficus possit cognosci?

Satisfacit tibi Clavis Regia lib. 4. c. 6. num. 24. Carena cit. tit. 12. §. 21. num. 117. & sequent. ubi tradunt Maleficum innotescere posse, vel ex confessione propria, vel ex confessione aliorum, qui ejusdem delicti sunt participes: vel si chirographum aliquod reperiatur penes aliquam personam manu ejus conscriptum, quo se Dœmoni devovisse appareat: aut si impressum gerat signum, vel stigma, quo Maleficæ solent insigniri: Item si penes aliquam inveniantur venena, hostiæ, bufones, membra humana, imagines cereæ acubus infixę, vel si invocare Dœmonem solere convincatur: si mulier minata fuerit alteri malum, & deinde reperiatur ille morbo correptus. Denique si qui asserant vidisse aliquem veneno, aut unguento aliqua linire animalia, quę postmodùm mortua sunt reperta.

ANNOTATIO IV.

9 Cœterùm cùm ad triplicia illa superstitionum genera, scilicèt Sortilegia, Maleficia, Incantationes in litera reservationis contenta, addita sint hęc verba. *Vbi est abusus rerum sacrarum, Sacramentalium, vel Sacramentorum*, notare oportet, quòd hujusmodi additio resolvitur in necessariam conditionem; quæ proinde conditio distributivè sumenda est, ut scilicèt referatur ad singula superstiqnum membra in casu expressa. Quare maleficia omnia quocumq; motivo, ac fine adhibeantur, etsi ex genere suo sint mortalia, quia continent expressam, vel tacitam Dęmonis invocationem, ac proinde societatem & benevolentiam erga illum, neque ex parvitate materię, sed interdum ex ignorantia, quę non sit crassa, venialia fieri possint, ut supra dictum est; reservationi tamen Episcopali non sunt obnoxia, nisi cum maleficiorum voluntario usu, rerum sacrarum, Sacramentalium, vel Sacramētorum conjunctus sit abusus ea prorsus ratione ac modo, sicutì supra de sortilegiis resolutum fuit, annot. 12. num 44. & seq.

10 Suadet autem Dœmon abuti rebus sacris, &c. Tùm ut maleficiorum peccata reddat graviora: Siquidem hoc pacto non tantùm sunt Malefici, sed etiam sacrilegi: Tùm etiam ut faciliùs decipiat, persuadendo tales effectus non fieri à Dœmone, sed à Deo, utpotè per res sacras productos.

ANNOTATIO V.

11 Quo pacto autem maleficiorum delicta ad Episcopalem jurisdictionem spectent, si maleficiis nefariè se immiscentes, tùm quoad judicium, tùm supplicium subdantur Inquisitoribus contra hæreticam pravitatem.

Resolutio istius dubii pendet ex doctrina adducta in priori hujus casus parte annotat. 8. num. 27. & 28. ubi diximus, sortilegia spectare ad Episcopum, quoties talia exercentes nullum habent errorem in intellectu circa veritatem orthodoxæ Fidei. Quæ doctrina procedit etiam in proposita difficultate. Nam si maleficiis addictus detineatur errore repugnante veritati orthodoxæ Fidei, illumque pertinaciter retineat, ac defendat; is verè hæreticus est, & excommunicatione Papæ reservata innodatus, ac proinde Inquisitoribus Sancti Officii, si extra sacramentalem confessionem innotescat, debet denunciari. Secùs resolvendum, si constet nullo detineri errore adversante catholicę Fidei; Nam tunc Maleficus non est hęreticus, nec excommunicatus in Bulla Cœnę (saltem in foro interno, quod nititur veritate, non pręsumptione,) sed perditissimus peccator, cujus atrocia scelera illamet sunt, quæ Episcopo reservantur in casu. Vide prędictam annotationem 8. num. 27. & 28. vbi latiùs expenditur, & resolvitur hæc difficultas.

ANNOTATIO VI.

12 Cœterùm antequam ad casus practicos deveniamus, superest adhuc dubium resolvendum. Utrum liceat à Malefico petere, ut maleficium, v.gr. ligaturas, nodos, volumina capillorum, involucra plumarum, aliaque signa magica dissoluat. Pro cujus difficultatis resolutione.

Dico primò, nullo modò fas esse à Malefico petere, ut maleficium tollat, si hujusmodi maleficium tolli non possit sine alio maleficio, non obstante, quòd Maleficus ad id esset paratus. Et ratio est, quia illa Malefica operatio est intrinsecè mala, cùm sit usus artis magicę, in quo intervenit tacita, vel expressa Dœmonis invocatio, quæ nullo modo licitè fieri potest: Ergo nec petere, vel consentire quis potest, ut ea fiat; juxta illud ad Roman. 1. *Qui talia agunt digni sunt morte, non solùm qui faciunt, sed etiam qui facientibus consentiunt*. Ita Finell. de cas. res. cas. 2. n. 8. *de Maleficis*. Less. li. 2. c. 44. dub. 6. n. 35. Laym. lib. 4. tr. 10. c. 4. n. 9. Bonac. tom. 2. disp. 3. q. 5. punct. 5. n. 3.

Di-

Dices. Licitum est ex causa petere ad usuram ab usurario parato dare: Item exigere juramentum ab eo, qui paratus est per falsos Deos jurare, ut docent Less. & Laym. ll.cc. ex communi: Ergo etiam licitum erit à Malefico petere, ut maleficium maleficio tollat, quando ad id Maleficus se se offert paratum.

Resp. quòd non est pars ratio, quia petere mutuum ab eo, qui solet exigere usuras: Item juramentum ab eo, qui putatur per falsos Deos juraturus, non est intrinsecè malum, cùm utrumq; prȩstari possit sine peccato, si velit, is à quo petitur: Siquidem ille potest dare mutuum sine usura, & hic jurare per veracissimi Numinis testimonium. At dissolvere maleficium alio maleficio est intrinsecè malum, & nullo casu licitum: Ergo etiam ad id Maleficum inducere non obstante, quòd is esset paratus. Secùs dicendum, si maleficium tolli posset absque alio maleficio. Pro cujus exceptionis probatione.

13 Dico secundò, licere à Malefico petere, imò etiam pecunia Maleficum inducere, vel verberibus cogere, ut maleficium à se positum tollat, si Maleficus licito modo possit Maleficium tollere, etiamsi constaret petenti, quòd Maleficus non sit illud dissoluturus, nisi per novum maleficium. Quia eo casu petitur à Malefico, quod ab ipso licitè prȩstari potest: sicuti licet etiam ex causa petere ab usurario mutuum ad usuram, ut rectè probat prȩcedens objectio. Ita Sanchez lib 7. de matrim. disp. 95. n. 12. & lib. 2. moral c. 41. num. 12. Lessius cit. cap. 44. dub. 6. n. 36. Finellius cit. num. 8. Filliuc. tract. 24. cap. 8. q. 1. num. 192. Dian. parte 5. tract. 7. resol. 15.

14 Dico tertiò, fas esse cuique tollere signum fœderis inter Dœmonem, & Maleficum, videlicet destruere magica signa v.g. imagines, nodos, ligaturas, involucra plumarum, volumina capillorum, & hujusmodi, ubi inventa fuerint eo fine, ut Diabolus iis sublatis, & combustis desinat nocere. Est communis Doctorum sententia apud Lessium cit. dub. 6. n. 36. quam latissimè probat & sustinet tanquā indubitatam. Siquidem eo casu non intervenit actio diabolica, sed humana, quam quilibet potest adhibere etiam meritoriè, ut ait Scotus in 4. dist. 34. q. unic. Versic. *Et ex hoc patet*.

15 Juris igitur reservantis dispositio comprehendit omnem magicam actionem, tàm quȩ fit cum expressa, quàm cum tacita Dœmonis invocatione; tàm ad nocendum alteri in bonis corporis, vel fortunȩ, quàm ad inducendum aliquem ad amorem, vel odium; tam quȩ sit maleficii effectiva, quàm ejusdem dissolutiva. Nam hȩ omnes actiones superstitiosæ, ac Diabolicȩ veniunt nomine maleficii: ut constat ex prænotatis.

16 Non tamen comprehendit actionem inductivam, qua scilicet Maleficus, vel prece, vel precio, vel minis, aut verberibus, ad maleficium ab eo positum dissoluendum inducitur: quo casu etsi inductor delinquat mortaliter, quoties sibi constat maleficium tolli non posse sine alio maleficio, eò quòd Maleficum inducat ad actum intrinsecè malum; non ligatur tamen reservatione, quæ non afficit inducentes, sed maleficiis utentes.

17 Quemadmodum neque incidit, qui magica signa à Malefico posita tollit actione non diabolica, sed humana eo fine, ut Diabolus iis sublatis, desinat nocere: quȩ actio tantùm abest, ut sit mala reservationique obnoxia, ut etiam cum merito fieri possit: ut cum Scoto supra cit. docent etiam Finellius, Lessius, Bonacina supracitati.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro Incidentibus.

1 EX prænotatis pro regula generali statuitur eos omnes reservatione ligari, qui scienter maleficiis se immiscēt tàm cum expressa, quàm cum tacita Dœmonis invocatione, tàm ad lȩdendum alterum in bonis corporis, vel fortunæ, quàm ad excitandum ad amorem, vel odium, tàm maleficium conficiendo, quā idem destruendo. Si cum horum maleficiorum usu conjunctus sit abusus, vel Sacræ

cræ Eucharistiæ, vel Olei sacri, aut Sanctorum reliquiarum, seu candelarum benedictarum, Agni cerei benedicti, vestiū sacrarum, signi S. Crucis, invocationis Deiparæ Virginis, verborum sacræ scripturę, &c. de quibus superiùs annotat. 12. *de sortileg.* Consule Chapeav. de cas. reser. cap. 21. q. 2. & Dianam part. 4. tract. 8. resol. 14.

2 In specie resolves illum incidere, qui edulijs, vel poculis amatoriis, seu veneficiis ad aliquam noxam alteri inferendam, quomodolibet rebus sacris abutitur. Mazuch. disp. 2. c. 10. q. 7. difficul. 3. num. 123.

3 Episcopali reservationi subjacet, qui maleficiis nefariè se immiscet cum abusu, & advertentia, ut supra, quocumque fine, & causa id agat. Nam cùm maleficia suapte natura sint mala ob expressam, vel tacitam Dœmonis invocationem, ac societatem; nullo casu possunt fieri licita. Constat ex annot. 6. n. 12. & docent Doctores ibid. cit.

4 Idem resolves de illo, qui utitur maleficiis ad morbos, vel homicidia inferenda, aut ad jumenta, domos, vineas, &c. lædendas cum abusu, ut in terminis casus. Quod verum est, quamvis maleficii delicto ignoret quis, esse adnexam reservationem. Quia ignorantia juris non excusat. Num verò idem statuendum sit etiam de ignorantia facti, seu specialis circumstantiæ, vide inferiùs in resolutiva praxi pro non incidentibus cas. 3.

5 Gravissimi sacrilegii culpæ, reservationisque virgę obnoxius est impius ille, qui in specie abutitur (quod est horrendum dictu) Sancta Eucharistia, partem ipse sumens, partem tradens sumendam ei, quem ad turpem amorem allicere cupit additis quibusdam precibus, maleficium involventibus. Chapeav. villa cap. 21. q. 2.

6 Eamdem resolutionem extendes ad illum, qui dat operam maleficiis cum ossibus, vel cineribus mortuorum, sub mappa altaris priùs repositis: Quia concurrit maleficium cum abusu, ut in terminis casus. Mazuch. de cas. reser. disp. 2. capit. 10. qu. 7. difficultat. 3. numero 122.

7 Reservantis juris dispositioni subjacet, qui maleficium maleficio destruit, quamvis illud ipse non confecerit: V. g. qui maleficium ingruentis grandinis dissolvit, figendo clavum ferreum in arbore cum quadam sacrorum verborum prolatione: quod olim in excipienda cujusdam pœnitentis confessione ab eo factitatum audivi, & deterrui. Nam est verè maleficium cum tacita saltem Dœmonis invocatione, interveniente sacrorum verborum abusu. Graff. 1. p. decis. aure. lib. 6. cap. 6. n. 10. Layman lib. 4. tract. 10. cap. 4. n. 9.

8 Reservationis telum non effugit, qui maleficio se immiscet, vel maleficium maleficio destruit abutendo rebus sacris, ob bonum finem, v. g. ob consequendum aliquod bonum, vel devitandum malum. Tùm quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona: Tùm quia maleficia nullo casu possunt fieri licita. Patet ex annot. 6. n. 12. & docent Sanchez lib. 2. mor. cap. 41. n. 5. Finellius de cas. reser. cas. 2. n. 8. de malefic.

9 Idem resolves de illo, qui à Malefico maleficiis uti didicit, si simul cum eo, vel seorsim iis seriò, & scienter usus fuit cum rerum sacrarum, &c. abusu. Quia concurrunt omnia ad incidendum requisita.

10 Neque à reservatione is est eximendus, qui Malefico positivè cooperatur per manum ipsius, tanquam per instrumentum, maleficiis se immiscendo modò ex advertentia, & deliberatione id præstet, & cum abusu, ut supra. Quia moraliter rem æstimando, censetur talis conficere maleficia. Vide in priori hujus casus parte resol. 9. pro incidentibus, & Doctores ibid. cit.

Neque contrarium sentit Mazuchell. cit c. 10. q. 8. n 132. citans Grassium: Quia reservatio hujus casus apud hos Doctores lata est sub his terminis. *Qui abutuntur Eucharistia, rebusvè sacris*: abutens autem propriè dicitur ille, qui per alium abutitur. At maleficium verè dicitur tale, etiam si alter per manum alterius positivè illi cooperando illud conficiat: consule Bassęum in florib. V. cas. reser. n. 40. §. 1. Vers. per sortilegia.

RE-

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro Non Incidentibus.

1 NOn incidit, qui habuit firmum propositum utendi maleficio cum abusu rerum sacrarum, sed illo minimè usus fuit. Quia reservatio est de actibus externis, vt sæpè dictum fuit.

2 Idem resolves de illo, qui attentavit vti maleficiis cum abusu, &c. sed actum non complevit. Et ratio est, quia litera reservationis non afficit abusum rei sacræ ad finem maleficii, sed maleficium, accedente abusu rerum sacrarum, &c. Ideòque requiritur actus completus. Graff. in praxi lib.2. cap.13. num.38. & 43. Gravissimi tamen sacrilegii est damnandus.

3 Non ligatur hac reservatione, qui utitur aliquo maleficio ex simplicitate, vel ignorantia nõ crassa, quia .s. nõ constat in eo concurrere tacitam Dœmonis invocationem, cùm hæc sæpè fit occulta. Nam ignorantia, & simplicitas eo casu sicut excusant à speciali malitia, & deformitate invocationis Dœmonis, quæ tunc non potest imputari ad culpam, utpotè incognita, atque ideò involuntaria, sic etiam à reservatione, quę hujusmodi magicę invocationi est adnexa. Vide supra annot.2. nu.7. & Doctores ibid. cit.

4 Reservationi non est obnoxius, qui maleficiis sciẽter se immiscet, sed absque illo rerum sacrarum, &c. abusu. Quod in in praxi vix locum habet, cùm sine aliquo rerum sacrarum, sacramentalium, vel Sacramentorum abusu maleficia rarissimè exerceantur, teste Delrio lib. 5. disquis. magic. sect. 16. concl.1. probat.3.

5 Eamdem à reservatione immunitatem extendes ad illum, qui abutitur quidem rebus sacris, &c. sed extra usum maleficii: Quia, ad incidendum in casum, utrumque copulativè requiritur, usus scilicèt maleficiorum, & abusus rerum sacrarum, &c. patet ex litera. Non effugit tamen iste gravissimum sacrilegii peccatum.

6 Idem resolves de illo, qui tantùm prrmittit, consentit, vel alteri consulit, ut maleficiis cum abusu, &c. se immisceat: Quia consentientes, consulentes, &c. non comprehenduntur, nisi exprimantur. Alia ratio est de mandante, & simul cooperante, vel maleficia per alterius manum, tanquam per instrumentum, seu cooperationem exercente; ut resolutum fuit supra cas.10. pro incidentibus.

7 Extra telum reservationis existit, qui alterum instituit de modo, & ratione vtendi maleficiis, secluso maleficiorum usu: Quia aliud est docere, aliud practicè maleficiis se immiscere. Verumtamen, & iste graviter delinquit, & denunciandus est Orthodoxę fidei Censoribus. Sylvest. V. correctio quęst.10. Lupus de cas. reser. par.2. cas.12. §. illatione 12.

8 Eximitur à reservatione, sed non à mortali culpa, qui à Malefico maleficiis uti didicit, sed iis minimè usus fuit. Quia in casu reservatur maleficiorum usus, non maleficiis vtendi cognitio. Vtrùm is incurrat excommunicationem latam à Gregorio XIII. vide infra de incantationibus.

9 Eadem exemptio à reservatione extenditur ad illum, qui Maleficum vel prece, vel pretio, vel minis, aut verberibus inducit ad maleficium ab eo positum dissolvendum. Quia reservantis juris dispositio non afficit ad maleficium inducentes, sed maleficiis utentes, aut iis practicè cooperantes patet ex annot.6. num.16.

10 Denium nec illum incidere resolves, qui signum fęderis inter Dœmonem, & maleficum, v.g. nodos, ligaturas, involucra plumarum, volumina capillorum, &c. tollit, eo fine, ut Dœmon, iis sublatis desinat nocere. Quia in huiusmodi maleficii dissolutione non intervenit actio diabolica, sed humana. Constat ex annot.6. num.14. & 17.

Quæ inquirenda sint à Confessario, in audienda Malefici, vel Maleficæ confessione.

10 Confessarius, qui aliquem ex confessione maleficiis addictum esse cognoverit, hæc potissimùm ex eo inquirere curabit.

Primò, qua occasione maleficiis se immiscuerit. Secundò, quo tempore ejusmodi nefariissimæ arti se addixerit. Tertiò, quo fine Dęmoni se devovere motus fuerit. Quartò, an apostasię hæresis, vel idolatriæ flagitia commiserit. Solent enim malefici, ac maleficæ sæpenumero abnegare Christum Dominum, renunciare baptismo, ac fidei, credere Sacramentis nullam virtutem inesse, Diabolum non esse miserum, & damnatum, ipsumque adorare pro Deo. Quintò, an ad conficienda maleficia abusus sit rebus sacris, ut aqua benedicta, Oleo sacro, cera benedicta, Sancta Eucharistia, &c. Quia tunc prętcr maleficii delictum, gravissimi sacrilegii debet damnari. Et quia hisce quinque flagitiis alia tria regulariter solent esse adnexa. Primò damnum proximo in personam, vel rem familiarem illatum, ratione cujus Maleficus restituendi onere gravetur. Secundò, verba blasphæma in Deum, vel Sanctos prolata. Tertiò, carnalis cum Dęmone commixtio. Idcircò de his etiam Maleficus à Confessario interrogandus erit. Sanchez lib. 2. moral. cap. 40. Lessius lib. 2. cap. 44. num. 27.

Quamvis autem difficile sit Maleficos, ac Maleficas è potestate Diaboli eripere, non tamen est impossibile. Propterea Confessarius curabit. Primò, ut pactum, si quod habet cum Dæmone Maleficus dissolvat perfringendo, vel comburendo, chirographum, si penes se habet; si verò Dœmon solus illud habeat non necessariò cogendus est, ut reddat. Quia pactum quodcumque cum Dœmone initum sufficienter dissolvitur per pœnitentiam: sicuti docent Suarez tomo primo de relig. libro 2. capite 17. Medulla Theologiæ moralis libro 3. tractatu 1. de primo præcepto decalogi dubio 5. quæsit. 2. respons. 2.

Secundò, ut abjurato Dœmone, fidem, ac spem in Deum ponat, qui peccatores omnes ad pęnitentiam invitat, & reverti volentes recipit; ostendendo falsam esse persuasionem, quam sagę habent plereque scilicet propter initum pactum à Dęmone liberari non posse.

Tertiò, ut libros, schedulas, ligaturas, aliaque artis instrumenta comburat.

Quartò, ut litanias Sanctorum, aliasque preces frequenter, deuotèque recitet.

Quintò, ut Crucis signo, sacris imaginibus, reliquiis Sanctorum, aqua benedicta, & similibus utatur.

Sextò, ut Sacramentum Confessionis frequentet apud eumdem Confessarium.

Septimò, ut Orthodoxę fidei professionem repetat, Apostolorumque symbolum sæpiùs recitet. Vide Suarez loco citato. Sanchez libro secundo moralium, cap. 40. Layman lib. 4. tract. 10. capite 4. num. 9. Lessium lib. 2. cap. 44. dubio sexto, num. 45.

IN TERTIAM OCTAVI CASUS PARTEM,

In Edicto Reservationis sub hac littera Expressam.

Incantationes, &c. ubi est abusus rerum Sacrarum, Sacramentalium, vel Sacramentorum.

ANNOTATIONES.

1 *Quid sit incantatio.*
2 *Incantationis terminus quomodo sumendus in casu.*
3 *Incantationis nomine potissimùm venit vana observantia.*
4 *Quid sit vana observantia.*

5 *Vanæ*

5 *Vanæ observantiæ superstitio duplex; alia cum expressa, alia cum tacita Dæmonis invocatione.*
6 *Vanæ observantiæ tres sunt species; ars notoria observantia sanitatum, & observantia eventuum.*
7 *Ars notoria quid sit.*
8 *Quid sit observantia sanitatum.*
9 *Effectus in dubio potiùs præsumendus est naturalis, quàm superstitiosus.*
10 *Quid observantia eventuum.*
11 *Aliqui addunt quartam speciem, observantiam scilicet reliquiarum.*
13 *Rudes homines, quoties superstitiosæ observantiæ culpam mortalem redolent, si moniti nolint ab iis desistere, non sunt absolvendi.*
14 *Vana observantia quando reservationi sit obnoxia.*
15 *An magia ad vanæ observantiæ speciem sit referenda.*
16 *Magia duplex; naturalis, & diabolica: quid utraque sit.*
17 *An Magia possit esse peccatum veniale ex parvitate materiæ.*
18 *Sub dispositione juris reservantis comprehenditur tantùm magia diabolica, quæ sit peccatum mortale.*
19 *Quot modis possit cognoscit, an aliqua operatio ad magiam pertineat.*
20 *Quid efficere possint Magi ope, & auxilio Dæmonis.*
21 *Incantationibus utentes, si pertinaci errore laborent etiam in fide, habendi sunt hæretici, & excommunicatione Bullæ Cœnæ innodati: Ideòque ab Episcopo non possunt absolvi.*
22 *Delicta incantationem seclusa hæresi, in sacramentali foro Pœnitentiæ spectant ad Episcopum: & illamet sunt, quæ ipsi reservantur in casu.*

ANNOTATIO I.

1 INcantatio significat practicam illam rationem, sive modum, quò incantatores in exercenda incantandi arte, utuntur. Cajet. V. *incantatio.* Chapeavill. cas. 8. q. 1.

2 Cęterùm in edicto Episcopali per *incantationes* intelliguntur ea verba, vel Dœmonis arte adinventa, vel ad ejus placitum instituta, quibus utuntur Magi, aliisque vanis observantiis addicti in superstitioso illius artis exercitio; sive illud tendat ad conciliandum amorem, sive odium, sive introducendam sanitatem, vel morbum, sive circa rem seriam versetur, sive ludicram, sive ad Dęmonem invocandum, cogendum, aut aliud quidpiam faciendum, ope Dęmonis expresse, vel tacitè invocata. Quinimò sortilegia ipsa, & maleficia, sicut etiam idololatria, seu Dęmonis adoratio, quę exercentur cum certa verborum forma, à Dœmone expresse, vel tacitè pręscripta, sub hoc termino, *incantationes*, comprehendi; & ipsa ratio convincit, & docent Cajetan. V. *incantatio.* Finellius de casibus reser. cas. 2. n. 1. de Incantator. Fagund. pręcept. 2. lib. 8. cap. 4. n. 10.

ANNOTATIO II.

3 Verùm quamvis sub hoc termino *incantationes*, veniant omnes illę superstitionum species, quę non exercentur sine quibusdam verbis à Dœmone inventis vel institutis; tamen sub reservationis litera potissimum comprehenditur quarta superstitionis species, vana observantia nuncupata: sicuti docet S. Thom. 2. 2. q. 96. art. 1. Sanch. lib. 2. mor. cap. 40. n. 41. & seq. Less. lib. 2. c. 43. dub. 10. n. 62. Filliuc. tract. 24. c. 6. q. 8.

4 Superstitio autem vanę observantiæ in eo consistit, quòd quis mediis inutilibus, nec à Deo institutis, nec à natura ullam vim habentibus, procuret obtinere aliquem effectum, V. g. sanitatem, scientiam, conjugium, &c. Unde in hoc à superstitiosa divinatione differt, quòd divinatio referatur tota ad rerum occultarum cognitionem; vana verò observantia ad aliquem effectum obtinendum, vel vitandum. Lessius loc. cit.

5 Hæc autem vanæ observationis superstitio dividitur, sicut divinatio in eam quę fit cum expressa, & in eam quę fit cum tacita Dœmonis invocatione; utraque ex suo genere mortalis malitię damnanda: cùm honorem, qui soli Deo debetur, Dœmoni tribuat, expectando ab eo eventus, qui à Divina providentia sunt expectandi. Sanch. & Lessius ll. cc. Bonac.

sum. Huc spectant omnia periammata, amuleta, brevia, involucra, verba sacra, orationes descriptę, quę gestantur à quibusdam, ne possint lędi, ne effluat sanguis, aut certum genus mortis effugiant, si contineant signa inutilia, vana, & superstitiosa tanquam necessaria. Ita Suarez lib. 2. de relig. c. 15. n. 11. de superst. Delrius lib. 3. p. 2. q. 4. sect. 7. Sanchez lib. 2. mor. cap. 40. n. 20. Secùs si quis gestaret verba sacra, vel orationes ad Dei tantùm honorem, aut reliquias Sanctorum, sperans fore, ut eorum intercessione à malis liberetur, omissis inutilibus vanisque signis. Delrius, & Sanchez ll. cc. Lessius lib. 2. cap. 43. dub. 10. n. 63.

Huc etiam pertinent nolle die Veneris pręscindere ungues, circa templum alicujus certi Sancti ter jumentum circumducere, die certi Sancti equis venam secare, nocte S. Ioannis Baptistæ quasdam herbas colligere, & alia id genus permulta: quę omnia vel planè superstitiosa sunt, vel superstitionem sapiunt, teste Sanchez libro secundo mor. cap. 40. num. 31. Navar. in man. cap. 11. num. 3. Finellius de cas. reser. cas. 2. n. 3. de incantatoribus.

Aliud tamen esset, si hæc fierent, ut major devotio excitaretur, & effectus Sanctorum meritis adscriberetur. Layman lib. 4. tract. 10. cap. 4. Qui notat, si homines rudes bona fide, & ex devotione ritum aliquem ab Ecclesia non receptum observent, aliquando in sua simplicitate reliquendos: cùm difficulter abducantur ab eo, quod bona fide à suis majoribus acceperunt.

13 Hęc tamen doctrina limitari debet, nisi talis superstitio mortalem culpã redoleat. Nam eo casu rudes homines de superstitione mortali debent admoneri si speretur fore, ut ab ea desistant. Postquam verò à Parocho, vel aliis moniti fuerint si crediderint, vel dubitaverint Dœmonem in hujusmodi concurrere ad talem causandum effectum, & nihilominus ab iis non abstinuerint, nullo modo erunt absolvendi sine licentia Episcopi: Siquidem inter expresè invocantes Dœmonem opere, & facto sunt adnumerandi, ut dictum est superiùs de sortilegiis annotatione 4. num. 14.

Quod si admonitionibus factis non paruerint, eò quòd Dœmonem invocari non credant: Ideòque iisdem vanis, ac superstitiosis observantiis, vel alicujus lucri aviditate, vel respectu alio incumbant, adhuc non erunt absolvendi, nisi certò statuant in posterum desistere, quantumvis idiotæ, & simplices sint homines hujusmodi. Vide Less. lib. 2. c. 43. dub. 10. n. 64. Navar. in man. c. 11. n. 31. Finell. de cas. res. cas. 2. n. 5. de incantatoribus.

14 Hinc infertur hominem vanis observantiis addictum per accidens tantùm ã peccato mortali posse excusari, ob ignorantiam non crassam, vel etiam bonam fidem, quia credunt se dare operam rei licitæ. Nam vana observantia ex genere suo superstitionem mortalem involuit: Tùm quia tribuit divinum honorem creaturę expectando ab ea, quod à solo Deo expectari debet: Tùm quia nititur pacto cum Dœmone. Hinc vanam observantiam ex parvitate materiæ venialem fieri non posse, docent Delrius lib. 4. cap. 2. q. 4. Reginal. lib 17. n. 170. Quia regulariter, & in omni materia usurpatur cognitio, vel virtus Dei propria. Propterea si harum superstitionum usus seriò, & scienter rerum sacrarum adjunctum habeat abusum, Episcopali reservationi proculdubiò erit obnoxius. Vide Lessium lib. 2. cap. 33. dub. 8. num. 53. & dub. 10. n. 66. Sanchez lib. 2. moral. cap. 40. num. 11.

ANNOTATIO IV.

15 Utrum verò magia ad hanc vanarum observationum speciem referatur, vel potius tanquam aliquid deterius diversam superstitionis speciem constituat res est in disceptatione. Posteriori parti adhęret Bassęus in florib. V. *superstitio*, n. 3. Sed priorem tanquam probabiliorem sustinet Lessius lib. 2. c. 44. dub. 1.

16 Unde notandum, duplicem esse magiam, naturalem, & superstitiosam, quæ à quibusdam diabolica nominatur. Magia naturalis est potestas operandi mi-

mira per causas naturales, seclusa omni Dœmonis ope. Magia verò superstitiosa, sive diabolica est potestas faciendi, quæ sunt supra naturam per signa, concurrente ope Dœmonis. Lessius citato cap. 44. dubio primo. Bonacina tomo 2. disp. 3. q. 5. punct. 5. n.4. Layman lib.4. tract. 10. cap.5.n.1.

17 Magia naturalis per se non est mala, quamvis sit periculosa: Quia sæpè numerò sub specie occultæ operationis naturalis Diabolus facilè se admiscet. Magia verò diabolica ex genere suo peccatum est mortale: Quia continet expressam, vel tacitam Dœmonis invocationem, ac proindè studiosum cum eo consortium. Aliquando tamen magicis actibus se immiscens excusari potest à mortali ratione ignorantiæ, cùm Dœmonis invocatio sæpè sit valdè occulta. Ratione autem levitatis materię nunquam est veniale. Nam quòd in re parva, vel ludrica Dœmon invocetur, per se levius peccatum non est, quàm si fieret in re gravi, & seria. Ita Less.loc.cit.dub.4. n.26. Sanch. lib.2. mor. cap. 38. n.18. Tolet. lib.4. cap.14. n.12. Dian. par.5.tract.5. resol.29. Contra Valent. 2.2. disp.6. q.13. punct.13.

Addo ex Delrio lib.1. disq. mag. cap.2. Cùm Magi semper cultum aliquem Dœmoni, ut Deo, & benefactori munifico exhibeant: Idcircò magiam implicitè continere idolatriam, ac proinde gravissimę culpę esse damnandam.

18 Sub littera igitur reservationis, nomine Incantationis proculdubiò comprehenduntur opera magię, non naturalis, sed superstitiosę: quę adjunctum habeant rerum sacrarum abusum. Constat enim ex supradictis, quoties superstitionis cognitę intercedit usus cum rerum sacrarum abusu, toties reservationem incurri.

ANNOTATIO V.

19 Tribus autem modis cognosci potest, an aliqua operatio ad magiam superstitiosam pertineat. Primò ex conditione causarum, puta si expresse invocetur Dęmon, si nomina adhibeantur ignota, characteres, imagines, sigilla, si verba falsa, & apocrypha, v.g. Christum habuisse febres, vel spasimum, &c. quę nec naturalem vim habent efficiendi talem effectum, nec à Deo, aut ab Ecclesia, quę spiritu Dei regitur sunt instituta: imò ab ipsa Ecclesia reprobentur. Secundò, ex conditione actionis, ut cùm repentè sanatur Equus, vel homo. Siquidem naturali virtute introduci sanitas ea non potest, nisi cum tempore: Ideòque si statim introducatur, id fit per Dœmonem, qui naturalium rerum peritissimus invisibiliter applicat efficacissima remedia, etiam de longinquis partibus aliorum Dœmonum ministerio brevissimo tempore exportata, vel expellit humores adjacentes, unde talis causatur infirmitas. Tertiò, ex conditione effectus, si humanam virtutem, & industriam superet. Quæ autem à Magis possunt fieri ope Dœmonum, possunt reduci ad tria genera. Vel enim fiunt circa elementa; vel circa alia corpora præsertim hominum, vel animalium; vel circa animas, & spiritus. Vide Finellium casu 2.n.4. de incantatoribus, & Lessium citato capit. 44. dubio tertio, numero 13. & 14.

ANNOTATIO VI.

20 Sed curiosè petes, quid efficere possint Magi per Dœmonis auxilium?

Resp. Quęcumque Dœmon revera potest efficere, ea omnia per Dœmonem ex pacto possunt Magi. Quia Magi opera vi pacti à Dœmone perficiuntur. Delrius lib.2. q.6. in fine, & q.7. in principio. Unde possunt Deo permittente, & Dęmone adjuvante, multa, & varia circa orbes cęlestes, sydera, & elementa præstare.

In specie autem. Primò, possunt ignem ex suo elemento demittere, & applicare ad comburendum domos, & templa.

Secundò, possunt excitare tempestates, grandines, tonitrua, fulmina ventos, iisq; lædere, ac evertere arbores, segetes, animalia, ædificia, &c. Non enim difficile

est

est Dœmonibus nubes alibi collectas, & ventos spirantes huc, vel illuc, quò Deus permiserit, impellere ibique sistere, stipare, collidere. Similiter excitare motum terræ, agitando exhalationes terrę visceribus inclusas

Tertiò, possunt quęlibet corpora citissimo motu ex uno in alium transferre locum, eademque transformare, non quidem intrinsecè immutando, sed alia apparenter circumponendo. Item res præsentes subitò è conspectu nostro subtrahere, absentes verò facere.

Quartò, possunt in humano corpore efficere varios morbos, & cruciatus. Cùm enim Dœmon sit substantia spiritualis, quæ instrumentis corporeis non impeditur, ex sua insita vi in corpora insinuare se potest eorum conturbando humores, vel sanguinem inflammando, aut etiam per ignoti veneni instillationem. Quæ ægritudines nulla arte medica valeant curari. Similiter curare possunt morbos omnes, qui naturaliter sunt sanabiles, applicando naturales herbas, & medicinas, quarum vim Dœmones optimè perspectam habent. Item impedire sanguinis fluxum, imò omnes læsiones, quę gladio, igne, aliisque instrumentis irrogari possunt, si Deus permittat: facilè enim est ipsis ictum juxta corpus hominis excipere, impetumque frangere.

Quintò, possunt Magi eruere thesauros occultos, opesque maris abditas.

Sextò; possunt aliquando se efficere invisibiles, vel repentè se alio transferendo, vel corpus aliquod instar veli interjiciendo; vel facultatem visivam impediendo.

Septimò, integrum est Magis Dœmonem mittere in hominem, si Deus permittat, ut ab eo obsideatur, & vexetur.

Octavò, possunt Magi ope Dęmonum ea omnia, quæ ex corporis dispositione, & imaginatione pendent, V. gr. inferre amentiam, incitare ad amorem, odium, libidinem, &c.

Nonò, tandem Magi possunt efficere, ut spiritus tenebrarum corpora defunctorum non per informationem, sed per accidentalem unionem assumant, vel ea sibi ex aere, aliisque elementis, ad carnis similitudinem palpabilia, efforment, in iisque appareant, ambulent, comedant loquantur. Eorum tamen locutio, comestio, ambulatio diversæ sunt rationis è nostra locutione, ambulatione, & comestione. Nam nos vitaliter hęc facimus, non ita Dœmones. Ita S. Thom. 2.2. q.114. art.3. ad 2. Valent. 2. 2. disp. 6. q. 12. punct. 2. Delrius lib. 2. q.8. Becan. tract. 3. q. 16. num. 3. & 4. Lessius lib. 2. cap.44. dub.3. n.23. Carena de offic. sanct. Inquis. par.2. tit.12. §.2. Fran. Leo in thesa. fori Eccles. parte 3. cap.36. num.12. & seq.

Non possunt tamen Magi ope Dœmonis facere vera miracula, suscitare mortuos, vel animas à corpore separatas ab inferis excitare, vivisque repręsentare: Quia hæc soli reservantur infinitæ Dei potentię. Delrius loc. cit. q.6. 7. & 26. Carena cit. n. 16.

Neque obstat factum Pytonissæ, quę jussu Saulis videtur excitasse Samuelem, ipsumque Sauli apparuisse, atque interitum eidem Regi prædixisse, sicuti constat ex 1. Reg. c.28.

Respondeo enim Samuelem, non virtute magica, sed divina excitatum in pęnam iniqui Regis prodiisse. Cujus rei signum fuit, tùm quòd adventus Prophetæ magicam incantationem pręvenerit: Tùm quòd Samuel rectus capite sursum elato, è terra emerserit contra morem magicarum umbrarum, quę pedibus sursum versis, & capite deorsùm prodire dicuntur. Vide S. Tho. 2.2. q.95. art.4. ad 2. Lessium cit. c.44. dub. 3. n. 23. Carenam cit. n.16. in fine.

ANNOTATIO VII.

21 Utrum verò qui incantationibus nefariè utuntur cum abusu rerum sacrarum, &c. pręter reservationem excommunicatione etiam ipso facto lata innodati existant: Hæc difficultas resoluta fuit in priori hujus 8. casus parte annot. 7. n.27. ubi diximus, si nefariis hujusmodi superstitionibus utentes laborent etiã pertinaci errore contra veritatem Catholicę fidei, eos verè hęreticos esse ex-

V 4 com-

obstetrices, quæ circa mulieres laborantes in partu, vel ex matrice vanam, & superstitiosam adhibent observantiam cum abusu, ut in terminis casus: quod maximè procedit, si à Confessario monitæ fuerint: Nam deinceps ignorantia, vel simplicitas eas non excusat. Bonac. Filliuc. Mazuch. ll.cc.

9 Incidunt mulierculæ illæ, quæ ad dolorem laterum, vel dentium depellendum, adhibent rem naturalem cum tot numero Crucibus, vel orationibus, itaut si plures, vel pauciores adhibeantur, dolor non tollatur: Quia tunc signum est, effectum non pendere à causa naturali, sed à Dæmone per exhibitionem signi ab eo instituti. Navar. in man.ca.11. n.36. Delrius lib.3. quæst.3. sect.1. Mazuchell. disp.2. cap.10. quæst.5. diff.2. num.82.

10 Idem resolves de Chirurgis, qui curant vulnera, applicando remedia gladio, vel pannis lineis sanguine vulneratorum infectis: dummodo simul concurrat rerum sacrarum, &c. abusus. Quia cùm talis effectus non possit ullo modo dependere à causa naturali, quæ non operatur in tanta distantia, ut ex vera philosophia notum est, & docet Delrius qu.4. sect.1. Lupus casu 12. §.7. annotat.5. omninò sequitur illum ex pacto cum Dæmone saltem tacitè inito provenire. Vide suprà annot 2. num.6.

11 Hinc inferre licet, quòd utentes hac superstitiosa medendi arte denuntiandi sunt Sancti Officii Inquisitoribus: Quia ita præcipit Edictum Sanctæ Inquisitionis, cui tam in dubio punitionis, quàm emendationis parendum est, cùm possessio stet pro præcepto. Priùs tamen præmittenda videtur correctio fraterna, juxta præceptum Christi; modò subsit spes, quòd sit profutura. Bonac. disp.3. *circa primum decalogi præceptum* quæst.5. punct.4. num.19.

12 Quod attinet ad tertiam superstitionis speciem, futurorum scilicet eventuum, sub incantationis termino comprehensam, ligantur reservatione, qui colligunt herbas observatis quibusdam diebus, horis, vel aliis circumstantiis superstitiosis; dummodo pertinaciter adhæreant hujusmodi superstitionibus, interveniente simul rerum sacrarum abusu. Mazuch. disp.2.cap.10. quęst.7. diff.3. num.123.

13 Idem statuitur de illis, qui festo v.gr. S. Ioannis, recitatis quibusdam orationibus, vana quædam observant, vel festo S. Mathiæ hederæ folia aquis imponunt, ut sciant, cui nubere debeant; modò id scienter, seriò, & mala fide observent, pertinaciterque eventuro effectui fidem habeant. Quia hæc mortalis est superstitio cum abusu, &c. sub termino incantationis comprehensa. Vide Delrium lib. 3. disquisit. magicar. par.2. quæst.4. sect.7. Lessium lib.2. ca.44. dub.3. Filliuc. tr.24. cap.6. n.150. Medullam theol. mor. lib.3. dub.4. resol.9.

14 Quod verò spectat ad quartam superstitionis speciem, observantiam videlicet Reliquiarum, incidunt, qui pertinaciter Reliquias, periammata, amuleta, brevia, involucra, verba sacra, aliasquè orationes, ignotis characteribus, figuris, imaginibus, aut tot crucibus conscriptas gestant, si certam fidem iis habeant, vel infallibilem vim tribuant evadendi ab hoste, vitandi vulnera, declinandi subitam mortem, expellendi morbos, sistendi sanguinem, &c. Quia omnes istę superstitiones sunt mortales, & cum rerum sacrarum abusu, sub incantationis litera comprehensæ. Ita præter Doctores suprà cit. ll. cc. Graff. par.1. decis. aure. cap.5. n.6. Suarez lib.2. de relig. ca. 15. num.11. Sanchez lib.2. mor. cap.40. num.20.

15 Circa demum magię artem, quæ similiter sub incantationis termino comprehenditur, resoluitur Sacerdotem illum incidere, qui indutus paramentis nigri coloris, Missas defunctorum celebrat pro vivis, ut ii citiùs moriantur: Quia intercedit usus magiæ cum abusu Sanctæ Eucharistię. Chapeavilla de cas. reser. c. 21. quęst.2.

16 Eadem resolutio datur de illo, qui projicit imaginem alicujus Sancti in flumen, ut pluat, cum invocatione Dei, vel ejusdem Sancti, aut verborum sacrorum prolatione. Nam talis actus est magiæ superstitiosę damnandus, teste Layman lib.4. tract.10. cap.4. numer.7.

M e-

Medulla the.mor. l.3.dub 4.resol.6. Quod verùm est, nisi ex ignorantia, vel simplicitate excusetur. Navar. in man.cap.11. num.38.

17 Idem infertur de illo, qui ad curanda vulnera, ferrum, quo alter læsus est, in porcinum ungem infigit, aut certum genus arboris cædit: Item si, loco circumligandi vulneris, arboris ramum, aut scamni pedem perliget, & alia id genus complura: quod procedit, dummodò cum hujusce superstitiosæ magiæ usu, rerum sacrarum simul concurrat abusus. Laym. cit.cap.4. n.7.

18 Vtrùm verò incidant, qui Incantatores adeunt, eorumque opera utuntur. Negare videtur Lupus par.2. cas.12. §.5. illatione 12. Mazuch. disp.2. cap.10. q.8. num.132. Quorum sententia probabilis videtur attentis terminis usus, vel abusus, sub quibus apud istos Auctores reservatio est inducta. Verùm attento hocce termino *incantationes*, sub quo in hac Brixiensi Diœcesi reservatio lata fuit, resolvendum est eos incidere. Ita præter DD. citatos in prima hujus casus parte res.7. pro incidentibus; Cajet. Fagundez, Portel. quos citat, & sequitur novissimè Bassæus V. *casus reseru.* num.40. §.1. Uersic. *Per incantationes*. Finellius de cas. reser. casu 4.num.21.

19 Neque à reservatione excusatur in supradictis casibus, qui cùm sit certus, vel quasi certus, rem, quam adhibet, secundùm se inutilem, & superstitiosam esse, ea tamen seriò utitur; etiamsi protestetur se non intendere, vel nolle effectum consequi, si qua Diaboli virtus, vel pactum subsit. Quia talis protestatio, cùm sit contraria facto, non excusat protestantem. Ita Layman loco citato.

Excusaretur tamen, si vel abesset abusus rerum sacrarum, vel id ageret, non ad experiendam, sed convincendam diabolicam institutionem: ut docet Cajetan. V. *incantatio*.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro Non Incidentibus.

1 NON ligatur hac reservatione, qui adorat non Dœmonem, sed statuam falsi numinis, aut aliam à Dœmone creaturam: Quia non quælibet idolatria, sed ea, qua colitur Dœmon tanquam Numen, ut dirigat in operando, comprehenditur nomine incantationis. Cajetanus V. *incantatio*. Fagun. præcep.2. lib.8. cap.4. nu.10. Delinquit tamen iste peccato infidelitatis, & puniri potest in in Officio Sanctæ Inquisitionis.

2 Non est obnoxius reservationi, qui utitur simplicibus superstitionibus, absq; rerum sacrarum abusu: Quia licèt quælibet superstitio comprehendatur sub termino incantationis; non tamen quælibet reservatur, nisi cum abusu rerum sacrarum, &c. sit conjuncta: ut pluries dictum est.

3 Idem resolves de illo, qui ex ignorantia, vel simplicitate, quę à mortali culpa excusent, se immiscet incantationibus, vel vanarum observationum superstitionibus: Quia reservatio culpam mortalem supponit. Navar. in man.c.11.nu.36.

4 Non incidit, qui procuravit addiscere, vel didicit uti incantationibus, aliisque superstitiosis observationibus, si interea iis minimè usus fuit Quia non reservatur incantationis notitia, vel procuratio, sed operatio. Innodatur tamen iste, secundùm Doctores superiùs allegatos, annotat.8. num.22. excommunicationis censura, *cap. si quis Ariolos*, sed nemini est reservata, teste Toleto lib.4. cap.14. num.7.

5 Idem resolves de illo, qui alterum imbuit nefaria utendi incantationibus arte: Quia aliud est docere, aliud practicè, & formaliter incantationibus se immiscere. Graviter tamen, & iste delinquit. Unde, præmissa correctione (si subsit spes emendationis) nisi resipiscat, ad Sanctum Tribunal deferri debet. Sylvest. *V. correctio*, quæst.10. Sanch. lib.3. de matrim. disp.13. Lupus de cas.reser. par.2. cas.12. §.5. illat.13.

6 Re-

6 Reservatione non afficitur, qui utitur virtute rei naturalis, quæ per superstitionem cognita est, dummodò cognitio, vel usus illius rei à Dœmone non pendeat: Quia licèt hujusmodi cognitio malè parta sit, peccatum tamen transiit, virtusque naturalis ex eo nihil mali contraxit. Sanchez lib.2. mor. cap.38. Bonac. disp.3. *circa primum decalogi præceptum*, quæst.5. punct 4. Layman lib.4. tract.10. cap.4.nu.9. Januar. de cas.reser resol.28. num.2.

7 Idem statuitur de eo, qui certò credit quibusdam orationibus, Psalmis, crucibus, &c. inesse virtutem præservandi à malis, si interim iis Psalmis, vel orationibus superstitiosè non est usus: Quia jus reservans non invehit in talia vana opinantes, sed in operantes. Lupus de cas. reser. par.2.cas.12. §.1.n.10.

8 Excusatur à superstitionis culpa, & reservatione, qui verba sacræ scripturæ, Evangelium Sancti Ioannis, orationes, vel Reliquias gestat, sine superstitioso usu, aliisque vanis circumstantiis, sed ad Dei tantùm, Sanctorumque honorem. Lessius lib.2.cap.43.dub.10. nu.63 Sanch lib.2. mor. c.40. nu.20. Medulla the.mor. lib.3. tra.1.dub.4. *V. superstitiosum non est*, resolut.2.

9 Idem resolves de illis, qui sacra luce alicujus Sancti, v.g. Sancti Joannis Baptistæ colligunt herbas, vel circa templum certi Sancti ter jumentum circumducunt; si id agant, ob majorem devotionem in illum Sanctum; vel effectum ab ipsis intentum Sanctorum meritis ascribant: vel hujusmodi ritum à suis majoribus acceptum bona fide observent. Navarra in man. cap. 11. num.36. Layman lib.4. tract.10. cap.4. Lessius cit. cap 43 n. 64. & 65.

10 Non subjacet reservantis juris dispositioni, qui ex fortuito aliquo eventu coniicit, illum diem, vel rei exitum fore sibi prosperum, vel adversum: Quia hujus generis superstitiones regulariter venialem culpam non excedunt, præterquam si quis constanter illis adhæreat. Sanchez lib.2. moral. cap.40. Lessius cit. dub.10. n.65. Mazuch. disp.2. cap.10. q.5. diff.3. n.86.

11 Eadem resolutio datur de illo, qui certum Missarum numerum, vel eas certa hora, aut cum certo candelarum numero, vel ordine celebrat; si hæc, & similia in memoriam alicujus mysterij fiant: secùs, si credat, non prodesse in majore, vel minore numero. Sanchez, & Layman ll. cc.

12 Hinc obiter nota, non esse superstitiosum, sed laudabilem vsum celebrandi triginta Missas Sancti Gregorij; nisi vanæ circumstantiæ admisceantur. Ita præter DD. supra cit. Medul.the. mor. l.3. trac.1. dub.4. ref.2.n.4. Bonac. de sacr. disp.4.qu. ult.punct.7.n.6 Fraxinel de oblig. sacerd. sect.4. conc.6. §.5. n.1.& 2.

Qui rectè docent contra Gavan. comment. in Rub. Missalis tom.1. par.1. tit.5. *littera D.* posse Sacerdotem, eas celebrare cum interruptione, nec teneri dicere omnes de *Requiem*: propterea quòd obligationes Missarum intelligendæ sunt, salva honestate, & devotione Sacerdotis: honestas autem, & devotio Sacerdotis sæpenumerò suadet, ut aliquando Missę intermittantur. Qua de re extat hodie decretum Sacrę Congregationis, quod expressè, districtèque prohibet, ne in festis duplicibus dicãtur Missæ de *Requiem*, neque pro implenda defunctorum voluntate.

13 Non censetur reservationi obnoxius, qui operatur mirum aliquem effectum, de quo ęquale dubium subest, an proveniat à causa naturali, vel superstitiosa: Tùm quia dubium interpretandum est in mitiorem partem: Tùm quia casus dubius non censetur reservatus. Vide superius annot.3. num.9. & Doctores ibid. citatos.

14 Non ligantur reservatione, neque statim damnandę sunt superstitionis illæ personæ, vel familię, quę dant operam sanandis quibusdam morbis, v.g. morsibus à rabido cane: Quia nulla sufficiẽti ratione cõvincitur horum officium esse superstitiosum. Imò multi Doctores nominatim Nav. in man. cit. cap.11. n.36. Sanch. cit. c. 40. num.47. Delrius lib.4. c.3.q.4. putant, istos ad hoc habere gratiam gratis datam.

Diligenter tamen inspiciendum est, an id faciant remediis naturalibus, vel ex gratia gratis data, an verò ex pacto cum Dœ-

Dęmone. Ea propter Confessariis magna cautio adhibenda est in absolvendis iis, quos noverint, ad sanandos morbos uti remediis virtutem naturalem non habentibus. Neque satis habere debent, quòd ab Ecclesia tolerentur. Uide Doctores supra citatos, quibus adhęret Mazuchellus disp.2.c.10.q.5. difficult.1. n.4.

DE GRAUITATE

Hujus Delicti, & Obligatione Confessarii.

ATrocissimum profectò est hoc flagitium, atrociorumque scelerum radix, & origo, ita ut veriùs teterrimam Christi gregis hac tempestate grassantem ubique pestem, inscribere possimus: hominesque hac stygia colluvie infecti, non Sortilegi, non Malefici, non Incantatores, sed Diaboli satellites, naturę humanę carnifices, ac iterum Judę, Christi JESV proditores, debeant appellari. Quod flagitium quàm sit horrificum, horrificę patefaciunt pœnę triremis, ignis, cruciatus, ac mortis, quibus hęc Diaboli mancipia torqueri, multarique solent. Cuncta leviora tam gravi scelere supplicia.

Quod ad Pœnitentiarii munus attinet, in primis pœnitentem examinabit de variis superstitionibus, ac magicis artibus, quibus addictus est: An scilicèt bona, vel mala fide iis usus fuerit. Num damna proximo intulerit, ad quorum compensationem obligetur. An alios hac nefaria incantationum arte instruxerit, quos ab ipsamet avocare teneatur. An libros, brevia, imagines, sigilla, aliaque magica symbola apud se habeat, quę sint comburenda.

Alia prçterea superstitionibus, ac magicis artibus sępenumerò conjunguntur crimina, ut hęresis, blasphemia, sacrilegia. Abutuntur enim in suis incantationibus rebus sacris, & interdum Sanctissima Eucharistia; de quibus benè à Confessario excutienda est istorum conscientia.

Circa verò crimen hęresis, siquidem Pœnitentiarius eo infectum repererit, caveat sub pœna excommunicationis Papę reservatę, ne illum citra mortis articulum absolvat, cùm sit casus in Bulla Cœnæ contentus, cujus absolutio Summo Pontifici reservatur, ut superiùs dictum est: adeò ut neque Inquisitores contra hęreticam pravitatem valeant ab hęresi in foro interno absolvere, aut alteri facultatem delegare, sed tantùm in foro externo, & mediante foro externo, hoc est, in Sanctę Inquisitionis officio. Sicuti resolvit Carena in tractatu de officio Sanctę Inquisitionis, par.2.tit.1.§.26. nu. 196. Barbosa de potest. Episc.par.2. alleg. 40. num.26.

Potissimum verò in detegendis superstitiosis observationibus, Confessarii examinare debent opiliones, qui variis utuntur superstitionibus, gratia tuendi gregem à Lupis, alijsque incommodis. Item Rusticos, qui, ut sanitatem pecoribus restituant, superstitiosa adhibent remedia cum signo Crucis, vel recitata oratione dominica. Nec hoc vitio carent Fabri ferrarii, qui ad sanandos equos, non raro abutuntur verbis sacris ex Psalmis desumptis. Prçterea obstetrices, quę circa mulieres laborantes in partu, vel ex matrice utuntur orationibus cum superstitiosis circumstantiis. Prę cęteris verò addicti sunt superstitionibus Milites, qui brevia, amuleta, sacra nomina certis characteribus, variis Crucibus, ac signis conscripta gestare solent, ne in bello, vel duello lędi, nevè aqua, vel inopinata morte perire possint.

Prędicti igitur omnes de superstitiosis cujusmodi observationibus à Confessarijs debent admoneri, & omninò deterreri.



IN

IN NONUM Casum Reservatum.

In Edicto seu Tabella Episcopali sub his terminis Propositum.

Legatorum piorum solutio ab iis, qui potuerunt satisfacere, neglecta: Necnon negligentia eorum, qui suorum Auctorum tabulas testamentarias, transactis sex mensibus, aperiri non curaverint.

QVamvis hujus noni casus unicus sit periodi ambitus, non unicum tamen, sed duos inter se distinctos complectitur casus: quorum alter damnat, & reservat neglectam legatorum piorum solutionem: Alter culpabilem negligentiam eorum, qui nullam curam adhibent, ut clausę Testatorum tabulę intra sex mensium spatium aperiantur, in iisque relicta, & disposita innotescant: cum ad id ex justitia teneantur. Et quidem prioris casus reservatio iamdiu in Diœcesi Brixiensi viguit, & viget. Posterioris verò nuper in eamdem Diœcesim provide ac sapienter inducta est. Siquidem nefariis hujusmodi testamentorum suppressionibus constat tùm constitutos hęredes, tùm Ecclesias ac loca pia, ipsosque Testatores defunctos defraudari: atque ideò gravissimum scelus admitti.

Vtrumque igitur casum seu delictum seorsim de more, distinctisque annotationibus, ac resolventibus maioris claritatis, vel clarioris notitię gratia, expendere, ac exponere operę pretium censui. Et primò de neglecta legatorum piorum solutione agendum.

IN PRIOREM NONI CASUS PARTEM,

In Edicto reservationis sub hac litera expressam.

Legatorum piorum solutio ab iis, qui potuerunt satisfacere, neglecta.

ANNOTATIONES.

1 *Quid sit legatum, & quotuplex.*
2 *Quodnam censendum sit legatum pium.*
3 *Litera reservationis loquitur præcisè de legatum piorum neglectu.*
4 *Quęnam conditiones requirantur ad constituendum legatum pium.*
5 *Legata ad causas pias nullam requirunt juris solemnitatem.*
6 *Legata pia nunquam fiunt caduca.*
7 *Legatum in communi pauperibus relictum quibus sit dandum: & quinam propriè habendi sint pauperes.*
8 *Cui debeatur legatum Ecclesiæ in genere relictum, vel Altari alicuius Sancti, cùm ibi altare non reperiatur.*
9 *Summo Pontifici reservatur legatorum piorum commutatio.*
10 *Legata pia, an aliquando ad alium usum applicari possint etiam ab Episcopo.*
11 *An paupertas excuset ab incurrenda reservatione.*
12 *Paupertas duplex, victus, & status.*
13 *Paupertas victus videtur excusare hæredem à totali legati solutione, sed non à partiali.*
14 *An aliquando excuset etiam paupertas status.*
15 *Necessitas debitorum posthabenda est necessitati Animarum in Purgatorio existentium, quæ extrema censeri debet.*
16 *Debitor legati pii duplex, vel hæres, & debitor simul, vel debitor, seu executor, sed non hæres.*
17 *Reservantis juris dispositio videtur afficere tantùm hæredes negligentes.*

18 *Ter-*

18 *Terminus ad solvenda legata pia concessus quando censeatur incipere.*

19 *Ignorantia obligationis solvendi legatum pium an excuset à reservatione.*

20 *Si nullus solvendis legatis præfixus sit terminus, tenetur hæres quamprimùm ea solvere.*

21 *Terminus* Quamprimùm, *quantum temporis spatium importet.*

22 *Hæres in Brixiensi Diœcesi si intra sex menses legata pia solvat, videtur immunis à reservatione, & probabiliter etiam à mortali culpa.*

23 *Quæ pænæ in hæredes legata ad pias causas solvere negligentes, jure communi sint constitutæ.*

24 *Si hæres, transactis sex mensibus legatis piis satisfaciat, an, tali satisfactione facta, liber maneat à reservatione.*

25 *Quodnam damnum patiatur Defunctus ex dilatione, vel fraudatione legatæ eleemosynæ, vel suffragii.*

26 *Morituri malè sibi consulunt, quoties restitutionem hæredibus committunt.*

ANNOTATIO I.

1 Legatum est donatio quædam à defuncto relicta, & ab hærede post aditam hereditatem prestanda. Sed notandum, quòd legatum, sicuti etiam testamentum, est duplex: Alterum pium, seu ad pias causas: Alterum prophanum. Molina de just. tom.1. tract.2. disp.134.

2 Legatum pium, seu ad pias causas illud censetur, quod ob Dei, aut Sanctorum honorem, vel animę salutem, Ecclesię, Capellę, monasterio, Hospitali, Confraternitati, vel Monti pietatis, &c. aut in Religiosorum, Pupillorum, Viduarum, peregrinorum, aliarumque miserabilium personarum sustentationem, in puellarum conjugium, captivorum redemptionem, in restitutionem incertorum, maleque ablatorum, vel demum in satisfactionem pro peccatis, Animarumque Purgatorij suffragia, &c. relictum fuit. Ita Molina loc. cit. Sylves. V. legatum 4 quęst.1. & 2. Graff. in praxi lib.2. cap. 26. n.10. & cap.22.n. Layman l. 3. tract.4.cap.2.num.1.

3 Modò litera reservationis expressè & precisè loquitur de neglecta solutione legatorum piorum, non verò alterius generis, hoc est, ad prophanas causas: ut clarè constat ex ipsamet litera.

ANNOTATIO II.

4 Ceterùm advertendum est, quòd ad constituendum legatum pium non sufficit vel solius personę, vel solius causę pietas; sed opus est, ut tàm in legante, quàm legatario ratio pietatis concurrat. Sanchez lib.1. de matrim. disp 4. num.9. Graff. in praxi lib.2. capit.26. numer 30.

5 Est autem proprium legati pii, sicuti, & testamenti, ut nullam ad sui valorem requirat juris civilis solemnitatem: sed solo naturali; Divino, ac gentium jure subsistat: sicuti docent communiter Doctores nominatim Abbas in cap. relatum. 1. de testam. num.6. Covarru. eodem cap. num.2. Molina tom.1. tract.2. disp.134. Layman lib.3.& 9. Quia jura civilia causis ecclesiasticis, sive ad spiritualem salutem spectantibus nullum prejudicium afferre possunt, nisi à Summo Pontifice approbata, & recepta sint: juxta cap. *Ecclesia de constit.* Constat autem ex cit. capit. *relatum*, solemnitates legis civilis circa pias, & Ecclesiasticas causas ab Ecclesia non esse receptas, ut comuniter fatentur Doctores. Imo sola voce, & nutu legata pia valere in foro conscientię, docent Lessius lib.2. cap. 19. dub.2. Layman cit. cap. 2. num. 3.

A N-

ANNOTATIO III.

6 Quamvis autem, spectato jure civili legata incerta fiant caduca, sicuti constat ex *l. fuerit*, *& l. si quis*, *de reb. dub.* tamen id fallit in legatis ad pias causas, quę ob incertitudinem personę non corruunt: sicuti habetur in *Auth. de Ecclesiasticis*, *titulis* cap.6. & tradit Molina cit. tract.2. disput.157. Layman cit. tract. 4. cap.11. num.8.

7 Vnde legatum relictum pauperibus in communi, excutioni mandandum est in loco, vbi testator domicilium habet; nisi sit extraneus: Nam tum impleri debet in loco, ubi mortuus est, arbitrio Episcopi, pręterquam si hęredi relicta sit facultas eligendi; eo enim casu tenetur distribuere pauperibus, qui verè pauperes sunt, scilicet qui victum incertum habent ex eleemosinis fidelium. Molina cit. disp.157. & Layman loc. cit. num.8.

8 Idem dicendum de legato relicto Ecclesię sine expressione loci, illud enim debetur Ecclesię Parochiali illius loci, in quo testator habitabat. Quemadmodum etiam legatum relictum alicui Sancto alicujus loci, si in eo loco non existat Oratorium, aut Altare talis Sancti, non propterea corruit legatum, sed solvendum erit Ecclesię Parochiali, in qua testator domicilium habet. Prętercea si legata pia ad eum usum, quem testator voluit, nequeant applicari, non ideò fiunt caduca: Quia intentio legantis pręsumitur fuisse in Animæ salutem, & honorem Dei relinquere: quare ad aliam piam causam applicari debent; ita tamen, ut quatenus fieri potest defuncti voluntas impleatur. Habetur in cap. *nos quidem de testam* & notat ibi, Covarr. num.1. & Abbas num.4. & 6. vbi docet, si cuipiam pauperi, vel religioso aliquid relictum fuerit, non in favorem ejus personæ, sed in salutem Animæ (quod in dubio præsumitur) si illi dari non possit, in alium pium usum convertendum esse.

9 Cujus autem auctoritate id fieri debeat, constat ex cap. *contingit de religiosis domibus*: & ex Triden. sess. 22. cap.6. de reform. Vbi ejusmodi ultimarum voluntatum commutationes Summo Pontifici videntur reservari, concurrente justa, & necessaria causa. Molina cit. tract.2. disp.149. col.3. Layman lib.3. tract.6. cap. 11. num..11.

10 Nihilominus ab Episcopo etiam legata pia in alium usum commutari posse, docent gravissimi Doctores, consentiente tamen hærede, & ex justa causa, vel de novo incidente, vel à Testatore ignorata, quam si testator prævidisset, aliter disposuisset; & nunc quoque si viveret contentus esset, hujusmodi dispositiones in alium usum converti; quod secundùm Epikeiam ad Episcopum, & hæredem spectat interpretari. Molina loc.cit. Sylvest. V. *legatum* 4. nu. 11. Covarru. cap. tua de testam. num.7. & 9. Emmanuel Sà. V. testam. num. 33. Naldus. V. testam. num. 12. Bonac.disp. 3. de contract. quæst. ultim. punct. ultim. num.33. Layman lib.3. tract.5. capit. 11. num.11. Versic. *Excipiendum*. Qui rectè notat, Episcopum tali casu propriè non dispensare (Nam id Summo Pontifici tantùm reservatur) sed benignè interpretari, non esse contra voluntatem Defuncti rem legatam ad alium usum commutare.

ANNOTATIO IV.

11 Cœterùm observandum est, quòd sicut in aliis obligationibus debitorem non solventem excusat paupertas, ac necessitas; sic etiam in legatis ad pias causas usu venire potest; ita ut debitor interim excusetur à culpa, & consequenter etiam à reservatione. Ita Lessius lib.2. cap.16. dub.1. n.19.

12 Verùm plurimùm scire interest, quòd duplex datur paupertas; nempe victus, & status. Si enim hæres habeat tantùm necessaria ad suam, suorumque vitam sustentandam, dicitur laborare paupertate victus: (nomine autem victus veniunt nedum cibaria, sed etiam vestitus, & habitatio) si verò habeat superflua

flua ad victum, sed necessaria ad statum justè acquisitum, dicitur detineri paupertate status. Zeccus de cas. reser. cas. 6. n. 9. Lupus cas. 3. § 1. n. 6.

13 Prior itaque necessitas, scilicèt victus, sicut eximit debitorem non solventem à mortali culpa sic etiam à reservatione, quæ præsupponit lethalem noxam: quod verum est, nisi creditor in pari necessitate existat: sicuti docet Lessius lib. 2. cap. 10. dub. 1. num. 19. Petrus Navar. lib. 3. cap. 1. & constat in simili de causis à restitutione excusantibus. Veruntamen licèt gravis necessitas non rarò excuset hæredem à totali solutione legati, non tamen à partiali, si eam facere possit, materiaque legati sit dividua.

14 Non ita verò posterior necessitas, nimirùm status, nisi esset tam gravis, ut prudentis Confessarii judicio, debitor pro tunc non possint dici culpabiliter negligere, (quod videtur requirere jus reservant) sed rationabiliter legatorum piorum solutionem in commodius tempus differre. Ita Nauar. in man. cap. 17. num. 5. Lessius cit. cap 16. dub. 1. num. 19. Layman. lib. 3. tract. 2. c. 12. num. 3. Qui notant majorem, vel minorem paupertatem non desumi ex majoribus, vel minoribus divitiis, sed ex majore, vel minore indigentia, juxta cujusque statum, ac conditionem.

15 Verùm, ut suprà monui, probè considerandum est, ne creditor æquali, vel ferè æquali prematur necessitate. Cùmque ut plurimùm necessitas Hospitalium, pauperum, vel Animarum in Purgatorio eodem igne, quo damnati, cremantium, ut S. Augustinus ait, sit extrema (etsi aliqui id negent de Animabus Purgatorii, eò quòd habeant alia Ecclesiæ suffragia.) Idcircò pœnitens, qui dilationem legatorum piorum in gravem victus, vel status necessitatem reiiciunt, reiiciendi, & ipsi sunt à Confessario; nisi constet eos in extrema indigentia versari. In dubio autem ad Superiorem recurrendum est, ut aliquod ad solvendum legatum concedat temporis spatium, sicuti consulit Navar. & Sylvest. apud Lupum de cas. reser. casu 3. §. 6. annot. 2.

ANNOTATIO V.

16 Prætereà notandum est, quòd debitores legata pia solvere negligentes possunt esse duplicis generis, videlicet, vel defuncti hæredes, qui iam hæreditatem adiverint, vel aliæ personæ, quæ non intuitu hæreditatis, sed ratione suscepti muneris ad legatorum piorum solutionem teneantur; uti sunt Tutores, Curatores Pupillorum, Minorum, Administratores locorum piorum, Deputati Hospitalium, Rectores Collegiorum, &c. vel etiam alter, qui ex aliquo contractu obligationem solvendi aliquod legatum loco hæredis susceperit.

17 Dispositio igitur juris reservantis censetur comprehendere tantùm hæredes, quos Testator ratione aditæ hereditatis onere persolvendi legata adstrinxit: Quia hi soli sunt veri, & proprij debitores. Tutores autem, Curatores, Administratores, alięque supra relatę personæ, sicut, & illi, qui aliqua pactione onus satisfaciendi legatis piis in se transtulere, quamvis ratione suscepti officii, vel obligationis mortaliter delinquere possint, si diù persolvere legata pia culpabiliter negligant; tamen non sunt veri, & proprii debitores, cùm non sint hęredes, & consequenter neque reservationi obnoxii Legatum enim dicitur à legante, habito respectu ad hęredem. Ita habetur in insti. de legat. §. *legatum*, & ff. de donat. lib. 1. & ff. de legatis 2. l. *legatum*: & constat ex definitione legati pii. Nam legatum definitur, quòd sit donatio quędam à Testatore relicta, ab hęrede post mortem Testatoris, & aditam hęreditatem pręstanda. Consentit Mazuch. disp. 2. ca. 20. quęst. 2. n. 26. & 27.

Dices. In casu nulla fit mentio hęredum, sed illorum qui solutionem legatorum piorum negligunt, cùm possint iis satisfacere. Ergo Tutor, Curator, Deputatus loci pii: Item Rector, & Prior Hospitalis, Collegii, &c. censendi sunt reservātis juris dispositioni obnoxii, quoties negligunt solvere legata pia, ad quæ ratione muneris suscepti tenentur loco Pupilli, Minoris, Hospitalis, Collegij, &c.

Resp.

Resp. Etsi in casu non fiat expressa mentio hæredum, eo ipso tamen, quòd casus dicit, *Solutio legatorum, &c.* satis indicat reservantis juris dispositionem restringi, & limitari ad hęredes, ad quos ex antea dictis constat referri legata, ab iisdemque tanquam veris debitoribus, esse pręstanda. Licèt igitur ratione suscepti muneris mortaliter delinquere possint, si legata ex culpabili negligentia non persolvant; in reservationem tamen non incidunt, ut supra notatum fuit.

ANNOTATIO VI.

18 Porrò cùm subvenire miserabilibus personis omni auxilio destitutis, quales sunt etiam defuncti, eorumque hæredes ad solvenda legata pia compellere ad Judicem Ecclesiasticum spectet: Idcircò Ordinarii ferè omnes, ut hæredes ad exequendas pias defunctorum voluntates acriùs adurgeant, Edicto statuere solent, ut qui solutionem ex legato pio debitam, longiùs præfixo ab ipsis termino distulerint, Episcopali reservationi sint obnoxii. Terminus autem ad solvenda legata pia varius constitui solet pro varietate locorum, & varia intentione Ordinariorum. Nam Mediolani, & Bergomi assignatur biennium. In hac verò Brixiensi Diœcesi nullus omninò statuitur terminus, ut constat ex litera reservationis. Utrum verò jure communi aliquis concedatur, infrà patebit.

19 Quando igitur assignatur tempus, intra quod solvenda sunt legata, illud inchoatur ab eo die, quo incipit soluendi legata vigere obligatio; quæ regulariter vigere solet à die aditæ hęreditatis, secundùm doctrinam Andr. Fachin. lib. 6. contr. c. 82. Secundùm verò sententiam Abb. cap. relatum 1. de testam. n. 6. Covar. in cap. *Raynaldus* §. 3. n. 23. Tiraq. privil. 33. quos citat, & sequitur Layman lib. 3. tract. 5. c 2. n. 9. incipit vigere à die habitę legatorum piorum notitię.

Si post mortem igitur Testatoris, hæres vel non possit hæreditatem adire, vel laboret inculpabili ignorantia legati, tempus, quod interim elabitur, non est computandum intra terminum. Si verò in jure reservante nullus assignetur terminus, ut fit hodie in Edicto reservationis Episcopatus Brixiensis, tunc obligatio solvendi legata ad pias causas censetur incipere à die habitæ legati notitiæ, vel perceptæ hęreditatis; nisi juris communis beneficio terminus prorogetur, de quo infra.

Quod si testator ipse aliquod hæredi præfixisset tempus, tunc sicut non incipit obligatio, nisi post effluxum terminum, ita nullam incurrit reservationem, nisi elapso eo termino.

20 Præsens igitur reservatio lata fuit, ne solutio legatorum differatur contra voluntatem, & in pręjudicium defunctorum. Cùm itaq; in Edicto, & casu nostro nulla, ad solvenda legata pia concedatur temporis mora, ut patet ex litera: Idcircò tenetur hæres piam Testatoris voluntatem quamprimùm implere, puta juxta juris communis dispositionem. Quòd si cessante legitimo impedimento, legata ad pias causas exequi negligat, mortalis culpæ reservationi obnoxæ damnari debet. Ita Lupus de cas. reser. part. 2. cas. 3. §. 5. numero 13. cui astipulatur Mazuchellus disp. 2. cap. 20. quęst. 1. numero 7. & 15.

ANNOTATIO III.

21 Sed hinc emergit dubium, quantum scilicèt temporis spatium ille terminus, *Quamprimùm*, importare possit, intra quod hæres, si legatis piis satisfaciat, nec culpę, nec reservationis pœnæ subjaceat.

Respondeo ex Mazuchello cit. cap. 20. in fine titulo de gravitate hujus peccati, Lupo cit. casu 3. num. 25. quòd licèt hæres non ligetur reservatione, nisi longiùs biennio legati pii solutionem differat, quando scilicèt in Edicto reservationis hęredibus ad solvendum legata pia conceditur biennii terminus, ut fit in Mediolanensi, & Bergomensi Edicto; delinquit tamen hęres mortaliter (ajunt Mazuch. & Lup. ll. cc.) si ultra sex menses solutionem protrahat. Unde sentire videntur hi Do-

ctores, hęredem secluso omni impedimẽto, & pręfixo ab Episcopo termino, à mortali immunem esse, modò intra sex menses ab habita legati scientia, vel à percepta hęreditate, legatis piis satisfaciat. Quę sententia mihi videtur vera, & fundari potest in *cap. nos quidem*, *& cap. si hæredes de testam. Auth. de Eccles. titulis*, §. *si autem legatum.* Ubi pœnæ, quę ibi decernuntur infligendę in hæredes, legata pia solvere negligentes, non habent locum, nisi hęres intra medium annum à die publicationis testamenti numerandum, cessante omni impedimento, legatis piis satisfacere neglexerit: Sicuti videre licet apud Abbatem, & Covar. in cit. *cap. nos quidem. Et cap. si hæredes*, & docet Sylv. *V. testam.* 2. q. 6. & 8 Molin. tom. 1. tract. 2. de just. disp. 151. Laym. lib. 3. tr. 5. c. 11. n. 13.

Quemadmodum igitur hæres multari non debet statutis à jure pœnis, nisi ultra sex menses legata pia solvere negligat; ita nec lethalis culpę videtur damnandus, nisi ultra idem temporis spatium culpabilem moram protrahat: Sicuti notavit etiam Mazuch. disp. 2. c. 20. in fine titulo de gravitate hujus peccati.

Rursus sicut canonicæ illæ pœnæ non habent locum, pręterquàm si hęres ultra medium annum solutionem legatorum piorum culpabiliter differat; sic etiam lata in Edicto Episcopali sine ulla temporis limitatione reservatio, quæ habet quamdam rationem pœnæ, & supponit mortalem culpam, non pręsumitur ligare hęredem, pręterquàm si ultra sex mensium spatium legatis piis culpabiliter satisfacere negligat.

22 Ad resolutionem igitur propriùs accedendo, licèt id definire ad Sapientissimi Legislatoris judicium spectet, tamen cùm verba legis humanæ humano modo accipi debeant, & cum EpiKeia, iuxta subjectam materiam, probabilissima ratione dici potest, quòd terminus, *Quamprimùm*, in hac materia, spectato jure communi, medii anni spatium importet, intra quod hæres, si legatis piis satisfaciat, ab Episcopali reservatione, & probabiliter etiam à peccato mortali immunis censeri debeat. Quod tamen dicitur, saluo semper judicio, ac omni alia Amplissimi Episcopi, & Legislatoris declaratione: & supposito, quòd nullus hæredi per Testatorem concessus sit dilationis terminus, ut superiùs etiam monui.

ANNOTATIO VIII.

23 Pœnas autem in negligentes hęredes, jure communi statutas legere potes apud Abbatem, & Covarr. in cit. *cap. nos quidem*, *& cap. si hæredes*. Sylv. *V. testam.* 2. q. 6. & 8. Molin. disp. 251. Videlicèt, ut si infrà medium annum à die publicationis testamenti numerandum, cessante legitimo impedimento, legatis piis satisfacere neglexerint, postea cogantur etiam per viam excommunicationis, *cap. si hæredes*, *& cap. tua nobis*, ea solvere cum omnibus fructibus, & emolumentis, quę à die mortis Testatoris percipi poterant, juxta cit. *cap. si hæredes*.

Pręterea si bina Episcopi monitione præmissa, hæres adhuc pervicax fuerit, privetur omnibus commodis in testamẽto sibi relictis, ut habetur in *Authen. de Ecclesiast. titul.* §. *si autem*. Sin autem hęres perperam negat, legatum esse ad pias causas, & in ea negatione perseverat usque ad sententiam, condemnandus est in duplum, teste Abb. in cit. *cap. si hæredes*, n. 5.

Denique si hęredes intra annum post monitionem à Judice, seu Ecclesiastico, seu Seculari factam legata seu ad pias, seu ad prophanas causas solvere neglexerint, omni commodo (excepta portione legitima, si hęredes necessarii sint) ex testamento ipsis proveniente priventur, juxta Auth. *hoc ampliùs, C. de legatis.* Hęc tamen pœna non obligat in conscientia ante condemnatoriam Judicis sententiam, teste Covar. in cit. *cap. si hæredes*.

ANNOTATIO IX.

24 Cœterùm antequam ad causas practicos deveniamus, superest difficultas resolvenda. An scilicèt hęres qui s soluti, nem legati pii ultra sex mensiumpatiūo- cess-

cessante omni impedimento distulit, si postea illud solvat, per ipsam solutionem illicò tollatur reservatio, ita ut possit à quocumque simplici Confessario absolvi.

Affirmativè respondet Lup. de cas. res. par. 2. cas. 3. §. 1. n. 16. Nam cùm reservatio apud ipsum lata sit in hęc verba. *Qui paupertie non impediti solutionem ex legato pio debitam longiùs biennio distulerint, idque tandiù, quandiù in mora fuerint solutionis*. Hęres autem hac solutione facta, ampliùs non sit in mora: inde est, ut ampliùs non vigeat reservatio, & consequenter à simplici Confessario possit absolvi. Quę ratio licèt non assignetur à Lupo, hęc tamen est solidum ejus sententię fundamentum.

Cœterùm Lupi sententia deservit tantùm pro Confessariis Bergomensis Diœcesis, cujus jus reservans ille Author, & egregiæ notæ Doctor interpretatur. At verò in hac Brixiensi Diœcesi reservatio hujus casus inducta est sub istis terminis. *Legatorum piorum solutio ab iis, qui potuerunt satisfacere neglecta*. Propterea si in eam inciderit Pœnitens, non videtur per subsequentem satisfactionem ab omni reservatione liberari. Nullibi enim apparet, reservationem istam in hac Diœcesi solutionem tantummodò legati pii, non item neglectæ solutionis culpam spectare.

Nihilominus satis probabiliter dici potest hæredem, qui ultra sex mensium spatium distulit legati pii solutionem, si postmodum ultrò ea solvat, tali solutione facta, liberum manere à reservatione, & consequenter à Confessario simplici, si ipsum adeat, posse absolvi. Quia reservatiò hujus casus cẽsetur tantùm inducta ad urgendum heredem ad legati pii solutionem, ita ut tali solutione facta, cesset omnis reservatio. Ita pręter Lupum cit. n. 16. Mazuch. de cas. res. disp. 2. c. 20. q. 2. diffic. 1. n. 43. Vide, quę dicam in sequenti casu annot. 8. n. 20. in simili de incertorum restitutione.

Hæc tamen doctrina, & assertio intelligenda est, nisi contrarium constet, vel ex indiciis colligatur de mente Ordinarii reservantis, aut obstet consuetudo (quæ est optima legum interpres) Confessariorum Dięcesis Brixiensis, quę in hoc casu probè perpendenda est, & omninò servanda.

ANNOTATIO X.

25 Sed obiter petes. Utrum Defunctus, qui dum viueret, bona sua pauperibus, vel pro celebrandis Missis reliquit elargienda, si hæredes, vel executores diù differant, vel defraudent, fructum legatę eleemosynæ percipiat.

Resp. Quantùm ad meritum relictæ eleemosynę nullum prejudicium patitur Defunctus ex dilatione, si quantùm in ipso fuit diligentiam adhibuit, ut citò eleemosynæ distribuerentur: Quia meritum ex voluntate dependet: Quantùm verò ad fructum, sive beneficium satisfactionis pro pœna in Purgatorio luenda, utique sentit detrimentum: Quia interim non juvatur suffragiis, dum ea differuntur & sic prorogantur ipsius cruciatus. S. Th. in 4. dist. 45.

26 Sed rursus quæres: Si moriturus mãdet aliquid restitui, quod postea restitutum non sit per hæredem, an morientis culpę sit imputandum.

Resp. Si moriturus commodè, & sine scandalo, antequam decedat, potest ipsemet restituere, malè sibi consulit, id heredi mandando, neque securus de sua salute decedet. Quia quantùm in ipso est, diligẽtiam non adhibet, ut restitutio fiat: Ideòque nec censetur habere sincerum animũ restituendi, si supervixisset.

Si verò moriturus tunc commodè restituere non possit, vel subsit scandali, aut infamię periculum, ideòque committat hęredi, qui vir probus, & fidelis habetur, & si is deinde non restituat, ipsi non defuncto imputabitur: nullaq; ex hac causa torquebitur productiori pœna. Ita Nav. in man. c. 17. n. 68. P. Nav. l. 4. c. 4. n. 72. Tolet. lib. 5. cap. 24. §. *oportet*. Sayrus in Clavi Reg. lib. 10. tract. 5. c. 3. dub. 9. Laym. lib. 3. tract. 5. cap. 10. num. 9.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro Incidentibus.

1 EX prænotatis pro regula generali statuitur, reservatione ligari omnes tàm Clericos, quàm laicos, tàm fęminas, quàm mares, qui ultra sex menses, cessante omni impedimento, legatorum piorum solutionem negligunt: Quia reservantis juris dispositio, cùm sit indefinita, æquivalet uniuersali, & consequenter omnes hæredes comprehendit: neglecta autem solutio ultra medium annum, sicut est sufficiens ad culpam mortalem, ita etiam ad reservationem: patet ex annot. 7.

2 Idem resolves de eo, qui quodcumque legatum pium solvere negligit, licèt illud factum sit in testamento minùs solemni, imò etiam sola voce, & nutu. Less. lib.2.cap.19.dub.2.Laym lib.3.tract 5.c.2. num.3.

3 Subjacet reservationi, qui legatum pium incertum ex parte personę, vel loci, intra medii anni spatium non curat executioni mandandum. Quia hujusmodi legata pia non fiunt caduca, sed ad alium usum sunt applicanda, juxta supradicta annot.3. n.7.8.& 9.

4 Idem resolves de illo, qui legati pii solutionem negligit, eò quòd ex solutione majus incommodum sibi proventurum sit, quàm commodum legatario. Quia non quodlibet incommodum, sed extrema, vel saltem valdè gravis necessitas, V. g. morbi, famis, nuditatis à solutione legatorum piorum pro tunc hęredem excusat. Mazuchell. disp. 2. cap. 10. qu. 1. num. 10.

5 In reservationem incidit, qui ultra medium annum in solvendo legata, protrahit moram, absque justa causa, etiamsi id agat, ut maiori pauperum utilitati consulat, vel defunctorum fructui: Quia talis dilatio videtur nimis longa & damnosa: ac proinde à mortali culpa, & reservatione non excusans. Lupus cas.3.§.2. nu.25. & 26. & Mazuchell. disp. 2. cas. 20. qu. 2. num. 10.

Neque officit, quòd S.Thom.quod l.6. artic. 14. dicat, justam causam differendi solutionem legati pii censeri, ut res defuncti majori pretio vendi, & ampliores eleemosynę in pauperes erogari possint. Quia S. Thom. loquitur de modica dilatione dilatio: autem ultra medium annum secluso omni impedimento, videtur nimis, longa, & pręponderat prorogatio pœnarum, quibus tunc fortasse torquetur Testatoris anima. Consule Doctores supra cit.

6 Reservationis telum non effugit, qui soluta ferè tota legati summa, partem hujusmodi, v.g. eleemosinę, vel Missarum relinquit insolutā: modò pars insoluta ad culpam mortalem sufficiat. Lupus loc.cit. n 13.& Mazuch.loc.cit q.1.n.15.

7 Reservatione ligatur, qui post Testatoris mortem, cùm posset adere hęreditatem, & legatis sibi notis satisfacere, ultra sex menses, illam culpabiliter percipere neglexit. Quia neglecta hæreditatis aditio perinde est, ac neglecta legatorum piorum solutio, quę reservatur in casu. Graff. in praxi, lib 2.c.26.n.39. & Mazuch. loc.cit. n.17.

8 Idem ob identitatem rationis adęquatę resolves de illo, qui cùm sciverit saltem in genere Testatorem reliquisse nonnulla legata pia ab hęrede solvenda, ex ignorantia affectata, vel incuria mortaliter culpabili, ultra sex menses ab adita hęreditate cessante omni impedimento, scientiam eorumdem legatorum haurire in specie, iisque satisfacere neglexit. Quia ignorantia affectata, vel incuria mortaliter culpabilis in hoc casu censenda est legatorum piorum neglecta solutio.

9 Incidit tandem, qui solutionem legati pii, de Missis celebrandis pro Animabus Purgatorii, omittit pretextu gravis indigentię, vel quoad statum, vel quoad victum. Quia indigentior, & longè miserior est Animarum Purgatorii, quàm hęredum status. Quòd si hęres interdum ob indigentiam excusaretur à totali legati solutione; non tamen à partiali, si legatum sit dividuum.

R E-

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro Non incidentibus.

1 Reservatione non ligatur, qui legata non ad pias causas intra debitum tempus, hoc est, intra medium annum non persolvit: patet ex litera. Quænam autem censenda sint legata ad pias causas, vide superiùs annot. 1. n. 2. Debitor tamen legatorum etiam ad causas prophanas, quoties in mora culpabili ea solvendi existit, delinquit mortaliter, & ad damnorum refectionem obligatur.

2 Non incidit, qui ultra medium annū differt personæ diuiti legatum solvere, quamvis intuitu pietatis fuerit relictum. Quia ad rationem legati pii requiritur tùm pietas in legante, tùm paupertas in legatario seu recipiente, quę deficit in divite. Graff. in praxi, lib. 2. cap. 26. n. 30. & Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 4. n. 9. contra Sylv. & alios.

3 Reservationi non est obnoxius, qui ultra prædictum terminum negligit solvere reale debitum, ratione aditæ hęreditatis contractum, licèt illud loco pio sit persolvendum. Quia litera expressè, & pręcisè loquitur de legatis piis, non de debitis alterius generis. Quoties tamen mora esset culpabilis, & mortale peccatum, & damni compensandi obligationem incuriosus hęres non effugeret.

4 Idem resolvet de hęrede, qui intra debitum tempus non solvit legatum pauperi consanguineo, vel consanguineæ factum. Quia non habetur legatum pium, cùm præsumatur relictum, non intuitu pietatis, sed affectu sanguinis, qui est naturalis, & causę piæ censetur præualere. Sanch. loc. cit. Verumtamen, & in hoc casu hæres lethalem culpam non vitabit, si dilatio solutionis sit injusta, & injuriosa.

5 Immunis est à reservatione, qui loco pio, intra statutū à jure terminū, negligit persolvere, quod illi debet ex conductione, vel emptione bonorum ejusdem loci pii. Quia hujusmodi debita longè recedunt à ratione legatorum: à diversis autem non fit illatio.

6 Eadem immunitas à reservatione extenditur ad eum, qui ratione donationis inter vivos, vel mortis causa est inculpabili mora aliquid solvendi Ecclesię, vel loco pio. Nam donationes hujusmodi valdè differunt à legatis ad pias causas. Supposito tamen quod talis dilatio sit culpabilis, reiquè notabilis, morosus debitor delinquet mortaliter.

7 Reservationi non est obnoxius Tutor, Curator Pupilli, Minoris, aliique ultimarum voluntatum executores, si legatis piis intra sex mensium spatium satisfacere negligant. Quia reservantis juris dispositio censetur comprehendere tantùm veros hęredes, & debitores; non item cęteros executores: constat ex annot. 5. n. 17.

8 Idem probabiliter resolves de illo, qui ultra medium annum protrahit solutionem legati pii per Novitium, antequam professionem emitteret relicti. Quia reservatio cùm habeat quamdam rationem pœnę, videtur restringenda tantùm ad legatum relictum à defuncto morte naturali, non civili, qualis est Religiosorum mors, quę sola juris fictione dicitur mors. Consentit Mazuch. disp. 2. c. 20. q. 3. n. 28. contra Lupum de cas. reser. p. 2. cas. 3. §. 3. annot. 3.

9 Extra telum reservationis existit, qui nondum mensibus sex effluxis à legatorum scientia, vel percepta hęreditate numerandis, cessante etiam justo impedimento solutionem legati pii negligit: Quia spectato jure communi, cui standum est, quandiu aliud non decernit lex specialis Episcopi, pœnæ (quarum quamdam rationem habet, ut supra dictum est, reservatio) in negligentem hęredem non habent locum, quoties legatis piis satisfaciat intra medium annum. Vide superiùs annot. 7. n. 21. & 22. & Doctores ibid. cit.

10 Excusatur à mortali culpa, & consequenter etiam à reservatione hęres, qui si velit soluere debita à defuncto, vel intuitu defuncti contracta, non est soluendo legata pia: Ideòque executioni ea demandare intermittit. Quia legata pia semper intelliguntur, deducto ære alieno: Quod verum est, quamuis illud relique-

rit insolutum. Nam adhuc non reviviscit extincta solvendi legata ad pias causas obligatio. Universè enim loquendo, debita ex titulo gratioso posthabenda sunt debitis ex titulo oneroso. Navar. in man. c.17. n.10. Bonac. de restit. disp.1. quæst. 8. pun.2. num.12. Bassæus V. restitutio IV. §.6. num.23.

11 Reservationi non est obnoxius, qui legata ad pias causas non persolvit ob inopiam extremam: Tùm quia impotentia debitorem excusat: Tùm quia, premente tali necessitate, omnia fiunt communia. Lessius lib.2.c.16. n.19. Layman lib.3. sect.5.tract.3. par.1.cap.1. nu.7. Sed neque redibit obligatio, & consequenter nec reservatio, etiamsi hęres debitor ad meliorem fortunam redierit. Tolet. de peccatis mortal. cap.39.

Hęc tamen doctrina limitari debet, ut procedat, nisi debitor propria culpa ad extremam inopiam sit redactus: Tunc enim si ad meliorem fortunam redierit, redibit etiam solvendi legata pia obligatio. Idem dicitur, si bonis testatoris ex accidenti subtractis, hæres egestate laboret, iisdem postea recuperatis, & consequenter egestate cessante, cessabit quoque excusatio, cùm suppetant bona obligatione legatorum affecta. Vide Lessium, & Layman ll.cc.

12 Eadem à reservatione excusatio extenditur etiam ad eum, qui premitur necessitate valdè gravi, ratione morbi, famis, nuditatis, &c. Quod verum est, nisi legatarius sit in pari necessitate, cui necessitas hęredis, (excepta extrema) sit posthabenda. Navar. loc.cit. nu.5. Vide supra annot.3. n.14. & 15.

13 Immunis est à reservatione, qui ex ignorantia, vel oblivione inculpabili, ultra statutum à jure terminum protrahit legati pii solutionem: Quia eo casu sicut excusatur à culpa; sic etiam à reservatione, quę supponit culpam, & quidem lethalem.

14 Non incurrit hæres, cui testator ipse longiorem sex mensibus, ad satisfaciendum legatis piis, concessit terminum, aut cum illi placuerit: Quia tunc dilatio non est contra voluntatem defunctorum, in quorum favorem potissimùm lata est præsens reservatio. Lupus loco citato casu 3.§.6. n.29.

15 Eadem immunitas extenditur ad eum, cui legatarius prorogavit solutionis terminum, talis siquidem prorogatio inculpabilem reddit moram: Quæ doctrina valet etiam in censura in alterius favorem lata, quæ suspenditur ex consensu ejus, in cujus gratiam fuit relaxata: sicuti docent Suarez de censuris disp.3. sect.6. n.8. Filliuc. tract.11.c.4.quæsito 12. n.80. ConinK disput. 14.num.199.quibus astipulatur Mazuchell. disp.2. casu 20. q. 2. n.34.

16 Non ligatur reservatione, qui intra debitum tempus convenit cum legatario, pręstando ipsi cautionem: quia hujusmodi cautio ęquiparatur solutioni, qua attenta, cùm hęres non sit inculpabili mora, consequenter in casum non incidit. Graff. de cas. reserv. lib.2. cap.26. n.7. & 8.

17 Idem resolvitur de illo, qui in legatis piis solvendis, compensatione utitur: Quia compensatio stat loco solutionis: dummodò justę compensationis regulę serventur, quę sunt quinque. Prima, ut debitum sit liquidum, & certum. Secunda, ut retineatur summa crediti. Tertia, ut creditum sit maturum. Quarta, ut caveatur, ne debitor illud bis solvat. Quinta, ut non possit via judicii res recuperari. Hęc tamen conditio non admittitur ab omnibus, dummodò absit periculum scandali.

18 Ab hac reservatione eximitur ille, qui intra sex mensium spatium deponit apud alterum, quod legatario tunc absenti est persolvendum. Quia talis depositio est quædam legati pii solutio. Lupus casu 3.§.4.n.30.

19 Idem resolves de illo, per quem non stat, quominùs congruo tempore fiat legati pii solutio: ut si legatarius solutionem acceptare noluit. Cùm enim eo casu absit culpa, consequenter etiam abest reservatio.

20 Hæres tandem, qui solutionem legatorum piorum ultra sex menses culpabiliter distulit, si postmodum ultrò ea solvat, tali solutione facta, liber à reservatione censetur probabiliter manere. Unde

de consequenter à peccato ob culpabilem moram contracto, per quemcumque Confessarium poterit absolvi. Vide supra annot.9. num.24. & Doctores ibidem citatos.

DE GRAUITATE

Hujus delicti, & Obligatione Confessarii.

QVàm gravi scelere se obstringit, qui solutionem legatorum piorum vel denegando, vel negligendo, consanguineorum Animas debitis suffragiis non juvat, sed defraudat; patet tum ex delicti reservatione (siquidē graviora tantùm delicta reservari solent) tùm ex aliis pœnis, quas in negligentes hęredes statuunt jura Ecclesiastica, quas legere potes apud Abbatem, & Covaruv. cap. *nos quidem*, & cap. *hæredes*. Sylvest. V. *testamentum* 2.quęst.6. & 8.Molin.tom. 1.tr.2. de justitia disp.251. quas summatim recensuimus suprà annotatione 7. num.23.

Et jure meritò has Ecclesia ex inhumanitate hęredum deposcit pœnas. Siquidem ex suffragiorum prorogatione Animarū Purgatorii prorogatur cruciatus, & ex cessatione cessat liberatio. Quod quàm inhumanum ac ferum fit, liquet ex iis, quæ de atrocitate pœnarum Purgatorii ex scriptura, & Patribus congerit Bellarminus lib. 1. *de Purgatorio*. Quò etiam spectant illa ad ingratos hęredes plena doloris, & querimonię verba. *Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?* Nam quemadmodum Deus, ita exigente Divinę justitię debito, detinet Animas in flammis veluti carcere inclusas, donec respondentem culpis luerint pœnam: ita nefarii hęredes, dum ipsis denegant, vel differunt suffragia, causa existunt, ut productior sit earumdem cruciatus, & pœna.

Accedit, quòd tali dilatione defraudantur Ecclesiæ, ac loca pia, & consequenter scelus grande committitur.

Confessarius igitur, qui in solvendis legatis piis, vel pervicacem, vel incuriosum reperit hęredem, in primis ipsi aperiat, qua ingratitudinis, & impietatis nota se inurat, quotve mala tùm spiritualia, tùm temporalia ex sacrilega illa fraudatione sibi impendeant, illumque non absolvat, nisi præmissa ipsorum legatorum solutione ac satisfactione, uti præscribitur in limitatione absolvendi ab hoc casu: præterquam si Confessario innotesceret, debitorem extrema, vel penè extrema laborare inopia, vel bonum animę ipsius Pœnitentis absolutionis dilationem non permittere.

Quid autem, si Confessarius hæredem, quem, in satisfaciendo legatis piis, noverit negligentem, absolvat, non præmissa satisfactione, num validè ipsum absolvat: controvertitur inter Doctores.

Negativè respondet Cajet. V. *absolutio*. Sayr. de censuris l.2. c.18. n.10. & alii, asserentes, Confessarium tùm prędìtum facultate, tùm carentem eo casu invalidè pœnitentem absolvere. Quorum ratio est, quia verba illa, *Conceditur, præmissa ipsorum satisfactione*, in contratabella concessionis facultatis apposita, Confessariis facultatem limitare, conditionemque ad validitatem absolutionis omninò necessariam videntur inducere. Nam ablativus absolutus, *præmissa ipsorum satisfactione*, formam, quacum actus fieri debet, importare censetur.

Sed magis placet sententia contraria, nempè illa verba, *præmissa ipsorum satisfactione*, facultatem non limitare, sed Confessarios tantùm privilegio munitos de Ordinarii mente præmonere, ne scilicèt Pœnitentem absolvant, non præmissa legatorum satisfactione. Quare Confessarius facultate prædìtus si pœnitentem absolvat ab hoc casu, absque prævia illorum solutione, quamvis contra præceptum Episcopi agat, ideòque graviter delinquat; validè tamen absolvit. Multa enim fieri prohibentur, quæ facta tenent.

Secùs tamen resolvendum de Confessario simplici, qui privilegio absolvendi à reservatis caret, hunc enim nec validè, nec licitè absolvere resolvunt Sanchez lib.2.mor.c.13. nu.34. & 35. & li.3. de matrim. disp.32. nu.3. Avila de censur. par.2. c.7. disp.3. dub.6. concl.2. Bonac.de cens.

disp.1. q.3. punct.3. prop.2. n.3. Dian. p.5. tract.9.res.12. quibus subscribit Lupus de cas.reser. p.2.cas.3. §.1.n.19. & 22. Qui notat ex Bonac. loc. cit. hęc verba, *non præmissa satisfactione*, importare formam, qua licitè, non qua validè absolutio impendi debeat. Vide quæ dixi in priori Elucidarii parte Resol.134.

IN SECVNDAM NONI CASVS PARTEM,

In Edicto reservationis sub hac litera expressam.

Negligentia eorum, qui tabulas testamentarias suorum Auctorum, transactis sex mensibus aperiri non curaverint.

ANNOTATIONES.

1 *Quam providè, sapienter, & opportunè inducta sit in Brixiensem Diœcesim hujus casus reservatio.*

2 *Quid sit negligentia, & quot res connotet.*

3 *Quinam negligentiæ, seu negligentis nomine veniant in proposito casu.*

4 *Negligentia est duplex, alia civilis, alia theologica.*

5 *Negligentia civilis triplex, alia lata, alia levis, alia levissima.*

6 *Quid sit negligentia theologica.*

7 *Negligentia non solùm theologica, sed etiam civilis lata sub litera reservationis est comprehensa.*

8 *Duplex est testamentum aliud in scriptis, seu clausum, aliud nuncupativum, seu apertum.*

9 *Quodnam sit testamentum in scriptis, seu clausum.*

10 *Quodnam nuncupativum, seu apertum.*

11 *Litera reservationis comprehendit tantùm tabulas testatorum in scriptis, seu clausas.*

12 *Codicilli in scriptis, seu clausi à casu non sunt exclusi.*

13 *Codicillus fieri potest, & cum testamento, & sine testamento.*

14 *In legum interpretatione potiùs adhærendum est legislatoris menti, quam verbis.*

15 *Testamentum vel est solemne, vel minùs solemne: & quodnam sit utrumque.*

16 *Testamenta minùs solemnia ad pias causas in utroque foro valent, & obligant.*

17 *Quænam testamenta, vel codicilli dicantur ad pias causas.*

18 *Testamentum minùs solemne ad causas non pias in foro externo quando pro infecto habeatur.*

19 *Reservantis juris dispositio utrumque testamentum, tam solemne, quam minus solemne comprehendit.*

20 *Quinam teneantur curare, ut tabulæ testamentariæ Auctorum suorum aperiantur.*

21 *Liberi legitimi parentum, & vicissim parentes liberorum in casibus concessis, si culpabiliter negligant curare, ut testamenta, vel codicilli clausi aperiantur, reservationi subjacent.*

22 *Hæredes ab intestato, si in aperiendis Testatorum tabulis negligentiam mortaliter culpabilem adhibeant, reservatione ligantur.*

23 *Vxor succedens ab intestato in hæreditatem viri in casibus jure expressis, si ex negligentia lata, vel dolo intermittat curare, ut defuncti mariti tabulæ aperiantur, reservationi est obnoxia.*

24 *Hæredes ex testamento non necessarii, qui adita hæreditate, posterius testamentum, vel codicillum clausum à Testatore conditum esse deprehendunt, si culpabiliter negligant in eam curam incumbere, ut aperiatur, in reservationem incidunt.*

25 *Ad incurrendam hanc reservationem requiritur, ut à die obitus Testatoris, vel habitæ notitiæ testamenti, vel codicilli, sex mensium spatium effluxerit.*

26 *Si hęres, transactis sex mensibus testamentum aperiri curet, an, tali apertione facta, liber maneat à reservatione.*

ANNOTATIO I.

1 QUot fraudes ac machinationes ab ingratis, vel improbis hęredibus circa ultimas Defunctorum voluntates adhibeantur, in dies Parochis, & Confessariis magis innotescit. Eò enim quorumdam consanguineorum, seu hæredum ab intestato improbitas excrevit, ut in curando, ut Testatorum tabulæ, secuta eorumdē morte aperiantur, in iisq; relicta, & disposita executioni mandentur, nedum incuriosos se præbeant, sed non rarò, ut tabulæ ipsę penitùs occultentur, ac delitescant, & interdum pereant, omni conatu, omnique dolo utantur. Quæ deceptiones ac fraudes, multorum origo malorum, ut à concredito sibi grege, Ovilisque sui finibus longiùs, quoad fieri potest, arceantur, eò Vigilantissimi Pastoris evocata est solertia, ut tantam improbitatem providè, sapienter, opportunè reservantis juris fræno compescere, tamque noxium scelus severiori suo reservare judicio, nouissimè decreverit.

ANNOTATIO II.

2 Pro cujus casus clariori explicatione notare oportet, quòd licèt Vox, *Negligentia*, secundùm communem vocabuli acceptionem latiùs pateat, quàm culpa; nihilominus, attenta propria, & stricta ejusdem vocis significatione, secundùm quàm accipi debet in proposito casu, non differt à culpa. Proindeque definiri potest, quemadmodum culpa, quòd sit discessus ab eo, quod bonum, ac debitum est; sive (quod in idem recidit) sit omissio industriæ, ac diligentiæ, quam quis in re aliqua præstanda, adhibere potest, & debet. Sicuti ex Bart. & Abb. notat Nav. in man. c. 17. n. 177. Layman lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 7. num. 2.

Vnde negligentia, quemadmodum, & culpa, duo connotat; nempe obligationem ex justitia ex parte ejus, qui rem debitam non pręstat, & omissionem, sive discessum ab ipsa re debita. Quorum si alterum desit negligentia propriè dici non potest, sed simplex omissio.

3 Modò cùm litera reservationis dicat, *Negligentia eorum*, satis indicat sub reservantis juris dispositione dumtaxat comprehendi eos, quibus ex naturali, vel positivo jure, sive ex officio, vel pacto saltem tacito incumbit obligatio curandi, ut clausæ Testatorum tabulæ, intra præscripti temporis spatium aperiantur, in iisque disposita innotescant, si interim ex negligentia, vel culpa id præstare intermittant.

ANNOTATIO III.

4 Verùm non segniter advertendum est, quòd duplex datur culpa, & negligentia; alia civilis, sive juridica, alia theologica. Negligentia ciuilis jam descripta est quòd sit omissio solertiæ, ac diligentiæ: cùm quis scilicèt, secluso omni impedimento, intermittit præstare, quod sibi ex obligatione justitię incumbit, sed absque prava intentione, ac dolo.

5 Hęc autem negligentia est triplex; alia lata, alia levis, alia levissima. Negligentia civilis lata, quæ etiam dicitur crassa, est omissio communis diligentiæ, quam scilicèt omnes ejusdem ætatis, conditionis, ac muneris adhibent, vel adhibere deberent. Negligentia levis est omissio exactæ diligentiæ, quam solertes ejusdem ætatis, conditionis, ac muneris adhibere solent. Negligentia verò levissima est omissio exactissimæ diligentiæ, quam solertissimi tantùm ejusdem ætatis, conditionis, ac muneris, in præstanda re aliqua adhibere consuescunt. Nav. loc. cit. Molin. tom. 2. de just. disp 292.

6 Negligentia porrò theologica est peccatum contra mores, & legem Dei, omissio scilicèt studiosa, dolosa, & injuriosa rei ex justitia debitæ: atq; ideò propriè dictum injustitię peccatum. Consule Molin. & Nav. ll. cc. Laym. lib. 2. sect. 5. tract. 4. cap. 7. n. 2.

7 Litera igitur reservationis, cùm dicit, *Negligentia eorum*, intelligēda est tùm de negligentia theologica, nimirū de dolosa,

losa, & injuriosa omissione curandi, ut clausę Testatorum tabulę intra pręscripti temporis spatium aperiantur. Tum etiam de negligentia civili, sed lata seu crassa, quæ in delictis dolo æquiparatur, & injuriam mortalem continet. Non tamen de negligentia civili levi, & multò minùs levissima, quæ cùm à mortali noxa in foro conscientię (non item in foro externo) excusetur; consequenter ab hac reservatione censeri debet exclusa.

ANNOTATIO IV.

8 Cœterùm ad magis concinnam casus expositionem, plurimùm scire interest, quòd duplex est testamentū. Vnum in scriptis, seu clausum: Alterum nuncupativum, seu apertum: sicuti constat ex *l. hac consultissima. cod. de testam. §. sed cùm paulatim, & §. per nuncupationem.*

9 Testamentum in scriptis, seu clausum dicitur, quod Testator sive sua, sive alterius manu conscriptum, septem idoneis testibus, masculis, pueribus, liberis, ad id rogatis, & vocatis, omnibus simul pręsentibus, offert, profitendo id esse suum testamentum. Quod postea omnes, & singuli septem testes eodem tempore subscribunt, si possint per se ipsos, proprioq; vel alieno, aut communi sigillo consignant: sicuti habetur in cit. *L. hac consultissima, &c.* & docent Card. de Lugo tom. 2. de just. disp. 24. Laym. li. 3. tract. 5. capitul. 1. num. 3.

10 Nuncupativum verò, seu apertum illud dicitur, quod minorem solemnitatem requirit, scilicèt solùm, ut septem testes conditionis supradictę simul vocati adsint, qui audiant, & intelligant Testatoris voluntatem coram eis scripto, vel voce prolatam. Sicuti patet ex cit. *L. hac consultissima §. nuncupationem.*

Etsi verò hodie talis nuncupatio communiter à Notariis coram testibus in scripturam, seu instrumentum redigi soleat: id tamen non fit, ad substantiam actus servandam, sed ad meliorem ejus comprobationem, & securitatem. Quia testes interim vel decedere, vel inhabiles reddi possunt, quominus coram Iudice defuncti voluntatem declarare queant, quorum defectus per publicum Tabellionis instrumentum abundè suppleri censetur: Sicuti docent DD. *in lib. 2. cod. quemadmodum testamenta aperiantur.*

11 Modò litera reservationis, cum dicit, *aperiri non curaverint*, satis exprimit, & distinguit, de quo genere tabularum reservantis juris dispositio sit intelligenda, nimirum de scriptis, & clausis, non verò de nuncupativis, & apertis. Et ratio est, tum quia in materia reservationis, utpotè odiosa, verba sunt accipienda secundum strictam, & propriam eorum significationem, omissa impropria: Ac proinde cùm verbum, *aperiri*, quod exprimitur pręsens reservatio secundum propriam ejus significationem ad tabulas duntaxat clausas referri possit, non verò ad nuncupativas, quæ cùm sint apertæ post Testatoris mortem, non indigent aperiri, sed solùm publicari: Idcircò tabulæ seu testamenta tantùm clausa sub reservantis juris dispositione censeri debent comprehensa.

Tùm quia in testamentis clausis sæpissimè; rarissimè verò in nuncupativis interveniunt fraudes, & deceptiones circa suppressionem tùm legitimorum hæredum, tùm legatorum præcipuè ad pias causas, cum maximo Testatorum animæ detrimento: ad quas fraudes, & detrimenta, providè ac sapienter inducta est hujus casus reservatio: Ac proindè frustra ad nuncupativa, & aperta fuisset extensa.

ANNOTATIO V.

12 Cæterùm etsi testamenta nuncupativa, ut numero pręcedenti probatum est, à casu sint exclusa; codicilli tamen non debent censeri exclusi; dummodò sint clausi. Nam quamvis codicillus ad instituendum hæredem non fiat: (cùm super hęredis institutione, vel ab intestato venientis successione fundetur) sed ad aliquid in testamento explicandum, addendum, mutandum, detrahendum, vel ad legata instituenda: sicut constat ex leg. *hæreditatem*. Cod. *de codicillis*. Nihilominus codicillus etiam (ita nuncupa-

cupa-

cupatus, quia parvus Codex) cùm sit veluti imperfectum testamentum,& modò clausus, modò nuncupativè fieri soleat,in eoque militet eadem ratio, idemque finis Legislatoris vrgeat, nimirùm ut legata tùm ad pias causas,tùm etiam prophanas innotescant, ad quorum declarationem, immutationem, ac additionem codicilli fiunt. Idcircò hi etiam, quoties in scriptis, vel clausi conduntur,ob identitatem rationis adæquatæ censendi sunt sub reservantis juris dispositione comprehensi.

13 Quæ assertio pro indubitata tunc sustinenda est, cùm codicillus clausus sine testamento factus est: siquidem codicillus potest fieri, & cum testamento, & sine testamento: quo casu testamenti loco est codicillus, obligans hæredem ab intestato venientem. Sicuti habetur in l. *ab intestato de jur. Codicill. in pandect.* Ac proindè sub litera reservationis censeri debet comprehensus.

Neque obstat, quòd in materia reservationis, utpotè odiosa, non sit facienda extensio ultra propriam, & naturalem verborum significationem. Ac proindè cum hæc verba: *Tabulas testamentarias*. Secundùm proprium eorum significatum comprehendant tantùm testamenta, non codicillos, quippè qui formaliter non sunt testamenta,sed veluti testamenta. Idcircò testamenta dumtaxat,non autem codicilli censendi sunt sub litera reservationis comprehensi.

14 Respondeo enim in legum interpretatione potiùs adhęrendum esse legislatoris menti (quæ est veluti spiritus, & anima legis,unde omnis vis obligandi per verba,tanquam instrumentalia signa provenit) quàm cortici verborum legis. Sicuti habetur in l.17. ff *de legibus*, & in l. *scire*, §. *aliud*, ff. *de excusationibus*: & tradunt Navar.lib.5. consil.6. Layman lib.1. tract.4. cap.18. num.4. Legislatoris autem mens in hujus casus reservatione eò tendit, ut circa ultimas defunctorum voluntates tollantur fraudes, & deceptiones, præcipuè circa legata ad pias causas: quæ fraudes, & deceptiones cùm tam frequenter accidant in codicillis clausis, quàm testamentis: Idcircò tàm codicilli, quàm testamenta censeri debent sub reservantis juris dispositione comprehensa: quam comprehensionem admittere evidens ratio suadet. Aliter fine suo frustaretur provida mens Legislatoris, de qua cùm clarè constet,non est confugiendum ad strictam verborum legis interpretationem.

His addendum,quòd quando agitur de salute animarum, earumque redemptione à purgatorii pœnis, vel de vitando gravi crimine, uti fit in hoc casu, potest fieri extensio etiam juris pœnalis: Sicuti rectè notat Finell. de cas. reser. cas.4. nu. 25. Quaranta Summ.Bullar. *V. casus reservatus* num.3.

ANNOTATIO VI.

15 Neque tamen prætereunda est alia notatio, quòd testamentum in scriptis, seu clausum potest esse vel solemne, vel minùs solemne. Solemne dicitur illud, quod præscriptas à lege civili solemnitates habet, quas superiùs retulimus, annotatione 4.num.9. Minus solemne illud nuncupatur, quod requisitis solemnitatibus destitutum est.

16 Circa quod posterius membrum rursus distinctio adhibenda est. Vel enim testamentum clausum minùs solemne factum est ad pias causas, vel ad prophanas: si ad pias causas, illud omninò tàm in foro externo,quàm interno conscientię validum,& firmum censendum est.Si quidē in eo nulla prorsus civilis legis, aut consuetudinis solemnitas requiritur,sed solo naturali,divino,ac gentium jure subsistit. Sicuti docent Bart. aliique Doctores *in cap. de Sacrosanctis Ecclesiis*. Abb. *in cap. relatum* 1. *de testam* Covar *de testam.* c 11. n.9. Molin. *de just.* tom.1. tract.2. disp.134. Laym.lib.3. sect.5.tract.5. cap.2.n.2. Card. de Lugo *de just.* tom.2. disp.22. num. 256. Dian. par.7. tr.6. resol.2. Et ratio est, quia jura secularia nō possunt spiritualibus rebus sive ad supernaturalem finem,animęque salutem spectantibus pręjudicium afferre, nisi à Summo Pontifice approbata sint,& recepta: juxta *c. Eccles. de constit.* Atqui solemnitates testamentorum jure civili introductas circa pias, & Ecclesiasti-

sti-

sticas causas receptas non esse, constat ex cit. *cap. relatum* 1. *de testam.* & fatentur Doctores omnes apud Card. de Lugo cit. disp. 22. n. 265. Dian. cit. par. 7. tr. 6. resol. 7. Vbi ex Mazuchello notat, jus canonicum exigere duos testes non pro foro conscientię, sed pro foro externo. Nam in foro conscientiæ testamentum ad pias causas, valet, & obligat, quoties de mente Testatoris constat.

16 Testamenta autem ad pias causas censeri debent, quę pręcipuè, ac directè facta sunt ob Dei, aut Sanctorum honorem, vel spiritualem animę salutem: puta: in Ecclesiarum, aliorumque piorum locorum erectionem, aut sustentationem; in captivorum redemptionem, in Religiosorum, vel pauperum alimenta, aut pro maritandis virginibus. Item in satisfactionem pro peccatis, in mortuorum suffragia, &c. de quibus Abbas *in rubr. de testam.* Nav. in Apol. de reddit. Ecclesq. 1. mon. 26. Laym. cit. cap. 2. n. 1. Dian. cit. par. 7. tr. 6. res. 29. & 30.

17 Vel testamentum clausum factum est ad causas pias: & tunc iterum distinguendum est. Vel enim conditum est à Patre, Matre, aliove utriusque sexus ascendente inter liberos: vel à milite in bellica expeditione; aut grassantis pestilentię tempore, & tunc ob legalis solemnitatis defectum non vitiatur testamentum: Sicuti docent Molina cit. tom. 1. disput. 129. Layman cit. cap. 2. nu. 11. 14. & 17. Diana par. 4. tract. 6. resol. 33. 34. & 42.

Vel denique in testamento minùs solemni constituti sunt hęredes extranei, vel remotiores consanguinei, & tunc testamentum hujusmodi in foro externo censetur invalidum: & ita ex communi praxi tribunalium à Judice cessandum esse, tradunt communiter Doctores apud Barbosam de jure Ecclesiast. lib. 3. c. 27. num. 95. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 17. num. 7.

18 Verùm quidquid sit de validitate, vel nullitate testamenti clausi; si ex conjecturis extrinsecis præsumi possit esse minùs solemne; statuendum est sub reservantis juris dispositione utrumque testamentum tam solemne, quam minùs solemne comprehendi. Nam cùm lex reservans non distinguat de qualitate testamenti, præterquam quòd sit clausum, nec nos distinguere debemus. Tùm quia testamentum tam solemne, quam minùs solemne cùm sit actus publicus, judicium de ejus validitate, vel nullitate non ad hæredes, sed ad Judicem spectare debet. Proindeq; si ex culpa lata, vel dolo hæres id præstare intermittat, effluxo concessi temporis spatio, præter lethalem culpam, reservatione ligatur.

ANNOTATIO VII.

19 Cæterùm cùm supra dixerim negligentiam duo connotare, scilicèt omissionem culpabilem rei debitæ, & obligationem ex parte ejus qui omittit, vel negligit præstare rem debitam. Quæri hic potest? Quinam graventur obligatione curandi, ut tabulæ testamentariæ Auctorum suorum aperiantur.

20 Resp. Primò tenentur descendentes, hoc est, liberi legitimi: si verò hi deficiant, vel præmortui sint, obligantur ascendentes, nempe Pater, & Mater, & in eorum defectum Avus, & Avia: si liberi pręmortui bona castrensia, vel quasi possederint, de iisquè testamento, vel codicillo clauso disposuerint. His siquidem tùm ex naturali, tùm positivo jure incumbit obligatio curandi, ut illi parentum, hi filiorum testamentariæ tabulæ aperiantur, & innotescant, in iisquè relicta executioni mandentur.

21 Secundò, si deficiant descendentes, & ascendentes, tunc obligantur hæredes ab intestato, servato legitimæ successionis ordine: ut scilicèt primò teneantur fratres, iisquè deficientibus, nepotes, & sic deinceps usque ad decimum. Hi siquidem non rarò adeunt hæreditatem, etiamsi defunctum agnatum testamentum clausum condidisse, non ignorent: quod postmodum nedum curant, ut aperiatur, sed fraudulenter, & subdolè agunt, ut occultetur, & delitescat, vel etiam omninò pereat; eò quòd alterum in eo institutum hęredem, vel relicta esse legata existiment, vel suspicentur.

22 Tertiò, deficientibus consanguineis

neis intra decimum gradum, obligatur superstes vxor. Quia ipsa eo casu sicuti succedit ab intestato in hęreditatem viri, juxta dispositionem juris, l c. *unde vir, & vxor*; ita tenetur operam dare, ut testamentum, quod ipsam non latet, vel postmodum deprehendit à viro conditum fuisse, aperiatur, in eoquè relicta executioni mandentur. Quod dicitur, attento jure communi, & nisi leges municipales, vel statutarię circa successionem vxoris aliter decernant.

23 Quintò, cùm testamentum, & quęlibet ultima voluntas legitimè condita Testatoris arbitrio mutari queat, addendo, corrigendo, pęnitùs cassando: ita ut prius testamentum per posterius irritum reddi possit: Ideò si hęres ex priori testamento, postquam hęreditatem adiit, aliud posterius testamentum, vel codicillum clausum ab eodem Testatore factum esse deprehenderit, tenetur curam adhibere, ut aperiatur, in eoquè disposita innotescant.

Omnes igitur, & singuli supra relati, quoties ex negligentia mortaliter culpabili, vel dolo intermittunt curare, ut tabulę testamentarię Auctorum suorum intra sex menses aperiantur, Episcopali reservationi obnoxii proculdubio censeri debent.

ANNOTATIO VIII.

24 Dixi superiùs intra sex mensium spatium: Pro quo notandum, quòd licèt prędicti (quos asservimus gravari obligatione curandi, ut tabulę testamentarię aperiantur) culpabiliter negligentes se prębeant; in reservationem tamen non incidunt, nisi ultra sex mēsium spatium, ab obitu testatorum, vel ab habita testamentorum notitia numerandum, cessante omni impedimento, neglexerint curare, ut illa aperiantur, & publicentur: Sicuti clarè cōstat ex litera reservationis. Quo casu, etsi fortè incuriosi, seu subdoli hęredes, sicut etiam Tutores, & Curatores à mortali culpa non excusentur, si, secluso omni impedimento, tabulas testamentarias Auctorum suorum aperiri non curaverint, in hanc tamen reservationem non incidunt; quę non habet locum, nisi effluxo sex mensium spatio. Quod pręter expressum in jure reseruante terminum, Confessariorum in Diœcesi Brixiensi usus, & praxis confirmat.

ANNOTATIO IX.

25 Verùm, antequam ad resolutivam praxim deflectamus, restat dubium dissolvendum. Vtrum hęres, qui ultra sex menses culpabiliter neglexit curam adhibere, ut testamentum clausum aperiretur, si postmodum illud aperiri curet, illicò tollatur reservatio, ita ut à quocumque Confessario simplici possit absolvi.

Resolutio hujus difficultatis desumenda est ex dictis in priori hujus casus parte annot.8.n.23. in simili de eo, qui ex negligentia mortaliter culpabili ultra sex menses legati pii solutionem distulit. Ubi ex Lupo, & Mazuchello ibid.cit. diximus satis probabile esse, quòd, facta legati pii solutione, Pœnitens, à Confessario simplici possit absolvi. Idem ergo à pari dicendum est in proposita difficultate: Siquidem, & hęc reservatio videtur inducta ad solicitandum hęredem, ut curet, prout debet, testamenti clausi aperitionem: ita ut, facta tali aperitione, cesset omni reservatio: Ac proinde à quocumque Confessario hęres possit absolvi. Quę tamen doctrina, & assertio intelligenda est, nisi aliud constet de mente Episcopi reservantis, vel obstet consuetudo, & praxis Confessariorum Diœcesis Brixiensis, quę in hoc casu inspicienda est, & omninò servanda. Vide pręcitatam annot.8.n. 23. & consule Doctores citatos.

RESOLUTIVA PRAXIS.

Pro Incidentibus.

1 EX prenotatis statuitur regula generalis, eos omnes, & singulos in reservationem incidere, qui ex negligentia, sive culpa tum theologica, tum civili lata intermittunt curare, ut clausę testatorum tabulę intra sex mensium

spa-

patium à die obitus eorumdem testatorum, vel habitæ tabellarum scientię numerandum, aperiantur: dummodo ex justitia, sive ex pacto saltem tacito ad id teneantur.

2 In specie autem incidunt liberi legitimi, si cùm ipsos non lateat à defunctis parentibus testamentum clausum fuisse conditum, ex dolo, vel lata culpa ommittunt in eam curam incumbere, ut supra numerandum aperiatur, in eoquè relicta innotescant. Nam concurrunt omnia ad incidendum requisita.

3 Idem resolves de parentibus, si cùm sciant à pręmortuis liberis de bonis castrensibus, vel quasi conditum esse testamentum, ex negligentia mortaliter culpabili intermittunt operam dare, ut illud intra præscripti temporis spatium aperiatur. Constat ex annotatione septima, num.20.

4 Eidem reservationi hęredes ab intestato sunt obnoxii, si cùm ipsis constet à defuncto consanguineo conditum esse testamentum clausum, ex negligentia, & incuria mortaliter culpabili curare intermittunt, ut illud intra statutum tempus aperiatur: Et multò magis, si subdolè agant, ut occultetur, & delitescat: Quo casu tenentur etiam ad restitutionem hęreditatis, atque ad damnorum indè provenientium refectionem, si hæreditas ad alterum spectet, vel legatum aliquod alii sit relictum.

5 Neque ab hac reservatione immunis est uxor Defuncti, quę deficientibus viri consanguineis usque ad gradum decimum, juxta dispositionem juris communis succeffit ab intestato in hęreditatem mariti, si non ignorans, vel posteà deprehendens conditum esse à viro testamentum clausum, ipsa ex culpa lata negligat curare, ut illud aperiatur, vel conatum adhibeat, ut occultetur, ne excidat percepta hęreditate. Quem casum vir doctissimus, ac gravissimus mihi retulit non pridem Tridenti contigisse.

6 Eadem reservatione ligantur hęredes ex testamento non necessarii, qui postquam adierunt hęreditatem vigore prioris testamenti, aliud posterius testamentum clausum ab eodem Testatore conditum deprehendunt, si culpabiliter, vel dolosè omittant in eam curam incumbere, ut illud aperiatur, & innotescat. Constat ex annot.7. n.23.

7 Supra dicti omnes, & singuli Episcopali reservationi sunt obnoxii, non tantùm si testamenta, sed etiam si codicillos clausos ex culpa lata, vel dolo intra sex mensium spatium aperiri nō curaverint: Vide superiùs annot.5.n.12. & 13.

8 Reservatione tandem eos ligari resolves, qui ex negligentia crassa, vel dolo curam adhibere intermittunt, ut testamenta, vel codicilli clausi aperiantur; etiamsi ex conjecturis extrinsecis viderentur esse minùs solemnes. Tùm quia judicium de validitate, vel nullitate testamenti non ad hęredem, sed ad Judicem spectat. Tùm quia in testamentis, & codicillis regulariter reperiuntur legata pia, quæ executioni mandari debent, quamvis deficiant legales solemnitates. Consule Doctores superiùs citatos annot.6. n.15.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro Non Incidentibus.

1 IN hanc reservationem non incidunt, qui ex relatu ipsius testatoris vel testium, aut ex notitia aliunde habita norunt, conditum esse testamentum aliquod, vel codicillum clausum, si post mortem testatoris illum aperiri, vel denunciari non curent. Quia hi, cùm non sint hæredes, non tenentur ex obligatione justitiæ in eam curam incumbere.

2 Idem ob eamdem rationem resolves de ipsis testibus, qui vocati testamentum, vel codicillum in scriptis subscripserunt. Hi siquidem ad aliud non tenentur ex justitia, quàm ad fidem faciendam coram Judice, quoties ad id vocati fuerunt. Non item ad curandum, ut hujusmodi testamentum aperiatur, in eoque contenta innotescant.

3 Reservationi non sunt obnoxii illi consanguinei, qui ab adeunda hæreditate ab intestato à proximioribus fuerunt exclusi, si testamentum, vel codicillum clausum, quem non ignorant à Defuncto fa-

factum, aperiri non curent: Quia ipsis non incumbit obligatio talem aperitionem curandi, sed iis qui hereditatem reipsa adierunt. Ideòque cùm absit negligentia, consequenter etiam reservatio. Vide superiùs annot.2.n.2. & 3.

4 Reservantis juris dispositioni non subjacet, qui ex negligentia, vel culpa lata nedum curat, ut publicetur, sed subdolè agit, ut occultetur testamentum, vel codicillus nuncupativus. Quia litera reservationis loquitur de tabulis Testatorum clausis, non de nuncupativis, quæ cùm suaptè natura sint apertæ, non indigent aperiri, sed solùm publicari: patet ex annot.4.n.11. Delinquit tamen mortaliter, & tenetur ad damnorum ex tali subdola occultatione provenientium refectionem.

5 Extra telum reservationis existit, qui ex negligentia civili levissima, & levi omittit operam dare, ut clausæ Testatorum tabulæ aperiantur. Quia talis negligentia, ex inconsideratione, & inadvertentia proveniens, sicuti eo casu à culpa mortali excusat; ita etiam à reservatione, quæ lethalem culpam supponit. Constat ex annot.3. n.7.

6 Idem resolves de illo, qui ob legitimum impedimentum prudentis Confessarii judicio pensandum, intermittit intra sex mensium spatium curam adhibere, ut ultimæ defunctorum voluntates aperiantur, & innotescant, etiamsi ad id ex justitia teneatur. Quia legitimè impedito non currit tempus, & consequenter non est damnandus culpabilis moræ, & negligentiæ.

7 Excusatur ab hac reservatione, qui ex metu gravi transgreditur Episcopale præceptum de aperiendis testatorum tabulis: ut si ex hæredibus alter alteri gravia mala, vel damna intentet, si attentet, ut testamentum, vel codicillus clausus aperiatur. Quia metus gravis mali, licèt in hoc casu non excuset hæredem à peccato contra justitiam ob transgressionem juris naturalis; censetur tamen excusare à reservatione, quæ inducitur jure humano, quod regulariter non obligat cum tanta severitate, & detrimento. Neque alia cēseri debet mens Legislatoris, quàm ut reservantis legis obligatio cesset in tali casu. Grassius in praxi capite decimotertio, numero vigesimo octavo, in simili de incestu. Bonacina de legibus disputatione secunda, quæstione octava, puncto secundo, numero sexto. Layman lib.1. tract.4. cap.14. numero quinto.

8 Ab hac reservatione, sed non à culpa mortali censendi sunt immunes, qui ex negligentia lata, vel dolo intermittunt in eam curam incumbere, ut clausæ testatorum tabulæ aperiantur, & publicentur: si nondum effluxerit sex mensium spatium à die obitus testatoris, vel habitæ tabularum notitiæ numerandum: patet ex litera reservationis, & constat ex annotatione octava, num. vigesimoquinto. Quoties tamen incuriosi hæredes in culpabili mora existunt, neque à Pęnitentiariis ipsis possunt absolvi ob mortale peccatum, in quo jugiter, & voluntariè versari pręsumuntur: nisi priùs seriò proponant, ac spondeant quamprimùm se curaturos, ut clausę testatorum tabulę aperiantur: in iisque disposita executioni mandentur.

9 Resolves tandem non improbabiliter, hęredem, qui intra sex menses neglexerit curam adhibere, ut testamentum clausum aperiretur, si postmodum hujusmodi aperitionem fieri curet, tali aperitione facta, ab hac reservatione liberum manere, atque ideò à peccato ob culpabilem moram contracto, à quocumque Confessario posse absolvi. Vide superiùs annot.9. nu.25. & Doctores ibidem citatos.

DE GRAUITATE

Hujus Delicti, & Obligatione Confessarii.

1 GRave profectò scelus est subdola testamentorum suppressio, gravius, ac perniciosius, quàm neglecta legatorum solutio. Siquidem ad horum solutionem incuriosi, ac pervicaces hæredes compelli possunt, & sępè compelluntur tùm à Judice Ecclesiastico, tùm Seculari: cùm

cùm judicium hujus jurisdictionis sit mixti fori, deturque locus præventioni: sicuti notavit Abb. in *cap. si hæredes* n.3. In dolosa verò testamentorum suppressione interclusa manet omnis via vrgendi hæredes ad exequendas ultimas voluntates, succurrendique miseris defunctis. Ideòque penitùs defraudantur Ecclesiæ, ac loca pia; defraudantur legitimi hęredes, ipsique miseri defuncti, omni auxilio destituti, cum maximo horum spirituali, illorum verò temporali damno, & detrimento.

Hinc testamenta occultantes crimine falsi teneri, docent Bart. in l. *testam.* & ff. de falsis, & in l. *sub prætextu cod. de transf.* & Lud. Bol. in l.2.§. *si quis dolo malo*. Quas juris constitutiones licèt Doctores potissimùm intelligant de Notario, & persona publica: Nihilominus de omnibus testamenta occultantibus esse intelligendas, constat ex l. *Qui testamentum*, quæ universaliter de omnibus loquitur. Quamobrem cùm plura in uno catenentur delicta, pluribusque ex hac fraude, ac deceptione proveniant damna, ut ea evitentur, vigilantissimus Episcopus, & Legislator sapientissimus hunc casum reservatorum indici adiicere, ejusdemque tum judicium, tum supplicium jure meritò sibi reservare decrevit.

Confessarius igitur absolvendi à reservatis facultate munitus, qui hęredem vel incuriosum, vel subdolum, in curando, ut clausę testatorum tabulæ aperiantur, repererit, in primis ipsi aperiat, quàm grave delictum committat; illumque urgeat, ac inducat ad pręstandum, quod debet, circa aperitionem, & impletionem testamenti. Quod si hęres ante absolutionem id pręstare nequeat, pręmissa cautione saltem juratoria illud, faciendi quamprimùm aperiri; item restituendi, si opus fuerit, quod ad veros hęredes, & legatarios pertinebit, cum fructibus, & emolumentis, quę à die mortis testatoris percipere poterant, à Confessario privilegiato poterit absolvi, sicuti constat, ex illa particula. *Conceditur præmissa, &c. quoad tabulas testamentarias cautione, &c.* in concessione facultatis cum limitatione opposita.

Confessarius verò simplex si quem pœnitentem in hunc casum incidisse deprehenderit, grauitatem delicti, cujus judicium, transanctis sex mensibus, Episcopo reservatur, illi patefaciat. Insuper illum de obligatione curandi, ut quamprimùm testamentum aperiatur, in eoque disposita executioni mandentur, certiorem faciat, atq; ad id faciendum inducat. Quoties verò in mora illum culpabili existere compererit, quacumque promissione, vel cautione pręmissa, nullo modo absolvat. Alioquin, pręter nullitatem absolutionis, incurret pœnas, in pręsumentes absolvere à casibus Episcopo reservatis, sine ipsius licentia, inflictas: de quibus latè superiùs post Edictum casuum in Diœcesi Brixiensi reservatorum.

Vtrùm autem hęres, qui in culpabili mora extitit, si postmodum testamentum aperiri curaverit, tali aperitione facta, à Confessario simplici possit absolvi, vide supra annot.9. n.25.

IN DECIMVM Casum Reservatum.

In Edicto sub hac litera expressum.

Omissio restitutionis incertorum vltra sex menses, quæ injustæ retinentur: quoties viginti librarum parvarum summam excedunt.

ANNOTATIONES.

1 *Hujus casus reservatio valdè differt à casu in antiqua reservatorum tabella expresso.*
2 *Bona incerta, vacantia, & derelicta sunt diversa.*
3 *Quænam sint bona vacantia.*
4 *Quænam bona derelicta.*
5 *Quænam propriè dicantur bona incerta.*

6 *Li-*

6 *Litera reservationis non comprehendit bona vacantia, & derelicta.*

7 *Bona incerta triplicia, alia ex delicto, alia ex contractu; alia ex inventione, vel inventa.*

8 *Sub dispositione juris reservantis veniunt omnia incerta, sed potissimum ex delicto acquisita.*

9 *Incerta ex contractu, vel inventa, alia justè, alia injustè comparata.*

10 *Reservatio intelligitur tantùm de incertis ex contractu, vel inventione injustè retentis.*

11 *Incerta, quorum Dominus ignoratur, an in pauperes, vel alia pia opera sint convertenda,* Refertur duplex sententia.

12 *Quid de incertis justo contractu aquisitis.*

13 *Incerta ex contractu quandonam restitutioni sint obnoxia.*

14 *Omissio restitutionis, alia culpabilis, alia inculpabilis.*

15 *Reservatio intelligitur de omissione restitutionis mortaliter culpabili.*

16 *An inopia excuset à restitutione incertorum ex delicto acquisitorum.*

17 *Quid si debitor postea ad meliorem fortunam redeat.*

18 *An pauper propria auctoritate incerta sibi applicare possit.*

19 *Excusatur à reservationis pœna, qui ob impotentiam omittit restituere incerta.*

20 *An pauper, cui ritè applicata fuerunt incerta, si postea Dominus compareat, teneatur restituere bona sibi applicata.*

21 *Negativæ sententiæ adhærent non pauci.*

22 *Affirmativam probabiliorem putat auctor.*

23 *Omissio restitutionis incertorum, quæ injustè retinentur, reservationi non est obnoxia, nisi ultra sex menses culpabiliter fuerit dilata.*

24 *Reservatio hujusce culpabilis omissionis non habet locum, nisi incerta injustè retenta viginti librarum parvarum summam excedant.*

25 *Debitor, qui fuit in mora culpabili restituendi incerta, si postmodum effluxis sex mensibus ea restituat, an liber maneat à reservatione.*

26 *Negativam sententiam nonnulli sustinent.*

27 *Auctor in proposito casu cum distinctione procedit.*

28 *Confessarius simplex neque licitè, neque validè morosum incertorum debitorem valet absolvere.*

29 *Confessarius absolvendi à reservatis facultate munitus incertorum debitorem, si alias sit rectè dispositus, potest absolvere: eorumdem tamen applicatio ab ipso fieri nequit, quoties decem aureorum summam excedunt: si tamen fieret, illicita quidem, & detestabilis, valida nihilominus existeret applicatio.*

30 *Incertorum debitor, etsi valdè expediat, ut in eorumdem restitutione utatur consilio Episcopi; nihilominus si ea ultrò pauperibus distribuat, tali restitutione facta, videtur liberari à reservatione.*

ANNOTATIO I.

1 Hic casus valdè differt à casu incertorum in antiqua reservationis tabella expresso, ut licet videre tum ex Zecco cas. 7. Tùm ex libello constitutionum Ecclesiæ Brixiensis, *pag. mihi* 82. post varia Edicta. Nam apud Zeccum l.c. hujus casus reservatio lata erat in hæc verba. *Casus restitutionis rerum, quæ incertum est quibus restitui debent.* In libello verò constitutionum sub istis. *Qui res alienas summam duorum aureorum excedentes, quarum Dominus ignoratur, post factam diligentiam de vero Domino inveniendo, adhuc detinere persliterint.* Quorum casuum reservatio conveniebat in hoc quòd utraq comprehenderet non solùm res incertas fraude acquisitas, sed etiam quæ ad manus alterius devenissent citra ipsius culpã, quales sunt res inventæ. Differebat verò ex hac parte, quòd prioris casus reservatio caderet etiam supra judicium à Cõfessario, vel Pœnitente faciendum, quibus adimebat facultatem distribuendi res incertas, sive hæ casu inventæ, sivè dolo sublatæ essent; quod jus posterius reservans non disponebat, sed reservabat tãtùm detentionem quorumcumque incertorum, sum-

summam duorum aureorum excedentiũ. Longè ab utroque recedit casus incertorum à summa prudentia, & providentia Amplissimi Episcopi Brixiensis hodie propositus, ut patet ex litera, qua damnatur, & reservatur tantùm omissio restitutionis incertorum, & non omnium, sed limitatur ad ea, quæ injustè retinentur, & extenditur tantùm ad summam, quæ viginti librarum patvarum valorem excedit. Quoad Confessarium verò, ipsi non adimitur facultas applicandi res incertas, nisi quoties summam decem aureorum excedant; quo casu consensum, & facultatem Ordinarii requirere debet.

ANNOTATIO II.

2 Quocirca notandum est hæc tria, bona vacantia, bona derelicta, & bona incerta valdè inter se differre.

3 Nam bona vacantia dicuntur, quæ supersunt post mortem, non relictis hæredibus, nulloque testamento condito: quę si sunt laicorum bona, & deficiant hæredes intra decimum gradum, spectato jure civili communi, ad fiscum devolvuntur: ut constat *ex leg. Vacan. eod. de bon. vacan.*

4 Bona derelicta dicuntur, quæ à propriis Dominis deseruntur, sine intentione ampliùs ea recuperandi. In quorum tamen numerum non veniunt ea, quæ in periculo naufragii dejiciuntur in mare: dummodò ea vel ex conjecturis, vel suapte natura pro derelictis non habeantur. Graff 1.par. decis. aur. lib.3.c.8. n.9.

5 Bona verò incerta dicuntur, quæ vel nunquam habuerunt dominum, ut gemmæ, & lapilli in maris litore: vel quę dominum quidem habuerunt, sed nunc domino carent, ut thesauri dudum repositi, quorum domini, eorumve hæredes mortui, aut incogniti sunt: vel quę dominum quidem habent, sed ignotum; uti sunt bona inventa: vel quę debentur ex delicto, aut contractu, quorum tamen dominus, vel creditor ignoratur. Qua de re vide Lessium lib.2. cap.14. num.38. & cap.5. dub.12. Molinam tom.3. tract.2. disp.54. Layman lib 3. sect.5.tract.1.cap.5.num.21. q.13.

6 Litera igitur non loquitur de bonis vacantibus, derelictis, sed de bonis incertis: neque de omnibus incertis, sed de iis quæ impræsentiarum habent dominum, sed ignotum.

ANNOTATIO III.

7 Cœterùm notandum est, quòd incerta, quorum Dominus ignoratur, tribus modis possunt esse acquisita, vel ex delicto, v.g. furto, usura, rapina, &c. vel ex contractu, v.g. emptione, conductione, mutuo, deposito, &c. vel ex inventione, quia scilicet publico loco inventa sunt.

8 Modò juris reservantis dispositio intelligenda est de rebus incertis ex delicto, & injusta acceptione acquisitis, quarum Dominus ignoratur; ita tamen, ut extendatur etiam ad incerta ex inventione, aut contractu comparata, si illa pariter injustè acquisita sint; & consequẽter etiam injustè retineãtur. Pro quo.

ANNOTATIO IV.

9 Notandum, quòd incerta ex contractu, & bona inventa rursus duobus modis possunt esse comparata; vel justè, vel injustè. Justè si debitor ex contractu, vel inventor sufficientem adhibuit diligentiam pro inveniendo Domino, debito, loco, & tempore, & à quibus ratio dictavit, Dominum agnoscit posse iniustè verò, si vel nullam, vel non sufficientem adhibuit diligentiam pro Domino inquirendo, vel non debito loco, & tempore, judicio prudentis, pro rei qualitate: Ideòque Dominus culpabiliter nunc ignoratur.

Adverte tamen quòd si veri Domini inventio esset moraliter impossibilis, non teneretur detentor, vel inventor diligentiam adhibere, sed deberet penes se rem incertam asservare, donec debitum elapsum sit tempus prudentis judicio, pro rei qualitate, ut supradictum est: quo elapso, Dominoque non comparente, posset eam pauperibus distribuere.

10 Sub juris igitur reservantis dispositione, quod attinet ad incerta ex contractu, vel inventa, censeo comprehendi tãtùm

tùm injustè retenta, nimirùm illa bona incerta, ad quorum Dominum, vel hæredes inveniendos nulla per detentorem, vel inventorem adhibita est diligentia, vel non debito loco, tempore, & à quibus ratio dictavit, Dominum agnosci posse, juxta supradicta: Ideòque injustè retinentur.

11 Nam quamvis communis sit Doctorum sententia, bona inventa, quorum Dominus ignoratur, danda esse pauperibus, vel ad capsam incertorum deferenda, juxta consuetudinem locorum, vel præcepta Ordinariorum: dummodo priùs adhibita fuerit sufficiens diligentia, pro Domino inveniendo, & Dominus non fuerit inventus: quę sententia in praxi est consulenda. Nihilominus plurimi etiam, & gravissimi Doctores, ut P.Nav. lib.4. c.2.n.75. Sotus lib. 5. q.3. art.3. Arragon. q.62. art.5. Lessius lib.2. c.14. dub. 6. nu.48. Dian. p.2. tract. 3. resol. 5. Layman lib.3.tract.1.c.5.n.2. Escobar tract.3.exam. 2.c.3. probabiliter docent inventorem rei incertæ, cessante lege, & secluso Superioris præcepto, vel consuetudine vim legis obtinente, posse post sufficientem adhibitam diligentiam res inventas retinere cum onere restituendi, quando Dominus comparuerit, si res adhuc extet; non autem si consumpta sit, neque consumptor inde factus sit locupletior: Quia hujusmodi bona post adhibitam sufficientem diligentiam perinde se habent, ac si nullum haberent Dominum, fiuntque primi occupantis.

12 Idem docent de bonis incertis justo contractu aquisitis, V.g. deposito, commodato, mutuo, venditione. Nam etsi piorum sit persuasio, ea in pia opera eroganda esse: tamen probabile etiam est, ea posse tanquam adepta, post diligentem inquisitionem retineri: Sicuti docent P.Nav. lib.4.c.2.n.46. Layman lib.3. tract. 4. capit. 9. num. 1. Lessius lib. 2. cap. 14. num. 38. maximè si in eo loco nullum extet decretum de hujusmodi bonis ad capsam incertorum deferendis. Quia incertorum bonorũ restitutio facienda non est jure naturali, aut Divino, sed tantùm jure positivo, sicuti fatentur Sotus, Covar. Medina, Lessius, quos citat, & sequitur Layman loc.cit. Atqui jus Ecclesiasticum solùm præcipit, ut quæ injustè acquisita sunt, puta per usuram, si propriis Dominis restitui non possint, in pauperes, vel alias pias causas erogentur, præterquam si lex particularis Episcopi, vel consuetudo loci aliud pręcipiat.

13 Propterea cùm in Brixiensi Diœcesi nullum extet decretum, vel consuetudo vim legis obtinens, quæ obliget ad hujus generis incerta, vel pauperibus distribuenda, vel ad capsam incertorum deferenda: Idcircò eo casu si non injustè à possessore retinentur, neque juris reservantis dispositioni erunt obnoxia.

ANNOTATIO V.

14 Sed ulteriùs notandum est, quòd omissio restitutionis incertorum, quæ injustè retinentur, potest esse vel culpabilis, vel inculpabilis. Culpabilis si detentor, vel inventor nullo, vel physico, aut morali detineatur legitimo impedimento, quominùs incerta injustè à se retenta pauperibus, vel piis locis distribuere possit: inculpabilis verò, si laboret impotentia: ut si prematur gravi necessitate, vel non possit restituere, nisi cum detrimento famę, aut status justè acquisiti. Nam impotentia, & actualis restitutio pares sunt saltem in ordine ad excusandum à culpa, & reservatione tali culpæ adnexa. Ita Petrus Nav.lib.4.c.4.n.40. Molin.tr.2. tom.3.post disp.754. Layman lib.3.tract.2. c.12. n.1.& 2.

15 Litera igitur reservationis accipienda est de omissione restitutionis incertorum injusta, injuriosa, & mortaliter culpabili: Nam reservatio prerequirit culpam mortalem, ut sępè dictum est, & communiter docent Doctores.

16 Nec refert ad excusationem ob impotentiam, etsi incerta hujusmodi ex delicto fuissent acquisita: Nam tunc etiam tàm à peccato, quàm reservatione excusaret impotentia; eò quòd obligatio restituendi pauperibus incerta injustè acquisita, secundùm probabilem multorum Doctorum sententiam ex jure Ecclesiastico proveniat, quod magna cum severi-

tate non obligat, teste P. Navar. loc. cit. n 50.& Layman loc.cit.n.3.

17 Quare valdè probabilis est sententia Lessii lib.2.cap.4. dub.64. Cajetan.2.2. q.62. art.5. Vasquez de restitution. cap.5. dub.1. num.1. Petri Navar. lib.4. cap.2. n. 53. Molin. tract. 2. tom.3. post disp. 747. num.1. quos sequitur Layman. loc.cit. in tali casu obligationem restituendi pauperibus incerta non suspendi tantùm, sed omninò sopiri; adeò ut tametsi postea debitor ad pinguiorem fortunam redeat, nihil pauperibus restituere teneatur. Quia debitor, ut supponitur, verè pauper est: Ideòque ea sibi retinendo, verè dicitur distribuere pauperibus, juxta generalem Summi Pontificis, & ignoti domini intentionem.

18 Addo, communem esse Doctorum sententiam Scoti in 4. dist. 15. quæst. 2. art.4. Medin. cod. de restit. q. 3. causa 10. §. esto igitur. Navar. de redd. Ecclesiast. quæst 3. monito.25. & man. cap.17. num. 93. P.Navar. lib.4. cap.2. num.53. Molin. tract.2. tom.3. post disp.747.num.1. Lessii lib. 2. cap. 14. dub.6. num. 41. quos sequitur Layman lib.3. tract. 2. cap. 12. n.3. pauperem bona incerta habentem posse ea sibi applicare, cùm ipse non debeat esse pejoris conditionis, quàm alii pauperes. Quod verum est (ait Lessius cit.) etiamsi ea fuissent ex delicto acquisita, licèt ratione delicti commissi mereatur iisdem privari.

19 Resolvendum igitur est, omittentem restituere pauperibus incerta ex impotentia, vel paupertate, nulla ligari reservatione: imò ea sibi applicare, plenoque dominii jure acquirere posse.

ANNOTATIO VI.

20 Sed hinc oritur difficultas: num pauper, qui sibi applicavit rem incertam, si post applicationem inveniatur rei dominus ad illius restitutionem teneatur?

21 Respondent Azor. 3.p.lib.4.cap.25. Henriq. lib.7.c.34.num.6. Vasq. de restit. c.5.§.4.d.1.& 4. Bonac.de restit.q.3 punct. 4.n.18. pauperem, cui post adhibitam sufficientem diligentiam ad inveniendum Dominum, expectatoque debito tempore applicata fuere, vel sibimet applicavit incerta, reperto postea Domino ad nihil teneri; non ratione injustæ acceptionis, quia purgata fuit culpa, per diligentiam adhibitam ad inveniendum Dominum, neque ratione rei acceptę, quia acquisivit dominium, rei sibi applicatę. Et hæc opinio est probabilis.

22 Cœterùm probabilior videtur sententia Molin tom.3.disp.747.n.4. Filliuc. tract.32. cap. 4. num. 99. Silvii 2. 2 qu.62. art.5.quęsit.5. concl.2. Lessii lib.2. cap.14. dub.6.num.43. asserentium, teneri pauperem eo casu restituere rem incertam sibi applicatam, si adhuc extet apud ipsum in specie, vel in pretio: Ideòque factus sit ditior. Quia distributio incertorum semper fit cum tacita conditione, si non compareat Dominus, antequam illa consumpta sint. Secùs dicendum; si rem incertam pauper jam consumpsisset, vel alienasset, etiamsi apud alterum, cui pauper tradidisset, extaret, neque ex alienatione, vel consumptione factus sit locupletior. Vide Layman lib.3. sect.5. tract. 1.c.5. n.24.

ANNOTATIO VII.

23 Amplianda est assertio supra dicta, ut tametsi injustus incertorum detentor pauperie non impediatur, neque impotentia laboret, ideoque in mora culpabili existat in reservationem tamen non incidat, nisi ultra sex mensium spatium à die contractæ obligationis incertorum, quæ injustè retinet, restitutionem differat: Sicuti clarè constat ex verbis reservationis. Quo casu etsi fortè injuriosus debitor nõ excusaretur à mortali culpa, si cessante omni impedimento eorumdem restitutionem negligat; eximeretur tamen ab hac reservatione, quę non habet locum, nisi effluxo sex mensium spatio. Quod præter expressum in jure reservante terminum, Confessariorum in Diœcesi Brixiensi usus, & praxis confirmat.

24 Præterea circa istius casus reservationem Confessariis ignorandum non est, ad incidendum in casum non sufficere,

ne, quòd injustus incertorum detentor in mora culpabili ea restituendi existat, aut eorumdem restitutionem ultra sex menses culpabiliter differat: sed insuper requiritur, ut valor incertorum, quæ injustè retinentur, viginti librarum parvarum summam excedat. Alioquin injustus detentor eo casu, si minùs à mortali crimine, certè immunis erit à reservatione: quod clarè constat ex ea particula. *Quoties viginti librarum*, &c. quæ novissimè præalto consilio isti casui addita fuit. Ea enim Sapientissimi Legislatoris lenitas est, ac prudentia, ut tùm sex mensium concessione ad restituendum, tùm viginti librarum valoris exceptione hujus casus voluerit moderari rigorem. Quare si pœnitens incerta injustè retenta vel tunc restituat, vel cùm commodè poterit se restituturum promittat, si aliàs sit rectè dispositus, per Confessarium simplicem poterit absolvi, quoties illorum valor viginti librarum summam non excedit.

ANNOTATIO VIII.

25 Major difficultas est: an qui fuit inculpabili mora restituendi incerta, viginti librarum parvarum summam excedentia, si ante Sacramentalem confessionem ea ultrò pauperibus distribuat, an inquam, in tali casu extra telum reservationis exitat.

26 Negativè respondet Bonac. de restit. disp. 1. quæst. 3. punct. 4. num. 20. cui subscribit Mazuchell. de cas. reser. disp. 2. cap. 13. diffic. 8. quæst. 3. num. 54. sustinentes eo casu durare adhuc reservationem, etiamsi facta, sit incertorum restitutio. Quod probant tùm ex decreto Synodi XI. Mediolanensis, tùm ex praxi in eadem Mediolanensi Diœcesi recepta.

27 Cæterùm quidquid sit de allegata praxi, & decreto Synodi XI. (quibus nixus Mazuchellus Bonacinæ sententiæ subscribit) ea nullam vim habent in hac Brixiensi Diœcesi, quæ non subest Synodis Diœcesanis, sed Conciliis tãtùm Provincialibus Mediolani celebratis, quæ de hac re nihil statuunt. Quare magis placet sententia, quæ in hac incertorum distributione procedit cum distinctione circa ordinem Confessariorum, & similiter circa Confessarios, & debitores ipsos: quæ distinctio distinctis assertionibus breviter est explicanda.

28 Dico igitur primò, si incerta, quæ injustè retinentur, viginti librarum parvarum summam excedant, sexque mensium spatium effluxerit, debitorem, qui est in mora restituendi præmissa quacumque promissione, seu cautione: imò licèt in ipso Sacramentalis confessionis actu ea restituere velit, à Confessario simplici, non obtenta priùs facultate ab Episcopo, neque validè, neque licitè posse absolvi. Quia tum absolutio, tum restitutio, seu applicatio incertorum injustè acquisitorum in Sacramentali confessione facienda, quoties ea viginti librarum parvarum summam excedunt, est Episcopo reservata: sicuti constat tum ex litera reservationis, tum ex concessione facultatis absoluendi ab hoc casu cum limitatione, & tradit Navar. in man. cap. 17. nu. 92. Et in hoc casu, & sensu (ait Navrrus) defendi potest consuetudo Episcoporum, qui restitutionem incertorum sibi reservant.

29 Dico secundò, si incerta injustè retenta summam decem aureorum excedant, Confessariis absolvendi à reservatis facultate munitis integrum esse incertorum debitorem absolvere, si spondeat, vel cautionem præstet ea restituendi, aut illicò ea restituere velit: sed non posse sine gravissima culpa hujusmodi applicare bona sine speciali Episcopi licentia, quoties eorum valor summam decem aureorum excedit. Prior pars assertionis patet ex particula. *Conceditur*, in limitatione facultatis posita. Posterior est illis verbis. *Sed applicatio non fiat*, &c. Quod si tamen Confessarius privilegiatus contra Episcopi prohibitionem, ac mentem temerario ausu applicaret, gravissimè profectò delinqueret, & puniri posset: nihilominùs tã absolutio, quã applicatio valida existeret. Quia illa verba. *Sed applicatio non fiat*, &c. Confessariis privilegiatis facultatem non limitant, sed illis tantùm præceptum imponunt incerta non applicandi sine speciali licentia Episcopi:

scopi: cujus precepti transgressio etsi actum illicitum, ac mortiferum reddat, non tamen invalidum. Nam aliud est actum prohibere, aliud irritare, teste Layman lib. 1. tract. 4. cap 16. num. 3. Faciunt quę habet Sanchez lib. 2. de matrim. disput. 9. & lib. 3. disp. 33. Avila 2. par. cap. 7. disp. 3. dub 9. concl. 2. Lupus de cas. reser. par. 2. cas. 3. §. 1. num. 19. in simili de Confessariis facultate prędiris, absolventibus debitorem legatorum piorum, non prę missa satisfactione, contra pręceptum Episcopi.

30 Dico tertiò, etsi magnoperè expediat, ut incertorum debitor in eorum distributione utatur consilio Episcopi, vel Parochi, aut prudentis Confessarii, quia facilè amor proprius in hoc negotio decipit: si tamen debitor ea ultrò, & per se pauperibus distribuat, tali restitutione prudenter facta, ipsum ab omni reservatione liberari. Et ratio est, tùm quia reservatio in hoc casu non afficit incertorum debitores, sed tantùm Confessarios, ut latè probatum fuit in priori Elucidarii parte Resolutione 22. quibus, si simplices sint, adimit facultatem eos absolvendi; si privilegiati, prohibet applicationem, sine prævio Episcopi consensu: Ergo facta restitutione, sicuti eo casu nulla manet neglecta omissio restitutionis; ita neque reservatio: Tùm quia si, facta restitutione, adhuc duraret reservatio, nihil referret, sive restitutio jam facta sit, exonerataque conscientia, sive non: quod videtur alienum à mẽte Legislatoris, qui hac reservatione censetur voluisse incuriosos debitores ad restitutionem urgere, qui finis primarius est, applicatio verò secundarius. Facta igitur prudenter restitutione, debitor ab omni reservatione immunis censeri debet, & consequenter à contracta culpa per culpabilem moram, si talis fuerit, à quocumque Confessario poterit absolvi. Ita Sylvest. V. restitutio 8. quæst. 6. Navar. cit. cap. 17. n. 92. Molin. de just. disp. 747. num. 4. Henriq. lib. 3. de pęnit. cap. 14. n. 5. Lupus de cas. reser. loc. cit. Lessius lib. 2. cap. 14. dub. 6. nu. 47. Qui addunt, quòd debitor incertorum, quæ injustè retinentur, non potest impediri, quin per seipsum, sine Episcopi, vel Confessarii consilio ea pauperibus distribuat, suamquè conscientiam, prout debet, exoneret: cùm ad id naturali (juxta communiorem DD. sententiam) positivoquè jure, cap. *cùm tu de usur. & cap. cùm sit, de judiciis*, teneatur, contra quod nulla consuetudo potest invalere. Vide Navar. & Lessium ll. cc.

Dices. Pœnitentiariis non licet applicare incerta, quæ injustè retinentur sine speciali facultate Episcopi, quoties decem aureorum summam excedunt, ut constat ex verbis limitativis facultatis absolvendi ab hoc casu: Ergo neque licebit detentoribus, seu debitoribus ipsis.

Respondeo, eam prohibitionem respicere tantùm Confessarios for. asse, ut ea vitentur mala, quæ ex quorumdam Confessariorum vel avaritia, vel inscitia provenire possunt, non verò respicere debitores, quin per se ipsos incerta restituere valeant. Valdè tamen expedit, ut in hujusmodi bonorum distributione utantur consilio Episcopi, vel Parochi, ut superiùs etiam monui.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro Incidentibus.

1 EX pręnotatis statuitur regula generalis. In reservationem incidunt quicùmque Incerta injustè acquisita, & retenta restituere omittunt, quoties eorum valor viginti librarum patuarum summam excedit, sexque mensium spatium à die contractæ obligationis effluxerit.

2 In specie verò resolves, illum reservatione ligari, qui requisito, & non reperto domino, intermittit restituere incerta injustè, hoc est, ex delicto, v. g. furto, rapina, usura, &c. acquisita: dummodo concurrant conditiones in litera expressæ, superiori casu relatæ.

3 Subjacet reservationi, qui, vendendo, vel emendo, fraude adhibita in pondere, numero, vel mensura, summam viginti librarum parvarum excedentẽ collegit, cujus summæ Dominus propter multitudinem ementium omnino ignoratur, si eam deinde ultra sex menses, nulla

nulla excusante impotentia, retineat. Quia hujusmodi summa tali fraude collecta venit nomine incertorum, quæ injustè retinentur.

4 Incidit, qui cùm esset debitor ex contractu, & posset invenire Dominum, adhibere debitam diligentiam neglexit: Ideóque nunc Dominus omninò ignoratur: Quia culpabilis omissio, in requirendo Domino efficit culpabilem detentionem rei alienæ, & detentorem possessorem malæ fidei: Ideòque modò comprehenditur sub nomine rei incertę injustè retentæ: Quod intellige, si ceteræ conditiones ad incidendum requisitæ adsint.

5 Idem resolves de inventore, qui ab initio culpabiliter prætermisit rei inventæ requirere Dominum: Ideòque nunc factus est impotens ad inveniendum Dominum: hujusmodi enim res inventæ veniunt nomine incertorum, quæ injustè retinentur. Proindèque, si valor rei inventæ viginti librarum parvarum summam excedat, post effluxum sex mensium spatium, detentio illius rei utpotè injusta reservationi erit obnoxia.

6 Reservatione afficitur hęres, cui per testatorem relictum est onus restituendi incerta, injustè ab ipso retenta; si post obitum testatoris, & aditam hæreditatem scienter, & culpabiliter omittat ultra sex mensium spatium ea restituere: dũmodò eorum valor viginti librarum parvarum summam excedat. Quia hæres succedit obligationibus realibus testatoris: & nihil refert, an ipse eam contraxerit, vel susceperit obligationem ab alijs contractam restituendi incerta injustè retenta. Nam cùm casus non distinguat, nec nos distinguere debemus.

7 Idem ob eamdem rationem resolves de quocumque alio, qui ex contractu sive gratuito, sive oneroso suscepisset obligationem restituendi supradicti valoris, quę alter injustè retinebat, si culpabiliter deinde ultra sex mensium spatium eorum restitutionem differat. Nam & huic conveniunt verba legis reservantis: cui autem conveniunt verba legis, & ejus dispositio competere debet.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro Non Incidentibus.

1 NOn innodatur casu, qui omittit restitutionem bonorum vacantium, vel quæ pro derelictis habentur: Quia litera reservationis loquitur de bonis incertis, quæ injustè retinentur. In odiosis autem non est facienda extensio.

Pro derelictis autem habentur in mare jacta, quæ suaptè natura sunt peritura, ut saccharum, farina, libri, fructus, metallum, quod propter gravitatem tendit ad profundum, si mare sit ità peraltum, ut non facilè hauriri possit; vel si ex verbis projicientis, aut ex circumstantiis loci, temporis, modi, quo res projectæ sunt, colligatur pro derelictis haberi. Graffeus 1. par. decis. aure. lib. 4. cap. 14. num. 74.

2 Non incidit, qui ommittit restituere res furtivas, vel injustè acquisitas, quarum Dominus non ignoratur: Quia hujusmodi malè ablata non sunt incerta, sed certa, quamvis injustè retenta.

3 Idem resolvitur de eo, qui res alienas, quarum Dominus ignoratur, injustè detinet, quoties probabilem reperiendi Dominum spem habeat: Quia hujusmodi bona malè parta adhuc non veniunt nomine incertorum; & pœnitens à quocumque Confessario absolvi potest, dummodò habeat sincerum animum requirendi Dominum, ipsique, vel ejus loco pauperibus, si Dominus non innotuerit, debito tempore restitutionem faciendi. Molin. disp. 747. num. 4.

4 Non est obnoxius, qui retinet incerta ex contractu acquisita, vel inventa, ad quorum Dominum inveniendum adhibita est debita diligentia judicio prudentis, pro rei qualitate: Quia litera loquitur de incertis, quæ injustè retinentur; incerta aut ex contractu, vel inventa in hoc casu secundùm multorum Doctorum sententiam injustè non retinentur. Quod verum est, nisi Superior præcipiat, ut hujusmodi bona ad capsam incertorum defetantur, quod hucusque in Brixiensi Dię-

cesi non est factum. Vide superiùs annotatione 4. n.11.

5 Reservationi non est obnoxius, qui ante adhibitam debitam diligentiam pro inveniendo Domino, incerta ex contractu, vel inventa proprio arbitrio in pia opera convertit. Nam licèt iste non satisfaciat suæ conscientiæ, sed teneatur postmodum facere competentem diligentiam pro Domino inquirendo, eique reperto de suo restituere, quæ pauperibus non ritè distribuit, ut ex communi docent Lessius lib.2. c.14. n.31. Molina citato disp.747. nu.4. tamen in hoc casu non adest omissio restitutionis, nec vera incertorum conditio. Quia incerta ex contractu, sicut etiam inventa non dicuntur propriè incerta nisi post adhibitam sufficientem diligentiam, debito loco, & tempore pro inveniendo Domino, ipso non reperto.

6 Idem resolvitur de illo, qui incerta ex delicto, præmissâ inquisitione, & non reperto Domino, auctoritate propria in pauperes, aliaque pia opera convertit. Qui debitor incertorum, quę injustè retinentur, non potest impediri, quin ea per seipsum pauperibus largiatur, suamque conscientiam, prout debet, exoneret: cùm ad id teneatur tùm jure naturali (juxta communiorem DD. sententiam) tùm Ecclesiastico, *cap. cùm tu, de usur.* facta igitur restitutione, cessare censetur omnis reservatio. Vide superiùs annotatione octava, numero trigesimo, & Doctores citatos.

7 Non ligatur reservatione, qui rem inventam, pręmissâ sufficienti diligentia, debito loco, & tempore pro Domino inveniendo, & non invento, sibi retinet: eo vel maximè si sit pauper. Quia reservatio Episcopalis non cadit supra dispositionem incertorum respectu inventoris, sed supra lethalem culpam ejusdem inventoris non restituentis incerta, hoc est, inventa, injustè ab ipso retenta: inventa autem in hoc casu non injustè retineri, constat ex annotat.4. num.11. & Doctoribus citatis.

8 Eadem à reservatione immunitas extenditur ad eum, qui omittit restituere incerta injustè, verbi gratia ex furto, rapina, usura, &c. acquisita, si eorum valor viginti librarum parvarum summam non excedat: patet ex litera, quę expresse excipit, & excludit talem summam. Injustus tamen detentor in isto casu non excusabitur à mortali culpa, si nulla suffragetur causa ex iis, quæ à restitutione excusant.

9 Non afficitur reservatione, qui omittit restituere incerta ex delicto acquisita ob impotentiam, v.g. si laboret paupertate tam victus, quàm status, ita ut non possit restituere nisi cum detrimento famę, aut status justè acquisiti: Quia eo casu impotentia sicut excusat ab injusta rei alienæ retentione; sic etiam à reservatione: Vide annot.5. n.16. & Layman l. 3. tract.2. cap.12. n.1. & 2.

10 Idem resolvitur de illo, qui incerta detinens, non est in mora culpabilis detentionis, eò quòd hìc, & nunc adhibeat diligentiam ad Dominum inveniendum, sed nondum invenerit: Quia licèt fortè intercesserit culpa in occupando, non tamen in retinendo. Mazuch. disp.2.c.13. qu.3. n.51.

11 A reservatione censendus est liber manere, qui fuit in culpabili mora restituendi incerta, injustè retenta, sed ante sacramentalem confessionem ea ultrò pauperibus distribuit. Quia litera pręcipuè loquitur, & reservat omissionem restitutionis incertorum, quę injustè retinentur, non verò eorumdem restitutionem, seu distributionem extra Sacramentalem confessionem per debitorem faciendam. Facta igitur restitutione, cessare censetur reservatio. Vide supra annot.7. num.30. & Doctores ibidem citatos.

12 Immunis est tàm à culpa, quàm à reservatione pauper ille, cui⁹, priùs sufficienter requisito, & non reperto Domino, expectatoque debito tempore, applicata fuerunt incerta, si postea, reperto Domino, & re adhuc extante, ea ipsi restituere intermittat. Quod dico secundũ probabilem sententiam, quam supra annot.6. n.20. retuli, cui tàm Confessarius, quàm Pœnitens possent se conformare in praxi. Opposita tamen sententia videtur probabilior, & in praxi consulenda. Vide

Vide prædictam annot.6. & Doctores ibi citatos.

13 Eximitur à reservatione, qui ex applicatione Pœnitentiarii, vel Confessarii absolvendi à reservatis facultate præditi, erogavit in pauperes incerta, quæ injustè retinebat, decem aureorum summam excedentia. Quod verum est, quamvis applicatio hujusmodi facta sit à Confessario sine speciali facultate Episcopi. Constat ex annot.8. nu 29. Gravissimè tamen eo casu Confessarius delinqueret, & pro temerario ausu puniri posset.

Sed quæres: Vtrùm Confessarius, à quo facta est incertorum applicatio ultra decem aureos temerario ausu, hoc est, sine speciali facultate Episcopi, teneatur restituere de suo, eò quòd applicaverit pauperibus, vel locis piis, quæ ex Episcopali prohibitione non poterat.

Respondeo, Confessarium, qui inconsulto Episcopo, applicavit incerta injustè retenta ultra decem aureos, peccasse quidem quam graviter quoad modum applicandi, ut supra dixi, non tamen quoad rem, cùm applicaverit illis, quibus debentur, scilicet pauperibus: & consequenter cùm non deliquerit contra justitiam, sed tantùm contra obedientiam Episcopo debitam, ad nullam teneri restitutionem. Bonacina disp.1. de restit. quæst.3. punct. 4. num.14.

DE GRAVITATE

Hujus delicti, & Obligatione Confessarii.

1 QVàm grave delictum admittat, qui retinet incerta injustè acquisita, cùm ea sine magno incommodo, & difficultate restituere possit, ex eo licet conjicere, quod hic casus plerisque locis Episcopali reservationi est obnoxius: reservarique non soleant, nisi graviora delicta.

Confessarius propterea, qui noverit pœnitentem gravari obligatione restituendi incerta injustè retenta, illumque in culpabili mora existere, gravitatem criminis in primis illi aperiat, patefaciatque injustum rerum incertarum detentorem pari gressu cum furibus ad tartarea decurrere supplicia.

Quod verò attinet ad praxim circa absolutionem ab hoc casu, Confessarius simplex, qui pœnitẽtem repererit hoc casu irretitum, caveat, ne illum absolvat, nõ obtenta priùs facultate ab Episcopo, vel ejus Generali Vicario; alioquin, præter nullitatem absolutionis, incurret pœnas, in Confessarios à casibus Episcopo reservatis sine ipsius licentia absolventes inflictas; de quibus supra post Edictum casuum in Diœcesi Brixiensi reservatorum. Neque injustus incertorum detentor potest absolvi, quamvis se restituturum promittat: Imò licèt in ipso Sacramentalis confessionis actu incerta hujusmodi velit restituere. Quia tum absolutio, tum applicatio incertorum injustè acquisitorum in Sacramentali confessione facienda, quoties vinginti librarum parvarum summam excedunt, est Episcopo reservata; ut constat ex litera, & ex supradictis annot.8.n.28. Si tamen Pœnitens ipse rem incertam, injustè acquisitam ultro, & prudenter pauperibus jam distribuit, beneficium absolutionis à Confessario simplici poterit obtinere: cùm facta restitutione, probabile sit reservationem cessare: qua de re vide superiùs præcitatam annotat.8. n.30. & Doctores ibid. allegatos.

Vicariis verò Foraneis, seu Pœnitentiariis minoribus licèt respectu hujus casus sibi non limitetur facultas quoad absolutionem, sed tantùm quoad licitam applicationem, quoties incerta injustè retenta summam decem aureorum excedunt; nihilominus nec ipsis licet absolvere pœnitentem culpabiliter restituere incerta omittentem. Tùm quia Pœnitens non præsumitur eo casu rectè dispositus: Tùm quia agerent contra præceptum Episcopi in re gravi. Si tamen cognoverint, pœnitentem sincerum habere restituendi animum, vel debitam cautionem præstet, poterit absolvi. Nam saltem pro his casibus deservire debet illud, *Conceditur*, in limitatione facultatis absolvendi ab hoc casu appositum, ne videatur gratis additum, quod non est dicendum. Vide prædictam annot.8 nu.29.

Ad-

Advertant tamen, & Pęnitentiarii ipsi, ne vel res incertas applicent pauperibus, vel ipsi detentori tamquam pauperi, ante pręmissam sufficientem diligentiam, pro Domino inveniendo. Item ne incertorum applicatio ab ipsis fiat, quoties eorumdem valor decem aureorum summam excedit, non obtenta priùs facultate ab Episcopo: alioquin graviter delinquerent contra pręceptum Episcopi, & puniri possent: Sicuti etiam supra monui, annot. 8. n. 29.

Rejiciant porrò Pœnitentes eos, qui spondent Confessario, se semper deprecaturos Deum pro illo cujus est res incerta. Non enim preces pro pretiis, hoc est, pro rebus dandę sunt; sed semper fieri debet rei incertę injustè retętę debita restitutio.

Finis Posterioris Elucidarii partis.



ELVCIDARIVM CASUUM RESERVATORVM

HOC EST,

Nonnullorum Criminum graviorum, quæ plerisque locis Episcopo reservantur,

DILUCIDA EXPOSITIO.

Eadem concinna Methodo digesta, resolutivaque Praxi illustrata.

Labor, & industria, de Confessariis aliarum Diœcesium benemerendi gratia, ab eodem Authore suscepta, iisdemque non parùm profutura.



VENETIIS, M. DC. XCII.

Apud Antonium Bortolum.

SVPERIORVM PERMISSV.

LECTORI BENEVOLO.



Iraberis fortassè, Lector benevole, quod bipartito Elucidario, alteri selectarum de jure reservante resolutionum, posteriori casuum in Diœcesi Brixiensi reservatorum, hìc aliorum etiàm casuum expositionem adjecerim, eò vel maximè, quòd impræsentiarum hæc delicta in Episcopatu Brixiensi non sunt reservata. Sed præsto est mea excusationis æquitas. Nam cùm probè animadverterim, præter casus, quos sibi reservat Brixiensis Episcopus, complures alios plerisque locis, potissimùm verò hos quinque, Episcopo reservari: Idcircò, ut de Confessariis etiam aliarum Diœcesium benemererer, hunc laborem suscepi. Accedit, quòd processu temporis accidere potest, ut hæc eadem flagitia, utpotè graviora, in Diœcesi etiam Brixiensi Episcopali Reservationi subjiciantur: Proindeque horum explicationem adiicere, ac edicere non abs re duxi. Hunc igitur alium laborem, licèt ad Cleanthis lucernam non elaboratum, ut perbenignè accipias, ac perpensè legas, te etiam atque etiam rogo, tibique suadeas, me in istorum casuum dilucidatione non inhiasse laudi, vel gloriæ, quæ stimulos scribentibus ingerit, sed Confessariorum dumtaxat studuisse commodo, ac utilitati. Vale, & fruere.

Casus

Casus plerisque locis Episcopali Reservationi obnoxii, qui hic dilucidantur, sunt sequentes.

I.

Blasphemia in Deum, aut Sanctos prolata.

II.

Nefandum Sodomiæ peccatum.

III.


Coeuntes cum Brutis.

IV.

Stuprum Virgini per vim illatum.

V.

Notarii legata Pia intra duos menses à morte Testatoris non denunciantes.



Si

Si in aliqua Diœcesi reservatio fieret his verbis.

Blasphemia in Deum, aut Sanctos prolata.

Quomodo intelligenda essent hæc verba.

1 *Quid sit blasphemia.*
2 *Blasphemia duplex; alia oris, alia cordis.*
3 *Blasphemia cordis excluditur à casu.*
4 *Blasphemia oris, alia publica, alia occulta, & an utraque reservationi sit obnoxia.*
5 *Nonnulli sententiam negativam sustinent.*
6 *Affirmativam probabiliorem putat author.*
7 *Blasphemia verbis expressa duplex; hæreticalis, & simplex.*
8 *Quænam sit blasphemia hæreticalis.*
9 *Blasphemia hæreticalis ita nuncupatur, non quòd cum hæresi necessariò sit conjuncta, sed quia blasphemum de hæresi suspectum reddit.*
10 *Quænam sit blasphemia simplex.*
11 *Blasphemia simplex an sub reservantis juris dispositione sit comprehensa.*
12 *Blasphemia alia in Deum, alia in Sanctos, & an utraque sit ejusdem speciei.*
13 *Regula generalis pro dignoscendo, quando committatur peccatum blasphemiæ.*
14 *An in signis, vel factis Deo contumeliosis ratio blasphemiæ consistere possit.*
15 *Blasphemia ratione parvitatis materiæ an à mortali culpa possit excusari.*
16 *An ob ignorantiam, venialis fieri possit blasphemia.*
17 *Quid de blasphemia inadvertenter prolata.*
18 *Varii modi blasphemias in Deum jactandi.*
19 *Blasphemia per jocum in Deum prolata an imputetur ad culpam reservationique sit obnoxia.* Refertur duplex sententia.
20 *Quid de blasphemia ex indignatione, vel in rixa emissa.*
21 *In ebrietate an possit committi peccatum blasphemiæ. Nonnulli affirmant.*
22 *Sententia negans videtur probabilior, & sustinenda.*
23 *Blasphemia indeliberata, sed ex prava consuetudine orta, an culpæ mortalis sit damnanda.* Refertur duplex sententia.
24 *Blasphemia ex prava consuetudine proveniens, an & quando censenda sit sub dispositione casus comprehensa.*
25 *Audiens blasphemum an teneatur illum denunciare.*
26 *Quandonam quis censendus sit blasphemus consuetudinarius.*
27 *An antequam homo blasphemus denuncietur, præmittenda sit correctio fraterna.* Refertur duplex sententia.
28 *In crimine hæresis formalis, criminosus absque ulla prævia monitione est denunciandus.*
29 *Hæreticus formalis etiam si uni tantùm innotescat, spesque emendationis affulgeat, denunciari debet S. Officii Inquisitoribus.*
30 *In delictis ab hæresi formali distinctis, quando non sunt publica, an præmittenda sit correctio fraterna. Nonnulli affirmant.*
31 *Opposita sententia quoad blasphemos hæreticales omninò est vera, & in praxi sequenda*
32 *Assuetus in Deum, vel Sanctos passim jactare Blasphemiam, an sit absolvendus.*
33 *Blasphemiæ hæreticales quomodo, & quando, quoad absolutionem ad Episcopum spectent.*

ANNOTATIO I.

1 Blasphemia, secundum suam rationem formalem, est locutio falsa in Deum, aut Sanctos per modum convicii, seu contumelię. S. Thom. 2.2. 2 quęst. 13. art. 1. Bannes ibidem. Suarez tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 4. n. 1. Dicitur locutio, ut comprehendat blasphemiam mentalem, & vocalem. Siquidem blasphemia committi potest etiam solo corde, de qua infra.

Dicitur falsa, quia omnis blasphemia aliquid falsitatis involuit, vel in actu signato, vel in actu exercito, hoc est, vel secundùm rem significatam, vel secundùm modum significandi. Secundùm rem significatam, ut si de Deo affirmetur, vel quod illi non convenit, vel negetur, quod ei cònvenit, vel tribuatur creaturę, quod proprium est Dei. Secundùm modum verò significandi, ut si verè Deo aliquid dicatur, quod illi convenit, sed per modum convicii.

Dicitur contra Deum, vel Sanctos, quia blasphęmia semper tangit Deum, vel immediatè, cùm quis directè blasphemat Deum, vel mediatè, cùm quis blasphemat sanctos; quatenus Sancti sunt, sive cum habitudine saltem virtuali ad Deum. Vide S. Thom. cit. Navarr. in man. cap. 12. num. 81. Sanchez lib. 2. mor. cap. 32. num. 6. Valent. 2. 2. disput. 1. q. 13. punct. 1. Tolet. lib. 4. cap 13. Filliucius tract. 25. num. 8. Laym. lib. 4. tract. 10. cap. 6. num. 10.

ANNOTATIO II.

2 Exinde colligitur, quòd blasphemia directè, & formaliter opponitur laudi Dei. Verùm notandum est, quòd sicuti laus Dei est duplex, alia interna, sive mente conclusa, altera externa, sive ore prolata; ita etiam duplex est blasphemia, alia cordis, altera oris. Blasphemia cordis dicitur ea, quę mente tantùm concipitur, & retinetur: oris verò, quę verbis etiam exprimitur. S. Thomas, Sanchez, & Layman loco citato.

3 Cœterùm quamvis blasphemia cordis, sive mentalis, si adsit plena advertentia rationis, & consensus voluntatis, eamdem malitiam contra virtutem Religionis contineat saltem intensivè, ac si ore prolata esset, ideoque possit esse gravis, & hęreticalis; Episcopali tamen reservationi non censetur obnoxia, quoties externo actu, hoc est, locutione, & verbis nō fuerit expressa, & consumata. Quia, ut sępè dictum est, reservatio intelligitur de actibus exterioribus patefactis, & consumatis, nisi aliter disponat litera reservationis, vel constet de mente Episcopi reservantis: sicuti ex communi docet Graff. p. 1. decis. aur. lib. 2. c. 13. n. 71. Finell. de cas. reser. cas. 3. n. 19.

ANNOTATIO III.

4 Porrò cùm blasphemia verbis externis prolata possit esse duplex, vel publica, vel occulta: oritur difficultas, an non tantùm publica, sed etiam occulta, hoc est, coram duobus, vel tribus prolata, sub reservantis juris dispositione, ut in terminis casus, sit comprehensa.

5 Negant Nav. in man. cap. 27. n. 262. Chapeav. de cas. reser. cap. 5. qu. 2. Vival. de absolut. sacram. nu. 53. Barbos. de officio, & potest. Episc. alleg. 15. n. 105. & alii, asserentes blasphemiam tantùm publicam Episcopo reservari, ab occulta verò quemlibet Confessarium absolvere posse.

6 Sed horum Doctorum sententiam non habere locum, ubi in edicto Episcopali Blasphemia etiam hęreticalis reservationi subjicitur, uti fit in casu proposito, rectè notat Lazarius de blasphemia q. 10. n. 6. post Graffium, quibus subscribit Lupus de cas. reser. p. 2. casu 11. n. 31. Tùm quia lex generaliter loquens, generaliter est intelligenda: Tùm quia ita servat praxis Ordinariorum (à quorum mente pendet reservatio) in concedenda facultate, & Confessariorum in impendenda absolutione à casu blasphemię, ubi talis delicti reservatio sub hujusmodi terminis generalibus est inducta, teste Lazario, Lupo, Graffeo, loc. cit.

A N-

ANNOTATIO IV.

7 Cœterùm notandum, quòd blasphemia verbis expressa subdividitur in hæreticalem, & simplicem.

8 Blasphemia hæreticalis est illa, quæ continet errorem contra fidem, vel qua aliquid asseritur contra aliquem ex articulis fidei. Quod tripliciter fit. Primò, cùm aliquid tribuitur Deo, quod ipsi non convenit, verbi gratia Deum esse iniustum, partialem, ignarum, improvidum. Secundò, cùm aliquid negatur de Deo, quod ipsi convenit, verbi gratia nolle, vel non posse nos juvare, non curare res nostras, non omnia esse bene ordinata. Tertiò, cùm tribuitur creaturæ, quod soli Deo convenit, verbi gratia Diabolum esse omnipotentem, vel si Amasium Mulier Deum suum seriò appellet. Ad hæc reducuntur, si quis abneget Deum, Crucem Christi, puritatem Sanctissimæ, immaculatęque Virginis, &c. Quę quidem si blasphemus credat ita esse, hæreticus est, & consequenter pœnis, & censuris contra hęreticos inflictis subjectus, teste Sanchez lib. 2. moral. cap. 32. num. 11. & 36. Graffeus in praxi lib. 1. cap. 10. num. 44. Bonac. de legib. disp. 3. quæst. 8. punct. 1. num. 2. Barbos. de potest. Episc. alleg. 51. n. 87. Carena in trac. de offic. S. Inquis. par. 2. tit. 7. n. 8.

9 Advertete tamen, ad blasphemiæ hæreticalis rationem necessarium non esse, ut hujusmodi blasphemiæ cùm infidelitate, aut hęresi necessariò sint conjunctę, cùm etim in Dœmonibus, hominibus damnatis, & malis Christianis, qui illas falsas, & nefarias esse non ignorant locum habere possint. Dicuntur tamen hęreticales, quia falsum de Deo significātes cum hæresi similitudinem gerunt, & sępè hominem Christianum de hęresi suspectum reddunt: Siquidem actus de se malus habet pręsumptionem malę intentionis contra facientem; sicuti notavit Finellius de cas. reser. cas. 3. num. 28. Layman. libr. 4. tract. 10. cap. 6. num. 7. Carena loc. cit.

10 Blasphemia verò simplex dicitur illa, quę directè falsitatem contra veritatem fidei non continet, videlicèt quę non enunciativè, sed modo imperativo, aut optativo profertur, verbi gratia utinam non sit Deus, dispereat Deus; vel quę de Deo aliquid enunciat, quod verè reperitur in Deo, sed per modum contumelię, & irrisionis, aut indignationis adversùs Deum, cujusmodi sunt blasphemię per Crucem, per Sanguinem, per Sacramēta Dei. Ita Sanchez loco supra citato Azor tom. 1. libr. 9. cap. 28. quæst. 1. & 2. Suarez tom. 2. de relig. libr. 1. cap. 4. num. 9. Layman citat. Filliuc. tract. 25. num. 26. Bassęus *in florib. The. prac. V. blasphemia*, num. 4.

11 Tametsi verò blasphemia hęreticalis sit longè gravior, quàm simplex, gravioremque mereatur pœnam; nihilominus blasphemia etiam simplex censeri debet sub reservantis juris dispositione comprehensa. Generali enim nomine blasphemiæ venit etiam simplex dummodo sit gravis, & mortalis. Nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, nisi evidens ratio distinctionem ponere cogat. Ita Graff. in praxi citato capit. 10. Lazarius de blasphemia quæst. 7. num. 8. & 13. Gambar. de cas. res. cap. 1. num. 3. Homob. de cas. res. p. 2. cas. 1. Lupus de casibus reserv. part. 2. casu 2. num. 13.

ANNOTATIO V.

12 Blasphemia simplex rursus dividitur, quòd alia est in Deum, alia in sanctos. Quæ divisio sumitur ex S. Thom. 2. 2. q. 13. art. 1. ad 2. vbi ait: *sicut Deus in Sanctis suis laudatur, &c. Ita & blasphemia, quæ fit in Sanctos in Deum redundat*. Quare vtraque blasphemia censeri debet ejusdem speciei, quia eamdem rationem malitię continet, videlicèt divini honoris imminutionem, sicuti docet Suarez cit. lib. 1. cap. 6. num. 11. Layman l. 4. tract. 10. cap. 6. n. 9. Quod tamen intelligi debet si Sanctis aliquis maledicat, quatenus Sancti sunt, & cum habitudine saltem virtuali ad Deum: sicuti docet Sanchez cit. lib. 2. moral. cap. 32. num. 27.

23 Quare generalis regula statui potest: quoties contra Deum, aut Sanctos dicitur verbum contumeliosum, injuriosum, obscœnum, turpe, indignum, vel in contemptum, derisionem, convicium, aut injuriam Dei, vel Sanctorum, quatenus Sancti sunt, toties committitur peccatum blasphemiæ, & incurritur reservatio: si, ut suppono, in illa Diœcesi blasphemia tàm in Sanctos, quàm in Deum sit reservata. Ita Graffius in praxi cit. cap. 10. de blasphemia, & Lazarius de blasphem. quæst. 2. num. 26. Dixi. *Sanctos quatenus Sancti sunt*: secùs si contumelia in Sanctos cum Christo regnantes jactetur, non ut Sancti, sive Beati sunt, sed ut quidam homines in terris fuerunt, quibus nunc excellentia sanctitatis accidentaria est: ut si quis de SS. Crispino, & Crispiniano dicat fuisse sutores, aut de SS. Ioanne, & Paulo fuisse Eunuchos, non videtur hæc esse blasphemia, cùm in Deum non redundet, sed peccatum contra cultum duliæ. Imò si non ex odio, aut indignatione contra Sanctos, sed joco proferatur, ob materiæ parvitatem non videtur culpam venialem excedere: sicuti resolvunt Sanch. loco citato num. 42. Layman cit. num. 10. Medulla Theol. mor. lib. 3. tract. 2. cap. 1. resolut. 3.

ANNOTATIO VI.

14 Quamvis autem, qui externo facto, aut signo, verbi gratia, qui imaginem Dei, aut alicujus Sancti conculcat, in eam lapidem projicit, in faciem expuit, &c. gravem injuriam Deo irroget, cùm non minùs factis, quàm verbis impius in Deum animus ostendatur, propriè tamen peccatum blasphemię non committit, cùm blasphemia, secundùm suam rationem formalem, sit locutio, seu verbum in Deum, aut Sanctos contumeliosum. Vnde quemadmodum laus Dei consistit non in factis, sed verbis ore, aut scripto prolatis, ita etiam blasphemia, quæ opponitur laudi Dei: sicuti probabiliùs docent Sanchez cit. c. 32. n. 5. Suar. de relig. lib. 1. trat. 3. c. 4. & 5. Less. lib. 2. cap. 45. dub. 5. n. 24. Barbos. de offic. & pot. Ep. alleg. 51. num. 88. Licèt igitur qui exterioribus factis, aut signis in Deum est contumeliosus, gravissimi sceleris sit damnandus; propriè tamen blasphemiæ peccatum non committit, & consequenter neque reservationem (vbi blasphemia est reservata) incurrit. Ita Homob. de cas. reser. part. 2. cas. 1. Gambar. de cas. reser. cap. 26. nu. 1. Lupus de cas. reser. par. 2. cas. 2. n. 12. Mazuch. de cas. reser. disput. 2. cap. 16. diff. 1. n 2. contra Graff. in praxi lib. 1. cap. 10. n. 38.

ANNOTATIO VII.

15 Regulariter autem blasphemia est peccatum mortale, quia suapte natura gravem Deo infert injuriam, & quamvis blasphemia aliquando possit esse peccatum tantùm veniale ob alias circumstantias, ut numero sequēti; dicam numquam tamen veniale efficitur, ob parvitatem materiæ. Nam in peccatis, quæ directè contra Deum committuntur, videlicèt odio Dei, infidelitate, perjurio assertorio, &c. non reperitur veniale ob parvitatem materiæ. Siquidem in qualibet horum peccatorum materia licèt parva, reperitur integra ratio malitiæ, & veluti tota quantitas deformitatis. Hujusce generis est etiam peccatum blasphemiæ. Qualiscumque enim contumelia in Deum prolata est gravissima, gravissimaque afficit Deum injuria. Ita Sanchez cit. c. 32. n. 40. Suarez cit. Bonac. in decal. disp. 3. quæst. 8. punc. 3. num. 2. Reginal. libr. 18. num. 198. Bassæus in florib. the. prac. V. *blasphemia* n. 6. Diana par. 5. tractatu quinto resolut. 3.

* * *

A N-

ANNOTATIO VIII.

16 Advertendum tamen est, quòd licèt blasphemia non admittat venialem culpam ex parvitate materie, ut dixi; potest tamen fieri venialis ob alias causas, v. g. ex ignorantia, cùm quis verba blasphemiæ profert, ignorans eorum significationem. Blasphemia enim est species quædam contumeliæ: ad contumeliam autem requiritur scientia, sicuti colligitur ex l. *si ignorans*, ff. *locati*, & docet Layman cit.lib.4.trac.10.cap.6.n.2.

17 Idem dicitur de eo, qui ex indeliberatione rationis, v.g. ex vehementi ira, vel passione perturbante usum rationis, in blasphemia verba erumpit. Proinde hujusmodi blasphemiæ, cùm non sint peccata mortalia ob defectum necessariȩ advertentiæ, sed tantùm venialia: imò nec venialia, si nulla prorsus adsit advertentia, & deliberatio rationis, consequenter cùm excusetur à lethali culpa, ita & à reservationis pœna, quȩ non habet locum, vbi deficit mortalis culpa. Ita Navar. in man.cap.12.n.84 Suarez tom 1. de relig.trac.3.lib.1.cap.6.n.2.Sanchez cit. cap.32.n.40.Bonac. de leg.disp. 2.q.8.pun. 3.n.2. Layman lib.4.trac.10. cap.6.num.3. Filliuc.tr.25.nu.30. Graff. lib.2.decis. aur. cap. 19.n.9. & 10. Belloch. de casib. reser. pag.2.qu.12.nu.270. Mazuch. de cas.reser. disp.2.c.16.qu.3.num.52.

ANNOTATIO IX.

18 Cæterùm cùm preter defectum ignorantiȩ, de quo jam dictum est, multipliciter contingere possit, ut quis in verba blasphemiȩ erumpat, videlicet vel joco, vel ex indignatione, aut in ebrietate. Idcircò cautè notare oportet, quòd blasphemia, quȩ seriò, & ex animo conviciandi Deum, aut Sanctos profertur, quemadmodum verè, & formaliter malitiam blasphemiȩ continet; ita verè, & formaliter reservantis juris dispositioni subjicitur.

19 Difficultas est de ceteris blasphemandi modis, & quidem blasphemiam joco prolatam mortalem involvere culpam, absolutè sentire videntur Navar. in man. cap.12.n.85. Suarez cit. trac.3.libr.1. cap.6.num:11.Sed rectiùs cum Sanchez c. 32.n.40.& Valen. 2.2. disput.1.q. 13. punc. 1. distinguunt Bon.cit.dispu.3. q.8. punc. 13. Dian. part.5. trac. 5.resol.3. Bassæus in florib. V. blasphemia n. 7. nimirùm tunc solùm blasphemiam irrisoriè prolatam gravem habendam esse, cùm gravem Deo irroget injuriam: secùs si ita joco proferatur, ut jocus omnem tollat contumeliam. Quando igitur blasphemia joco prolata habetur mortalis, censeri debet etiam reservata. Non ita verò si absit mortalis culpa.

20 Intra verò, vel rixa cùm aliquo, dicere ad corpus, vel sanguinem Dei, &c. intelligendo de Christo Deo, & homine, propriè non est blasphemia, sed peccatum cujusdam irreligiositatis, venialem culpam non excedens, teste Cajet. V. *blasphe.* & Layman libr. 4. tra.10.cap.6.n. 8. dummodo indignatio non concipiatur contra Deum, sed tantùm contra hominem, vel jumentum, cui aliquis irascitur: Quia licèt talia verba irreverenter proferantur, non tamen per modum contumeliæ, vel convicii in Deum, neque aliquid falsi continent: ratione tamen scandali, vel periculi formaliter blasphemandi mortale fieri potest: Ideoque homines à tali irreligiositate, seu apparente blasphemia à Confessario debent deterreri. Secùs statuendum, si affectus indignationis tendat in Deum, illaque verba proferantur per modum contumeliȩ, seu indignationis in Deum: Nam eo casu committitur blasphemia reservationi obnoxia, esto ea verba ex se sint vera: Quia tunc in actu exercito, & implicitè significatur Deum indignationem mereri. Ita Cajet. cit. Navar. in man. cap. 12. num. 85. Valent. tom.3. disput.1.q.13. punc.1.Sanchez libr. 2.moral.cap.32.n.36. Layman cit. Bassæus in florib. Valent. *blasphemia n. 5.*

21 In ebrietate denique, qui blasphemiam vna cùm vino eructat, vtrum mortaliter peccet: Etsi nonnulli, vt Caje.

Medin. Salas 1.2. sect. 9. n. 109. ita sentiant, saltem quando homini non semel innotuit, se in ebrietate solitum esse blasphema verba effundere, & nihilominus se inebriavit; eò quòd blasphemia eo casu censeatur voluntaria.

22 Nihilominus contrarium est sustinendum: Quia malitia blasphemię, sicuti & hæresis in intellectu consistit, & substantialiter perficitur, ideoque peccatum esse non potest, nisi intellectus actu, aut virtute intelligat, vel advertat ad verba, quæ ore pronuntiantur. Vide Sanch. lib. 3. moral. cap. 5. num. 33. ubi doctè probat peccata, quæ ore committuntur, ad culpam non imputari, nisi fiant cum usu, & advertentia rationis, sicque non posse esse mala in sola causa. Cui Sanch. doctrinæ subscribunt Vasquez 1. 2. disp. 128. cap. 3. Filliuc. trac. 25. cap. 10. num. 317. Sancius in selectis disp. 20. num. 5. qui addit, etiam si quis eo animo se inebriasset, ut blasphemias in Deum, vel Sanctos jactare posset, si deinde in ebrietate eas effutiat, non committere peccatum mortale blasphemiæ, utpote quod usum rationis requirat, satisque esse, si in confessione se accuset, quòd animo jactandi blasphemias se inebriaverit. Dempta igitur eo casu blasphemiæ malitia, consequenter etiam reservatio; de quo vide Graff. in praxi lib. 1. cap. 10. n. 52.

Dices. Qui in ebrietate hominem occidit, cùm sciret se rixari, & verberare solitum, censetur reus homicidii. Ergo etiam qui in ebrietate blasphemat, non ignorans se, cùm vino repletur, blasphemias effutire solitum esse.

Respondeo, quòd dispar est ratio: Quia homicidium in externo opere consistit, & perficitur; ideoquè est verum peccatum externum homicidii; tametsi fiat ab ebrio, qui tunc nihil advertit, modò priùs adverterit, cum causam præbuit, ob quam indirectè, atque imputativè ipsi voluntarium censetur. At verò blasphemia in intellectu consistit, & essentialiter perficitur, & consequenter prolatio blasphemię non est peccatum, nisi ab interna intellectus advertentia procedat. Hinc est, quòd homicidium, & similia peccata, quæ externo opere consumantur, in causa possunt esse mala, non item blasphemia, aut aliud peccatum oris. Vide Sanchez loc. cit. Suarez tom. 1. de relig. trac. 3. lib. 1. cap. 6. nu. 11. Layman lib 4. tract. 10. cap. 6. num. 2.

ANNOTATIO X.

23 Utrum verò prędicta doctrina, quòd scilicèt blasphemia inadvertenter prolata malitiam mortalē non inuolvat, tunc etiam locum habeat, cùm blasphemia ex prava consuetudine procedit: disceptatio est inter Doctores.

Negant Navar. in man. cap. 12. num. 84. Tole. lib. 4. cap. 13. num. 6. Layman lib. 1. trac. 2. cap. 3. num. 6. & lib. 4. trac. 10. cap. 6. nu. 3. in fine. Bassęus in florib. the. prac. v. blasphe. num. 6. Qui expressè docent, blasphemias ex prava consuetudine ortas imputari ad culpam, quoties hujusmodi consuetudo efficaci proposito non fuit retractata, ac interrupta, sed adhuc perduret. Quia tales blasphemię (inquiunt) censentur voluntarię in causa, hoc est, in voluntaria consuetudine: secùs si blasphemandi consuetudo per efficax propositum illam extirpandi, vel corrigendi fuerit retractata: tunc enim verba blasphemię eadem consuetudine, quasi naturali & necessario impetu provenientia, ad culpam non debent imputari, cùm nec in se, nec in causa sint voluntaria.

Contrarium tamen docent Sanchez lib. 2. moral. cap. 23. n. 43. Suarez cit. lib. 1. cap. 6. num. 2 Filliuc. trac. 25. c. 10. nu. 317. Bonac. de legib. disp. 3. quęst. 8. punc 3. num. 3. Lessius lib. 2. cap. 45. dub. 5. num. 31. Dian. par. 3. tract 5. resol. 62. Sancius in select. disp. 20. nu. 5. sustinentes blasphemias ex prava consuetudine, sed inadvertenter prolatas non imputari ad peccatum, tàm si hujusmodi consuetudo efficaci proposito interrupta fuerit, quàm si adhuc perduret. Quorum ratio est, quia peccatum blasphemię in intellectu substantialiter perficitur, ut docet ipsemet Layman loc. sup cit. Ergo committi non potest, nisi intellectus advertat ad verba, quę ore pronunciantur:

Ergo

Ergo non erit voluntaria nec in se, nec in causa; non in se, ut clarè constat, quia voluntas non fertur in incognitum: sed neque in causa, quia peccata, quæ ore committuntur, ut blasphemia, perjuriũ, contumelia, &c. non imputantur ad culpam, nec mala sunt, nisi fiant cum usu rationis, quo fit, ut non possint esse mala in sola causa.

24 Verùm quidquid sit de blasphemia ex prava consuetudine orta, quoad culpam, certum esse debet, hujusmodi blasphemiam sub dispositione casus non comprehendi quoad reservationis pœnã. Quia reservatio, provt in terminis casus intelligenda est de vera, & formali blasphemia, quę in se, & non tantùm in causa sit voluntaria. Blasphemia autem, quæ ex prava consuetudine, sed inadvertenter evomitur, verè & propriè non continet malitiam blasphemię, teste ipso Navarro cit. cap. 12. n. 84. & Layman cit. Idcircò ita blasphemantem non incidere in reservationem resolvit Graff. in praxi lib. 1. c. 10. n. 52.

Secùs resolvendum esset, si dispositio legis reservantis afficeret etiam blasphemantes ex consuetudine, ubi disponit edictum casuum in Diœcesi Bergomensi reservatorum, quod blasphemantes tàm ex consuetudine, quàm ex professo comprehendit. Quod tamen intelligendum est, dummodo talis consuetudo adjunctã habeat rationis advertentiam; vel nullus ad eam deponendam adhibitus sit conatus: Ideòque mortaliter culpabilis existat: quod etiam notavit Lupus de casibus reservatis parte 2. casu 11. §. 2. numero vigesimo primo.

ANNOTATIO XI.

25 Blasphemi præter reservationis pœnam, qua pluribus in locis afficiuntur: ex Decreto Concilii Lateranensis, & Julii Tertii apud Judicem Ecclesiasticum, & Sæcularem sunt denunciandi. Et quidem si blasphemia sit hereticalis, de qua supra annotat. 4. num. 5. denunciari debent Inquisitoribus contra hęreticam pravitatem: De hac enim ipsi privativè, hoc est, ipsi soli, & nullus alius cognoscit. Ad quem effectum quotannis promulgantur edicta, quibus pręcipiunt sub excommunicationis latę sententię pœna, ut hujusmodi Blasphemi ad S. Inquisitionis Tribunal deferantur. Sanchez lib. 2. moral. c. 32. num. ultim. Carena in tract. Sanctę Inquisitionis p. 2. tit. 9. §. 2. num. 5. & 6.

Si verò blasphemia sit simplex, videtur sufficere, si denunciatio fiat Episcopo. Quod verum est, si blasphemus consuetudinem habeat blesphemandi. Quare audientes blasphemiam non hęreticalẽ, sępenumerò ab hoc onere denunciandi blasphemos eximuntur, si de consuetudine blasphemandi sibi non constet: Sicuti post Lazarium, & Bellochium docet Mazuchellus de cas. res. disp. 2. c. 16. q. 4. diffic. 5. num. 82.

26 Quando autem quis habere consuetudinem blasphemandi censeatur, non conveniunt Doctores. Nam aliqui censent ex duobus actibus regulariter in delictis consuetudinem induci. Graff. decis. 48. n. 3. Alii volunt requiri decem actus blasphemię in anno Zenardus to. 2. c. 64. V. ad continendum.

Cœterùm probabilior videtur sententia, quæ sustinet ad inducendam consuetudinem requiri, & sufficere quinque actus. Quare in difficultate proposita, ut quis blasphemus consuetudinarius dicatur opus est, ut saltem quinquies blasphemias in Deum, vel Sanctos jactaverit. Quę assertio intelligenda est de blasphemia quinquies diversis temporibus prolata. Nam si ex eodem impetu irę, eodemque tempore evomatur, neq; decies blasphemia repetita sufficiet ad hoc, ut quis blasphemus consuetudinarius dici possit. Quia blasphemia eo casu non multiplex, sed unica in genere moris, unumque delictum constituere censetur. Ita Lazarius de blasphemia, q. 8. n. 5. quem citat, & sequitur Carena in suo tractatu S. Inquisitionis p. 2. tit. 7. §. 5. n. 25. & subscribunt Belloch. de cas. res. p. 2. q. 1. n. 24. & Mazuchello cit. n. 85.

ANNOTATIO XII.

27 Utrum autem præceptum denunciandi blasphemos hæreticales excusationi mandandum sit absque ulla prævia correctione: controvertitur inter Doctores.

Negant Sylv. *V. correctio* quęst. 5. Tolet. lib. 5. cap. 54. n. 3. Valent. tom. 3. disp. 3. quæst. 10. punct. 5. dub. 3. Becan. 2. 2. c. 21. dub. 4. Lazar. de blasph. quæst. 12. num. 32. Sanctarellus de hæresi cap. 9. dub. unic. n. 16. Portel. in dub. reg. *V. correctio fraterna* n. 1. sustinentes semper præmittendam esse correctionem fraternam ante denunciationem, prętertim verò quando blasphemia est occulta, & blasphemus de levi suspectus. Quorum ratio est, tùm quia præceptum naturale, & Divinum tuendi famam proximi fortiùs obligat, quàm præceptum humanum denunciandi fratris crimen: Tùm quia denunciatio eo casu frustratur fine suo, cùm Judex non possit procedere ad inquisitionem delinquentis occulti.

Affirmativam verò tuentur Azorius lib. 9. instit. moral. cap 28. quæst. 8. Henriq. lib. 11. cap. 24. n. 11. Coninch. de virt. Theol. disp. 28. dub. 8. n. 151. Sancius in select. disp. 11. n. 56 Dian. part. 1. tract. 4. resol. 2. Pegna in direct. part 2. comm. 18. asserentes absolutè blasphemos hęreticales, attentis DD. inquisitorum Edictis, denunciandos esse absque ulla prævia monitione, tùm quia in delictis, quę tendunt contra bonum commune, non est præmittenda correctio; hujusmodi est blasphemia, ex qua oritur hæresis suspicio. Tùm quia denunciatio in Edictis præcepta contra blasphemos non est Evangelica, quę respicit criminosi emendam, & prærequirit correctionem, sed est judicialis, tendens ad criminis vindictam, quæ non præexigit monitionem.

28 Sanchez verò lib. 2. moral. cap. 32. num. 47. Guttierez lib. 1. quæst. canonic. cap. 11. num. 130. Pegna parte 2. direct. comm. 18 Layman lib. 3. sect 5. tract. 3. part 2. cap. 4. num. 3. *vers. Idem sentiendum*, procedunt cum distinctione, ajuntque in crimine hęresis formalis denunciationem Sancti Officii Inquisitoribus, nulla præmissa correctione, esse faciendam: Quia hæresis est delictum gravissimum, quod publico fidei, ac Religionis bono adversatur, cui meritò posthabendum est privatum famæ proximi nocumentum. Quamobrem justè Domini Inquisitores præcipiunt, & pręcipere possunt, ut peste hęresis infecti statim denuncientur.

29 Addo ego hanc doctrinam procedere, etiamsi crimen hęresis uni tantùm innotesceret, spesque emendationis effulgeret: Imò licèt de emendatione constaret: Tùm quia id exigit publicum fidei bonum: Tùm quia homini hæretico, utpotè subdolo, parùm est fidendum: cùmque delictum hæresis teterrima sit pestis: idcircò ejus exterminatio etiam in casibus prædictis, omni seclusa monitione, Orthodoxæ fidei Judicibus est reliquenda. Quidquid in contrarium dicat Reginal. l. 24. c. 3. sect. 6. n. 52. Portel. in dub. reg. *V. correctio fraterna* n. 1. arbitrantes, etiam in crimine hæresis præmittendam esse correctionem non obstante Dominorum Inquisitorum Edicto, quo præcipiunt, ut crimen hęsesis statim denuncietur, nulla pręmissa monitione. Quorum opinio hodie per decretum Alex. VII. remanet omninò profligata. Quod decretum vide in priori Elucidarii parte resol. 42. §. 16.

30 In aliis verò delictis ab hæresis formalis distinctis, quamvis aliqua suspicio hęresis subsit, si occulta sint, & detur spes emendę, censent servandum esse ordinem à Christo præscriptum, & consequenter ante denunciationem blasphemi hæreticalis pręmittendam esse correctionem fraternam, ob rationem superiùs allatam pro prima sententia, cui subscribere tenentur. Ita Sanchez, Guttierez, Pegna, Layman ll. cc. quibus adherent Homob. de cas. reser. parte 2. cap. 1. Mazuchell. de cas. reser. disp. 2. cap. 16. quęst. 4. diffic. 6. num. 101. & alii apud Dian. par. tract. 4. resol. 2.

31 Cæterùm stantibus DD. Inquisitorum Edictis, statuendum est blasphemos

mos hæreticales, tanquam de hæresi suspectos Sanctę Inquisitionis Judicibus denunciandos esse intermissa correctione fraterna: quod optimè probant rationes pro secunda sententia adductæ, in communi doctrina fundatę, quòd correctio fraterna in delictis contra bonum commune tendentibus, debeat omitti: hujusmodi est blasphemia ex qua oritur suspicio hęresis. Tùm quia denunciatio in Edictis pręcepta est judicialis, tendens ad criminis vindictam, non criminosi emendam: sicuti benè arguit Dian. cit. part. 1. tract. 4. res. 2. Vide quę diximus in priori Elucidarii parte cit. res. 42. de Confessario sollicitante.

His addendum, quòd judicium de hæresi, quatenus scilicèt cum blasphemia sit conjuncta non spectat ad audientem, sed ad Judicem sanctę Inquisitionis: Ideòque audiens omninò denunciare debet. Pegna parte 2. in direct. comm. 18. Molfesius in summ. tract. 1. cap. 17. num. 14. Turrianus in select. part. 1. disp. 30. cent. 2. dub. 24. Dian. cit. Carena parte 2. titul. 9. num. 18.

Ad rationes pro prima sententia. Ad primam respondeo falsum esse, quòd pręceptum naturale, & Divinum tuendi famam proximi prævaleat eo casu præceptis humanis denunciandi contagio hæresis infectos. Nam leges humanę, quando agitur de tuendo bono fidei, & tollendo Religionis contemptu, uti fit in casu hæresis, vel vehementis suspicionis de hęresi obligant etiam cum periculo vitæ proprię: Sicuti ex communi docet Suarez lib. 3. de legibus c. 30. nu. 7. Layman lib. 2. tract. 4. cap. 14. n. 7. Dian. par. 5. tract. 3. resol. 39.

Addo, quòd cùm Superior edictum de denunciandis blasphemis condiderit ex motivo virtutis Religionis, idcircò subditi obligantur ad ejus observationem, non tantùm ex obedientia erga Superiorem præcipientem, sed etiam ex virtute Religionis ob fidem: Deique honorem tuendum: Ideòque tenentur ad denunciationem non solùm jure humano, sed etiam naturali, ac divino. Quę doctrina colligitur ex Suar. loc. sup. cit. Vasq. 1. 2. disp. 98. cap. 2.

Ad alteram dico, quòd etsi delictum sit occultum, ideòque probari nequeat; Superior tamen ex ea denunciatione magis evigilabit, & potest esse, quòd contra delinquentem adsint aliæ denunciationes, ex quibus fortasse de facili possit devenire ad torturam, & ad alia juris remedia: Ideòque debet denunciari. Suarez de fide, disputatione vigesima, sectione quarta. Lazarius de blasphemia qu. 12. num. 54. Carena cit. tit. 9 §. 2. num. 8.

Sed heu hodie, quàm multi sunt, qui hæreticaliter blasphemare audientes nedum impios blasphemos denunciant, sed neque exprobant, vel monent, ut deberent: Imò potiùs ad risum provocantur. Si servus herum, & vicissim herus servum, imò, & canem suum ab altero lædi audiat in eum insurgit, & exscandescit. Nos audimus, & non rarò Deum Redemptorem nostrum, Sanctissimum ejus Matrem, Sanctoque cum Deo regnantes atrocissimis blasphemis affici, ac lædi, & obmutescimus? O seculum inversum! Quàm longè à vestigiis Religionis Majorum recessimus!

ANNOTATIO XIII.

Utrum verò assuetus in Deum, vel Sanctos passim jactare blasphemias à Confessario facultate absolvendi ab hoc casu munito sit absolvendus?

Respondent aliqui, si pœnitens in aliis Confessionibus promisit pravam deponere consuetudinem, nec deposuit, non esse absolvendum. Quia continuò (ajunt) versatur in statu peccati. Ita videtur innuere Suarez tomo secundo de Relig. libro secundo cap. 6.

Verùm cum Sanchez lib. 2. moral. cap. 32. num. 45. Azorius lib. 11. institut. moral. cap. 3. quæstion. 4. Layman lib. 1. tract. 2. cap. 3. num. 6. Diana part. 1. tract. 7. resolut. 55. Carena titul. 7. §. 9. num. 104. & §. 10 n. 105. videtur distinguendum Nam si blasphemus in aliis confessionibus numquam fuit admonitus de

illa consuetudine extirpanda, potest statim à Confessario absolvi. Quia consuetudo eo casu non est adeò culpabilis, ut pœnitens dimitti debeat sine absolutione. Si verò pœnitens aliàs à Confessario fuit correptus, ipseque propterea adhibuit debitam diligentiam, & conatum pro eradicando illo habitu, statim etiam est absolvendus: Quia consuetudo blasphemandi eo casu ob adhibitam diligentiam ad eam deponendam, non censetur voluntaria, utpotè per propositum retractata, & consequenter neque mortaliter mala.

Cœterùm, si blasphemus pluries à Confessario privilegiato admonitus nullum adhibuit conatum, pro pravo illo habitu convellendo, licèt adhuc possit statim absolvi, si afficiatur vero dolore de blasphemiis præteritis, & firmum habeat propositum eas prçcavendi de futuro, credatque cum Dei auxilio se easdem vitaturum, sicuti docet Navar. in man. cap. 3. num. 15. & 17. cui subscribit. Vival. tit. de absolut. num. 43. & Sancius in select. disput. 9. & 10. Satiùs tamen erit absolutionem illi ad tempus suavi ratione differre, ut interim pravam conetur consuetudinem deponere. Verumtamen si ex tali dilatione contrarius timeatur effectus, ne scilicet pœnitens id ęgrè ferens deterior fiat, ampliusque ad confessionem non redeat, consultius erit beneficium absolutionis ipsi conferre; prçterquam si adeò grave populo suis blasphemiis ingerat scandalum, ut ad illud tollendum, videatur prorsùs necessarium, absolutionem illi ad aliquam vitę emendationem suspendere. Vide Sanchez cit. num. 45. Azor. Layman Sancium locis citatis.

ANNOTATIO XIV.

Sed petes, quomodo blasphemias hæreticales possit sibi reservare Episcopus, si hujusmodi blasphemias evomentes præsumantur hæretici, casusque hæresis Summo Pontifici sit reservatus.

Respondeo, resolutionem hujus dubii pendere ex definitione hæresis, quæ à Doctoribus communiter definitur, quòd sit error in intellectu circa veritatem Orthodoxç fidei cum pertinacia junctus. Unde si blasphemias hæreticales proferens detineatur errore repugnante veritati Catholicæ fidei, illumque pertinaciter retineat, ac defendat, is verè hçreticus est, & excommunicatione Papæ reservata innodatus: ac proinde Inquisitori sancti Officii, si extra sacramentalem confessionem innotescat, debet denunciari.

Secùs resolvendum est, si constet blasphemum nullo detineri errore adversante veritati Catholicç fidei. Nam tunc blasphemias hçreticales evomens neque hçreticus, neque excommunicatus in Bulla Cœnæ haberi debet, (saltem in foro pœnitentię, quod veritate non prçsumptione nititur) sed impius blasphemus, ac peccator perditissimus, cujus atrocia scelera illamet sunt, quę plerisque locis Episcopo reservantur. Navar. in man. cap. 11. num. 27. Lactantius de cas. reserv. cas. 3. num. 28. Chapeavilla de cas. reser. parte 2. art. 5. colum. 11. *vers. Quoad primum.* Finellius de cas. reserv. cas. 2. num. 10.

RE-

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro Incidentibus.

1 EX prenotata doctrina resolves, in reservationem incidere, qui dicit Deum esse injustum, ignarum, partialem, crudelem, &c. Quę blasphemia hęreticalis est, quia tribuit Deo, quod ipsi non convenit. Vide supra annot.4.num.5. Sanchez lib. 2. moral. cap. 32. num. 11. & 36. Carena in tract. S.Inquisit. p.2.tit. 9. num. 8. & 9.

Idem deciditur de illo, qui asserit Deũ non posse omnia, non rectè gubernare creaturas, nescire hęc terrena, non curare nostra, non omnia benè esse ordinata, &c. quæ similiter est hęreticalis, quia negat Deo, quod ipsi convenit. Sanch. cit. Layman lib. 3. tr. 10. c. 6.

3 Reservatione innodatur, qui dicit Diabolum esse omnipotentem, aut Creatorem plus posse, quàm Deum; vel si Amasium mulier seriò Deum suum appellet. Et hęc pariter est hęreticalis, quia tribuit Creaturis, quod est proprium Dei. Sanch. & Laym. ll. cc.

4 Idem resolvitur de illo, qui jurat tàm verum, quàm falsum per falsos Deos, quasi illis insit infallibilis veritas, quę solius Dei propria est: quod insigne hęreticalis blasphemię genus est, cùm honor, qui soli Deo debetur, falsis Diis tribuatur. Graff. in praxi lib. 1. cap. 10. de blasph. n. 56. Bonac. de legib. disp. 3. q. 8. punct. 2. num. 7.

5 Gravissimæ culpæ, & reservationis pœnę subjacet, qui dicit. *Renego Dio*, *la Fede*, *la Croce*, *il Sacro Crisma*, *la Purità della B.V.M.* Quæ blasphemię reducuntur ad blasphemias hęreticales Suar. tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 5. num. 7. & 8. Sanch. cit. c. 32. num. 15. Barbos. de potest. Episc. alleg. 51. n. 88.

6 Idem resolves de illo, qui advertenter & seriò dicit. Deus non vult mihi succurrere, succurrat igitur mihi Diabolus: Deus non recordatur mei; memor igitur mei sit Diabolus. Derogant enim hæ locutiones blasphemię tùm justitię tùm providentię Dei: Ideòque habentur hęreticales. Graff. loc. supra cit. num. 44. & 74.

7 Incidit is, qui sufficienter advertens in eam nefariam locutionem erumpit *al dispetto di Dio*. Talis enim locutio apertè tendit in Divinę potentię derogationem quasi homo velit aliquid agere, etiamsi Deus nolit, quod est hęreticale. Graff. cit. nu. 44. Naldus in summ. V. *blasphemia* n. 1. Carena cit. n. 8. Excipe nisi illa verba *al dispetto di Dio*, intelligerentur sic. Etiamsi displiceat Deo, uti intelligit Suarez apud Carenam loc. cit.

8 Idem ob eamdem rationem statuitur de illo, qui dicit, volo hoc facere, velit, nolit Deus: Derogant enim hęc verba infinitę Dei potentię, quasi Deus non possit impedire, cùm etiam causę secundę nihil agant, nisi dependenter à prima. Sanchez cit. c. 32. n. 18.

9 Non eximitur, qui dicit, *al dispetto di Di*. *Renego Di*. *Maladetto Di*. omissa vocali ò quia ex communi intelligendi modo censetur sufficienter prolata, modò intentio blasphemandi adsit. Sayrus *de blasphemia* qu. 3. num. 37. Floron. cas. 3. n. 5. Secùs statuendum, si quis ex inconsideratione in verba blasphema rueret, sed mox advertens, ut se corrigeret illa mutilaret.

10 In eamdem hęreticalem, impiamque blasphemiam incidit, qui dicit; *Puttana di Dio*, *Potta di Dio*. Homob. de cas. reser. parte 2. cas. 1. Vers. *Contra verò*. Belloch. cit. quęst. 1. nu. 241. Carena loc. cit. num. 9. Neque blasphemans relevatur ex eo, quòd mutilet vocalem, ut supra dictum est, vel addat dictionem *Bacco*, si advertens proferat hęc verba animo blasphemandi, sed postea ad occultandam impietatem, vel vitandam pœnam, addat verba *Bacco*. Secùs verò, si proferat illa verba cum hujusmodi additione eo animo, & consilio, ut blasphemiam vitet. Graff. in praxi lib. 1. cap. 10. n. 72. Floron. citato cas. 3. num. 3. Mazuch. quæst. 2. num. 34.

11 Hęreticalis blasphemię reservationi obnoxiæ damnandus est, qui seriò asserit, Cœli Planetis, nempè Saturno, Jovi, Mercurio, Marti, Soli, Lunæ, &c. aliquid di-

divinitatis inesse: vel qui dicit Jouem, Herculem, Bacchum, &c. homine idolatras, & facinorosos verè esse Cælicolas, & Deos. Item Venerem, Junonem, &c. inhonestas fœminas, verè esse Deas: ut stultissimè putarunt etiam Gentiles.

12 Idem resolves de illo, qui injuriosè jurat per corpus, sanguinem, vulnera Dei, si nomine Dei intelligat Deum præcisè, ut Deus. Secùs si intelligat Deum, qui Corpus, & Sanguinem assumpsit, nempè Christum. Cajet. in summ. V. blasphemia. Tolet. lib. 4. cap. 13. num. 6. Sanchez lib. 2. moral. cap. 22. num. 29.

13 Idem gravissimum, reservatumque blasphemiæ crimen committit perditissimus ille, qui dicit, *Puttana della Vergine* appellatione enim Virginis antonomasticè, sive per excellentiam intelligitur MARIA MATER CHRISTI DOMINI SANCTISSIMA. Lazarius de blasphemia q. 7. n. 27. Belloch. loc. cit. n. 7.

14 Reservatione afficitur, qui aliquod Deo omnium bonorum fonti, imprecatur; ut si dicat pereat Deus, aut maledictus sit Deus, quę blasphemia licèt non sit hęreticalis, est tamen atrox. Graff. in praxi lib. 1. cap. 10. de blasphemia n. 27.

15 Reservationis telum non effugit, qui dicit Deus non est Deus, nisi hoc miraculum faciat, vel vindictam sumat: quę locutio est blasphema. Quia secluso eo miraculo, vel vindicta, Deus adhuc est Deus, Sanchez cit. cap. 32. 24. Graff. loc. cit. n. 44.

16 Idem resolves de illo, qui dicit, *disgratio Dio di quello mi fà*. Quę blasphemia profectò est atrox, cùm atrocem Deo contumeliam inferat. Graff. loc. cit. num. 29.

17 Non eximitur à reservatione, qui dicit, possim renegare fidem, vel Deum, nisi te cedam, aut nisi hoc agam. Quia hujusmodi enunciationes licèt conditionales includunt affirmativam negandi fidem, vel divinitatem, quoties non sequitur effectus. Azor. lib. 9. cap. 28. q. 5. Lazarius de blasphemia quæst. 6. num. 11. Mazuch. loc. cit. num. 29. Secùs resolvendum, si diceret, possim renegare fidem, si verum non est, quod narro. Quia tunc proposito resolvitur in juramentum.

18 Incidit, qui per modum contemptus dicit *al cospetazzo di Dio*, *al sanguazzo di Dio*. *Dio sacratone*: Nam illa verba, in *azzo*, majorem continent Dei contemptum, & vilipendium, teste Ignatio de cas. res. p. 2. cas. 2.

19 Idem resolves de illo, qui turpiter jurat per pudenda Christi, vel alterius Sancti, aut illa inhonestè nominat: Quia licèt nihil falsi enunciet, gravi tamen Christum, vel Sanctos dedecore, ac contumelia afficit: quod dedecus, ac contumelia ex verbis casus Episcopali reservationi est obnoxia. Vide supra annot. 4. n. 7. & annot. 5. n. 8. & Doctores ibid. citatos.

20 Eadem reservationis pœna extenditur ad eum, qui in rixa, vel ex indignatione rationis usum non adimente, dicit, ad corpus, sanguinem, vulnera Dei; intelligendo quidem Deum incarnatum, sed tamen per modum convicii, & in contemptum; præterquam si per inadvertentiam excusetur. Vide sup. annot. 9. n. 20. & Doct. ibid. cit.

21 Lusores, qui inter ludendum ex indignatione, & ira proferunt prędicta verba ad corpus, sanguinem, vulnera Dei, &c. præsumendi sunt in reservationem incidere, eò quòd ea verba indignationis, iræque plenissima jactare præsumuntur non in colludentem, sed contra Deum. Eorum autem excusatio, quòd adversę indignentur fortunæ, vana est, cùm certò sciant non extare eam, quam ipsi appellant fortunam. Ideòque indignatio tendat in Auctorem, nempe in Deum. Mazuch. de cas. res. disput. 2. c. 16. qu. 2. num. 43.

22 Non excusatur à mortali culpa, & reservationis pœna, qui advertenter, & ex intentione blasphemandi profert verba blasphema, quamvis nesciat proprium eorum significatum: Quia ad rationem blasphemię satis est, si quis non ignoret, talia verba deliberatè prolata convicium, ac contumeliam in Deum continere, Graff. loc. cit. n. 49.

23 Re-

23 Reservatio lata sub terminis propositi casus incurritur, etiamsi semel tantùm quis contra Deum, aut Sanctos deliberatè jactet verbum contumeliosum, inhonestum, obscœnum, maledicum, vituperosum, indignum, pudibundum, injuriosum, vel in contemptum, vilipendium, derisionem, &c Graff.cit. c.10. nu. 74. Lazarius de blasphem. q 2.n.26. Secùs tamen resolvendum, si reservatio proposita esset in hęc verba; *Qui ex professo, vel consuetudine blasphemaverint*: tunc enim ad eam incurrendam opus esset, ut blasphemia gravis, & mortalis saltem quinquies advertenter, & culpabiliter, interpollatis temporibus fuisset repetita. Lazar. & Graff ll.cc. quos citat, & sequitur Carena de officio S. Inquisitionis p.2.tr.7. §.5. n.25.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro Non Incidentibus.

1 NOn incidit, qui interno tantùm, actu, V.g. pravo cordis affectu blasphemat: Quia reservatio intelligitur de actibus externis. Delinquit tamen mortaliter. Constat ex annot.2.n.3.

2 Idem resolves de illo, qui externo signo, vel facto contumeliam Deo infert, V.g. qui lapidem in Dei, aut Sanctorum imaginem impia manu, & animo projicit, aut in faciem expuit, &c. Quia blasphemia ptopriè consistit in verbis non signis. Vide supra annot.6.n.10. & Doct. ibidem citatos.

3 Non incidit, qui materialiter tantùm profert verba blasphemię, V.g. qui repetit ea blasphema verba, quę ipse, vel alii aliàs formaliter protulerunt. Quia reservatio intelligenda est de blasphemia formali, quę sit peccatum mortale, qualis non est blasphemia materialiter tantùm prolata, cùm deficiente blasphemandi animo, deficiat etiam malitia blasphemię.

4 Reservationi non est obnoxius, qui verba quidem blasphemiæ profert, sed ex ignorantia, hoc est, ignorans ea verba cōtinere convicium, ac contumeliam in Deum, ideòque sine intentione blasphemandi. *Reum enim non facit, nisi rea mens*, inquit Sanctus Augustinus. Hinc rustici qui ignorant vim verborum blasphemię, non incidunt, si ab ipsis sine intentione blasphemandi proferantur, & consequenter à quocumque confessario possunt absolvi. Bellochius de casibus res. p.2.q.12.n.268. Carena cit. tit. 7. §.19. n.98.

5 Eamdem immunitatem extendes ad illum, qui blasphema verba profert ex ignorantia etiam concomitante, nimirum qui ita in animo est dispositus, ut si talia verba convicium, ac contumeliam in Deum continere non ignoraret, adhuc ea proferret. Quia reservatio (sicut etiam censura, irregularitas, & restituendi obligatio) non incurritur propter internam pravam operantis dispositionem, sed propter externam legis Ecclesiasticæ transgressionem. Graff. in praxi lib.1.c.4. regul.3.n.70. Januar. de cas. res. res.32.n.1. & 2.

6 A reservatione exime eum, qui sine ulla rationis advertentia nullus est. Quia sine rationis advertentia nullus est consensus: ac proindè nullum peccatum. Quod si advertentia sit aliqua, sufficiet quidem ad venialem culpam, non tamen ad reservationis pœnam.

7 Idem resolves de illo, qui dicit, *al cospetto di Dio*, modò absit intentio blasphemandi, seu convicium inferendi Deo. Quia perinde est, ac si dicat coram Deo. Lazarius de blasphem. q.3.n.12. Belloch. cit. q.12.n.32.

8 Eadem immunitas à reservatione extenditur ad eum, qui dicit, *al Corpo di Dio*, *al sangue di Dio*, si intelligat Christum, qui est Deus, & homo: siquidem locutio illa tunc non continet falsum, ut patet, sed neque convicium, dato, quòd illa verba sine indignatione in Deum proferantur. Vide supra annot.9. n.20. & Doct. ibidem cit.

9 Non incidit, qui dicit, *può far Dio*: *possanza di Dio*. Quia hęc verba admirationem quamdam, non derogationem Divinę omnipotentiæ important. Secùs si intentio proferantis esset agendi ali quid, velit, nolit Deus. Quia tunc dero ga-

garetur omnipotentię Dei, proindèque committeretur blasphemia, & quidem hęreticalis, ut dictum est supra resolutione octava pro incidentibus. Floronus p.2.cas.3.§.2.n.1. Mazuchel.disp.2.c.16.qu. 3.n.47.

10 Eximitur à reservatione, qui dicit, *possa rinegar Dio*, si hoc non est verum: Quia hujusmodi locutio, dummodo nixa sit veritate, continet potiùs juramentum, licèt irreverenter prolatum, quàm blasphemiam: hicque loquendi modus valdè differt ab illo, *possa rinegar Dio*, nisi te percutiam: Quia in hac conditionali includitur affirmativa negandi potiùs fidē, quàm abstinendi à percussione, in illa verò continetur mera assertio ad confirmādam veritatem. Graff. loc.cit.n 46. Bellochius n.30.

11 Reservationi non est obnoxius, qui jurat per falsos Deos, dummodo illis tribuere infallibilem veritatem non intendat Mazuch.loc.cit.n.51.

12 Idem resolves de illo, qui dicit, hoc est ita verum, sicut verum est Evangelium, vel sicut verum est Christum contineri in Eucharistia: vel tàm innocens ego sum, sicut innocens est Christus. Quia hujusmodi verba accipienda sunt secundùm similitudinem, non secundùm æqualitatem. Secùs dicendum, si proferentis intentio esset coęquandi veritatem humanam Divinę veritati. Sanchez lib.2. mor. c.32. nu. 31. Homob. p. 2. casu 1. except. 3.

13 Non incidit, qui blasphemias in Deum, vel Sanctos ex prava consuetudine jactat, sed tamen inadvertenter. Quia reservatio juxta dispositionem casus intelligenda est de vera, & formali blasphemia, quę in se, & non tantùm in causa sit voluntaria, & mala: blasphemia autem ex prava consuetudine, sed inadvertenter emissa, verè, & propriè rationem blasphemiæ non habet, neque in se, imò secundùm nostram sententiam nec in causa est voluntaria: Siquidem peccata oris non imputantur ad culpam, nisi fiant cum rationis usu, & advertentia. Patet ex annotatione 8. num.22. & annotat.10. numero 24.

14 Idem ob eamdem rationem resolves de illo, qui in ebrietate unà cum vino blasphemias eructat. Quia blasphemia ad hoc, ut sit mala, & imputetur ad culpam, pręrequirit rationis usum, & advertentiam. Vide supra annotat.9.nu.21. & Doctores ibidem citatos, præcipuè Graff. & Sancium, qui hanc immunitatē à reservatione ad illum etiam casum extendunt, cùm quis se inebriavit animo in Deum, vel Sanctos jactandi blasphemias.

15 In Episcopatibus, vbi reservatur blasphemia tantùm ex professo, vel consuetudine prolata, eximitur à reservatione, qui nedum quinquies, sed decies, aut pluries eodem tempore, eodemque impetu irę blasphemavit. Quia blasphemia eo casu, licèt pluries repetita, moraliter tamen unica censetur, unumque constituere peccatum: Ideòque recedit à ratione blasphemiæ ex professo, vel consuetudine. Vide supra resol.23. pro incidentibus, & Doctores ibidem citatos, quibus addo Belloch. num.192. & Mazuchell. casu 16. num.85.

16 In iisdem Episcopatibus, ubi reservatur blasphemia ex consuetudine prolata, non incidit, qui etiam quinquies in blasphemias diversis temporibus erumpit: si alioquin abhorreat à blasphemiis, sed ex pravo habitu adhuc in ipsas ruit inadvertenter, à quibus utique cupidus emendationis se retraheret, si adverteret. Quia eo casu blasphemia, nec in se, nec in causa est mala. Patet ex annotat. 10. num.23.

DE GRAVITATE

Hujus delicti, & Obligatione Confessarii.

QUàm atrox, atque immane scelus committat, qui sacrosanctum Dei nomen ab omnibus benedicendum, aut etiam Sanctos cum Deo regnantes impuro, & contaminato ore blasphemare, ac execrari audent, colligi potest tùm ex sacræ scripturę locis 4. *Regum* c.19. num.16. & pręcipuè *Levit.* 24. ubi præcipitur, ut blasphemi à toto populo lapidibus obruantur: Tùm etiam ex divinis ultionibus: Nam ob blasphemias Senacherib

Regis

Regis Assiryorum, Angelus Domini percussit centum octauaginta quinque millia hominum de ejus exercitu, ut dicitur 4. *Regum* c.19. Antiochus ob blasphemiam plaga horribili percussus fuit, ut constat *Machab.* cap.15.

Hinc etiam jura tùm Eccesiastica, tùm civilia gravissimas statuunt pœnas in blasphemos. Et quidem jure canonico *cap. statuimus de maledicis*, jubetur blasphemus die dominico stare flexis genibus præ foribus Ecclesiæ cum candela manu accensa, dum celebrantur Missarũ solemnia. Jure autem civili olim blasphemi multabantur pęna mortis. Nunc verò variè, sed mitioribus pęnis, pro varietate Regnorum, & provinciarum, puniuntur: & regulariter triennio, vel quinquennio damnantur ad triremes, teste Carena in tract. S. Inquis. par. 2. tit. 7. §. 8. num. 92. & 93.

Quod ad Confessarii munus attinet, is in primis animadvertere debet, an blasphemus habeat errorem in intellectu circa veritatem Catholicę fidei cum pertinacia junctum;

Nam tunc pęnitens verè est hęreticus; ác proinde excommunicatione Bullæ Cęnæ censeri debet innodatus, à qua, extra casum mortis, absolvi non potest, nisi à Summo Pontifice, ejusve specialiter delegato, ut constat ex tenore Bullæ, & passim tradunt Doctores, nominatim Grasseus, Finellius, Lazarius, Sayrus de cens. lib. 3. cap. 4. num. 10. Bonac. de censur. disp. 2. quæst. 5 punct. 1. nu. 1. Layman lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 5. num. 2. quibus subscribit Carena in tract. S. Inquis. tit. 7. §. 8. num. 95.

Si verò nullum habeat errorem in intellectu, tunc si Confessario constiterit blasphemiam à pœnitente prolatam fuisse atrocem, vel gravem; blasphemum, absque facultate priùs ab Episcopo obtenta, secluso articulo mortis, absolvere non debet. Alioquin, præter nullitatem absolutionis, incidet in pœnas contra præsumentes absolvere à casibus Episcopo reservatis inflictas: de quibus in priori Elucidarii parte, resolut. 40.

Neque blasphemia desinit esse reservata, propterea quòd pœnitens reservationem ignoraverit, cùm sit adnexa delicto lege naturali, ac divina prohibito de quo vide, quæ diximus in priori Elucidarii parte, resol. 31. Si tamen pœnitens ruditate laborans se vim verborum ignorasse fateatur, immunis à reservatione censendus est, ut superiùs resolutum fuit.

Præterea diligenter à blasphemo exquirere debet, an blasphemias jactaverit animo & intentione injurandi Deum, vel Sanctos, an verò ex inadvertentia, v.g. in subita commotione animi, iræque impetu. Nam priori casu blasphemia censenda est reservationi obnoxia, non item in posteriori, si inadvertentia sit hujusmodi, ut à mortali culpa possit excusari. Homob. in exam. Eccl. trac. 5. cap 5. q. 22. Belloch. de cas. reserv. part. 2. quæst. 1. n. 271.

Circa blasphemum verò consuetudinarium observabit prudens Cõfessarius, quòd licèt Navarrus, Vivaldus, & Sancius apud Dianam parte prima, tractatu septimo resolut. 55. doceant pœnitenti, qui afficitur vero dolore de præterito, & propositum habet præcavendi peccatum de futuro, nunquam denegandam esse absolutionem, eò quòd habeat requisita ad obtinendam sacramentalem absolutionem: Ideòque non obstante peccandi consuetudine, à Confessario possit absolvi. Nihilominus cùm persuasio communis Doctorum sit contraria, & à doctis, piisque Confessariis communi usu recepta, ab ea non est recedendum. Unde blasphemo consuetudinario non statim dandam esse absolutionem, sed per aliquod tempus differendam (si ad ejus emendationem id expedire videatur) ex communi resolvit Dian. cit. resol. 55. Quod maximè procedit, si consuetudo blasphemandi efficaci proposito non fuit retractata, ut dictum est supra annotat. 13. Quia si fuit retractata, tunc blasphemię ex eà consuetudine, quasi naturali & necessario impetu provenientes, sicut non sunt peccata saltem mortalia; ita nec pœnitenti absolutionis beneficium videtur suspendendum: sicut benè notat Layman lib. 1. tract. 2. c. 3. n. 6.

Do-

Doctores verò, qui dicunt denegandam esse absolutionem habenti consuetudinem blasphemandi, intelligendi sunt de habente consuetudinem ex advertentia non verò inadvertenter. Nam blasphemiæ, sicut etiam juramenta ex prava consuetudine, sed inadvertenter prolata, non sunt ita facilè judicāda peccata mortalia, sicuti tradunt Nav. in man. cap. 12. num. 84. Sanchez lib. 2. moral. cap. 32. num. 43. Bonacin. de legib. disp. 3. quæst. 8. punct. 3. num. 3. Diana parte 3. tract. 5. res. 62.

Pœnitentiarius denique pœnitenti, quem noverit ad blasphemię flagitia proclivem, tenetur respondentem gravitati sceleris pœnitentiam imponere, quæ scilicèt tùm ad morbi curationem, tùm ad criminis vindictam, & castigationem deserviat: Sicuti decernit Concilium Lateran. ultim. sub Leone X. sess. 9. §. *ad abolendum*, & Tridentinum sess. 14. cap. 8. ubi sic ait. *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantùm spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant, & indulgentiùs, quàm par est, cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo alienorum peccatorum participes efficiantur.*

Certè cùm Pœnitentiarii munere perfungerer, cum pœnitentibus blasphemis ita me gerere consuevi. Primò præcipiebam illis, ut octies, vel decies lambendo terram efformarent cruces. Secundò, ut durante mense, flexis, nudisque genibus integrum rosarium recitarent. Tertiò, ut ad terram proni toties Deum laudarent, quoties eumdem blasphemiis affecissent. Quartò, ut jejunia, abstinentias, & disciplinas frequentarent: ut sic correpti deinceps à tam atroci flagitio deterrerentur.

Ex hoc tamen non est reprobandum, quod docet Card. de Lugo de pœnitentia disp. 27. sect. 2. num. 30. Confessarios scilicèt tempore Jubilei, vel plenarię indulgentię posse leviorem imponere pœnitentiam, dummodo non sit medicinalis, seu prę̈seruatiua. Item pęnitentibus satisfactionem gravem suscipere renuentibus, vel si graventur pœnitentiis implendis, injungere, ut plenariam aliquam lucrentur indulgentiam. Siquidem plenaria indulgentia omnem, pro peccatis jam remissis debitam, delet pœnam. Dixi jam remissis, quia pæna pro peccatis venialibus nondum remissis, non tollitur: Nam pęna non tollitur sine culpa, ut passim docent Theologi.

SI IN ALIQUA DIOECESI

Reservatio fieret in his verbis.

Nefandum Sodomiæ peccatum.

Quomodo hæc verba essent intelligenda.

1 *Quàm horrendum, ac detestabile scelus sit sodomia.*
2 *Actus venereus quinque modis potest esse contra naturam.*
3 *Quid sit sodomia.*
4 *Duplex datur sodomia, alia perfecta, alia imperfecta, & impropriè dicta.*
5 *Masculus cognoscens fęminam præpostera venere, an incidat in casum. Nonnulli affirmant.*
6 *Contraria sententia est omninò vera, & sustinenda.*
7 *Reservantis juris dispositio concubitum dumtaxat masculi cum masculo, vel fœminæ cum fœmina comprehendere censetur.*
8 *Fœminæ turpiter inter se polluentes an incidant in casum.*
9 *Sententiam negativam nonnulli sustinent.*
10 *Contrariam probabiliorem putat Author.*
11 *Sodomia perfecta alia activa, alia passiva, & an utraque reservationi sit obnoxia.*
12 *Non pauci Doctores negativam tenent.*
13 *Opposita sententia est omnino vera, & sequenda.*
14 *Pœnitens vitio sodomiæ infectus an teneatur in confessione exprimere, fuerit*

rit ne agens, an patiens.

15 *Copula sodomitica cum consanguineo, vel affine habita an sit circumstantia in confessione necessariò exprimenda.*

16 *Alii affirmant, alii negant: Sed affirmativa est probabilior, & consulenda.*

17 *Maritus incipiat cognoscere uxorem in vase præpostero, sed actum deinde perficiat in naturali, an à mortali possit excusari.*

18 *Impuberes sodomiticè se cognoscentes an reservatione ligentur.*

19 *Sententiam negativam nonnulli sustinent.*

20 *Oppositam probabiliorem putat Author, & in praxi sequendam.*

21 *Impubes succubus, qui turpiter patitur à pubere, an ligetur reservatione.*

22 *Quæ pœnæ in sodomiam exercentes sint constitutæ:*

23 *Quandonam his pœnis afficiatur Clericus.*

ANNOTATIO I.

1 Sodomia horrendum adeò, ac abominabile scelus est, ut non vultum modò, sed manum etiam, & calamum de hoc nefando vitio scribere pudeat. Sed quòd magis tanti sceleris enormitatem, ac turpitudinem horret ac abhorret animus, eò magis de eo tractare cogit necessitas, quam non pauci Christianorum ingerunt, qui prærabida, ac præferina libidine acti, Dœmonibus nequiores, in tam horrendę fęditatis barathrum ruere non verentur. Paucis tamen nefandum casum perstringam, solùm notando ad Confessariorum institutionem, quę prorsus ipsis in hac materia sunt scitu necessaria. Circa quod venit primo notandum, quòd sodomię peccatum dupliciter dicitur contra naturam. Primò generatim, eò quòd sit contra dictamen rationis, & hoc modo fornicatio etiam, incestus, & adulterium, dicuntur peccata contra naturam. Secundo strictè, eò quòd sit contra modum & ordinem, quem natura instituit, ex quo possit sequi generatio. Bonacina de matrim. quest. 4. punct. 10. num. 1.

ANNOTATIO II.

2 Quinque autem modis actus venereus committitur contra naturam. Imò Primò, quando semen emittitur, & quęritur voluptas carnalis absque conjunctione naturali per sui correptionem, quod peccatum vocatur mollities, vel pollutio. Secundò, si fiat per concubitum cum creatura non ejusdem speciei, & alterius naturę, ut cum bruto, vel Dœmone, & vocatur bestialitas. Tertiò, si conjunctio quidem sit naturalis, sed modus inordinatus, & indebitus, ut si aversè fiat, vel viro succumbente, ita ut non possit sequi generatio. Quartò, si in concubitu servetur quidem debitus sexus, sed non debitum vas: ut si masculũs cognoscat fœminam, sed extra vas naturale. Quintò, si non servetur debitum vas, neque debitus sexus: ut si masculus concubitum habeat cum masculo, effundendo semen intra pudenda posteriora: & de hoc quinto modo peccandi contra naturam hìc est agendum.

ANNOTATIO III.

3 Sodomia igitur definitur, quòd sit concubitus cum persona ejusdem sexus in vase indebito.

4 Pro cujus definitionis clariori explicatione, rursus notanda est distinctio, & doctrina supra tradita, quòd duplex datur sodomia, alia imperfecta qua, servato debito sexu, non servatur debitum vas, ut si masculus concubitum habeat cum fœmina, sed in vase prępostero. Alia perfecta, qua non servatur debitum vas, neque debitus sexus; ut si masculus cum masculo prepostera venere, vel fœmina cum fęmina modo indebito congrediantur.

5 Quamvis autem plures Doctores, ut Covar. sup. libr. 4. decretal. de matr. 2. p. cap. 7. §. 5. nu. 7. Eman. Sà. *V. Luxuria* nu. 5.

Gam-

Gambar.de caf.ref.caf.2.n. 3. Belloch. de caf.ref.par.2.q.1. nu. 180. sentiant masculum cognoscentem fœminam in vase indebito, verè peccatum sodomiæ committere.

6 Nihilominus oppositum est sustinendum. Quia in sodomia propriè peccatur non solùm contra debitum vas, sed etiam contra sexum: Masculus autem præposterè cognoscens fœminam, licèt non servet debitum vas, servat tamen sexum. Sicuti benè explicant Graff. in praxi l.1.c. 11.num.10.Dian.par.2. tract.1. resol.29.ubi ajunt, copulam masculi cum fœmina in vase præpostero non esse crimen sodomię, sed peccatum non nominandum.

Litera igitur cùm dicat, *nefandum sodomiæ peccatum*, censetur tantùm comprehendere sodomiam posterioris generis, hoc est, concubitum masculi cum masculo in vase præpostero cum seminis emissione, vel fœminę cum fęmina in vase indebito, quod tale respectu fœminę dici debet etiam naturale. Siquidem vas fœmineum dicitur naturale, quia à natura institutum est, ut instrumentum naturaliter deserviens generationi humanæ, quæ generatio cùm sequi non possit ex concubitu fœminæ cum fæmina: idcircò vas fęmineum in ordine ad concubitum cum alia fœmina dici non debet naturale, sed innaturale, & indebitum. Vterque igitur concubitus verè est peccatum sodomiæ turpissimum, & abominandum, iræque Divinæ provocativum. Non item sodomia prioris generis, quę verè & propriè non est sodomia, sed flagitium non nominandum. In odiosis autem, cujusmodi est reservatio, verba sunt accipienda secundùm propriam eorum significationem, omissa impropria. Ita, præter Doctores supra citat Azor. par. 3.lib.3.c. 19. qu.3.Filliuc.tract.30.c.8.q. 9.& 10. Bonac. de matrim.qu.4. punct.11. n. 4. Floron. de caf.ref.p.2.caf.7.n. 6. Mazuch.de caf.refer. disp.2.c.22.qu.2.n.17.Lupus de caf.referu. par. 2.caf.10.n.3.

ANNOTATIO IV.

8 Utrum autem sub reservantis juris dispositione, ut in terminis casus, comprehendantur feminę, quarum altera adinstar masculi supergrediente aliam, effusum ab ipsa semen, vel aliqua seminis pars intra vas naturale alterius suscipiatur.

9 Negativè respondent Dian. par. 7. tract.12.ref. 13. Bassæus in florib. *V. luxuria* n.21.Mazuch.cit.quæst.1 .num.6.Quorum ratio est,quia in illo turpissimo actu etsi non servetur sexus, servatur tamen vas; quod ajunt sufficere ad vitandam veram rationem sodomiæ.

10 Verùm opposita sententia est probabilior, & sequenda: Tùm quia hujusmodi concubitus verè est innaturalis, & cum persona indebita. Tùm quia si talis concubitus non contineret veram rationem sodomiæ, casus sodomiæ nunquam fœminas comprehenderet, cùm non possit dari casus, ut fęmina intra vas propoſterum alterius fęminę modo naturali semen emittat, sicque fęminæ ab hoc casu simpliciter, & semper essent exclusæ: ac proindè gratis in multis Diœcesibus exciperentur, uti fit in Diœcesi Lunensi Sarzenensi apud Finellium casu nono: & in pluribus aliis Episcopatibus: quod non est concedendum. Ita Bonac. cit. punc. 11.n.5.Belloch.citata qu.1.n.189. Lupus l. cit.n. 14. Graff. in praxi lib.1.cap.1.nu.26. Chapea.de caf.ref.caf.11.q.2.

Dices. Ad rationem sodomiæ, præter identitatem sexus, requiritur etiam indebitum vas, quod deficit in tali casu.

Respondeo, quòd debitum, vel indebitum vas in hoc casu dicitur in ordine ad generationem. Proindèque cùm ex concubitu fęminæ cum fœmina, quocumque vase abutatur sequi non possit generatio inde est, ut quodcumque vas, etiam naturale in ordine ad concubitum fœminę cum fęmina, censeri debeat indebitũ: & consequenter concubitus hujusmodi innaturalis est sodomiticus, ut dictum est suprà annotatione tertia, numero septimo.

A N-

ANNOTATIO V.

11 Cęterùm cùm sodomia sit duplex, activa, & passiva, oritur rursus difficultas; an non tantùm activa, sed etiam passiva reservationi sit obnoxia.

12 Negativè respondent Graff. in praxi lib.1. cap.11.nu.7. Peregrinus V. *sodomiticus actus*, Polleta *eodem Verb.* Carolus de Baucio de cas.reser. cas.2. qu. 3. & alii: quorum ratio est, tùm quia sodomia sicut definitur, quòd sit concubitus cum masculo in vase indebito, ita etiam sodomita dicitur concubitor masculi, hoc est, agens, & non patiens. Tùm quia patientes, in rigore loquendo, non dicuntur sodomitę, sed molles, juxta illud D.Pauli 1. Cor. c.6. Neque adulteri, neque molles, neq; masculorum concubitores regnum Dei possidebunt.

13 His tamen non obstantibus, contrarium est tenendum, & in praxi servandum. Tùm quia in correlativis dispositum de uno censetur dispositum etiam de altero, nisi aliud constet ex verbis legis, de mente Legislatoris: Ideòque tàm patientes, quàm agentes sub reservantis juris dispositione censeri debent comprehensi. Quod verum arbitror, etiamsi casus propositus esset sub termino, *commiserint*, qui licet actionem designet, tamen quia sumus in correlativis, & in eodem delicti, unum includitur in alio. Tùm quia ita servari consuetudine, & praxi multarum Diœcesium testantur Belloch. cit. quæst. 1. num.188. Lupus cas.10.nu.9. Finellius cas.9. num.5. Mazuchell. cas. 22. quæst. 1. num. 8. Ita etiam Bonac. de matrim. quæst. 4. punct. 11. num.2. Coriol. de cas.reser. par.2. cas. 9.§.10.n.36. Clarus lib.5.§.*sodomia* num.2. quatenus asserit peccatum tàm patientis, quàm agentis verè, & propriè esse sodomiam.

ANNOTATIO VI.

14 Adverte tamen, quòd licèt peccatum tàm patientis, quàm agentis verè, & propriè sit sodomia, reservationi obnoxia, nihilòminus in confessione non esse necessario exprimendum, an pęnitens fuerit agens, vel patiens. Quia talis fęditas est ejusdem speciei, ut superiùs probatum est. Et quamvis levius sit peccatum patientis, quàm agentis, mitiorique pęna puniatur, non tamen inde sequitur esse diversæ speciei, aut esse circumstantiam necessariò in confessione exprimendam. Siquidem circumstantię minuentes intra eamdem speciem non sunt confitendæ, ut communiter tradunt Doctores apud Navar. in man. cap. 6. numero 5. & Suarez de pęnit.disp.22. sect.3. num. 16. cùm hæ potiùs excusationes sint, quàm accusationes. Ita Alphonsus de Leone de offic. Confess. part. 2. recoll. 9 numero 216. & 218. parte 3. tract. 4. resolut. 156. ubi resolvit, si quispiam verecundia impeditus nollet exprimere se fuisse patientem satisfacere, si dicat, toties sodomiam commisi; quod etiam docet Mazuch.cit.c.22.n.21. Etsi contrarium sentiat Card.de Lugo de sacram. disp. 16. num.423.

ANNOTATIO VII.

15 Quid autem, si copula sodomitica habeatur cum consanguineo, vel affine, an scilicet gradus consanguinitatis, vel affinitatis in confessione sit explicandus.

15 Affirmativè respondent Clavis Regia lib.8. cap.5. num.20. Lessius lib.4. c.3. num.90. Bonacina de sacram. disp.5. q.5. punct.2. n.9 asserentes, si concubitus sodomiticus habeatur cum affinibus, vel consanguineis in linea transuersali, explicandum esse gradum personę usque ad secundum: Si verò cum consanguineis in linea recta, aperiendum esse in quocumque gradu. Quia talis actus continet specialem malitiam contra pie-

tatem, & reverentiam consanguineis debitam.

Contrarium docent Cajetan. Barthol. à S.Fausto, Gyptius, quos citat, & sequitur Dian. cit. par.3. tract.4. resol.101. ubi ajunt, obligari quidem pœnitentem se accusare de actu sodomitico cum consanguineo, vel affine commisso, non tamen teneri explicare gradus. Quia gradus incestus, juxta eorum sententiam, non differunt specie. Unde consequenter inferunt committentem sodomiam cum consanguineo, vel affine satisfacere, si in confessione dicat, se copulam sodomiticam habuisse cum persona cognationis vinculo sibi conjuncta.

Hæc posterior sententia, cui subscribit etiam Mazuchell. citato cap. 22. num.23. quamvis ob Doctorum auctoritatem sit probabilis, prior tamen videtur probabilior, & in praxi sequenda.

17 Hic obiter noto mortaliter etiam peccare maritum, quoties præpostero actu incipit cognoscere suam uxorem, licèt deinde actum perficiat in vase naturali: Tùm quia talis actus nec ex se, nec ex agentis intentione potest ad actum coniugalem referri, eò quòd medium improportionatum sit, & alterius ordinis luxuriç, sicut esset mortale distinctç speciei inter solutos vacare hujusmodi turpissimo actui, etsi haberent animum intra vas debitum consumandi. Ita Sanchez lib.9.de matrimonio disp.17. num.5. Bonacina de matrimonio quæst.4.punct.11. num.12. Bassçus in floribus, V. *luxuria*, num. 22. contra Navarr. lib. 1. consil. de pœnitent.consil.7. Angel. V. *debit.* num. 25.

Quod si quis dicat, quidquid efficiunt cojnuges, servato vase naturali, non excedere culpam venialis, vasque servari, quoties extra illud non effunditur semen.

Respondeo, non dici vas legitimum servari, quoties usurpatur illegitimum, ad alterius luxuriç ordinem tendens, licèt intra illud non consumetur.

Addam hoc loco valdè differre sodomiticam copulam, & actum sodomiticu.. Copula namque sodomitica fit inter personas ejusdem sexus, effundendo semen intra vas indebitum. Actus verò sodomiticus fit etiam polluendo seipsum cum alia persona. Vide Clavem Regiam cit. num. 56.

ANNOTATIO VIII.

18 Superest adhuc difficultas resolvenda. Utrùm scilicèt impuberes sodomiticè se recognoscentes, reservatione ligentur. Pro quo notandum, masculum, qui quartumdecimum annum, & fœminam, quæ duodecimum non complevit annum, impuberes vocari; & consequenter prçsumi inhabiles regulariter loquendo, ad generationem.

19 Ad difficultatem igitur negativè respondent Graff. in praxi lib. 1. c.11. nu. 29. Belloch.de casib.reser. p.2. q.1. n.203. Lupus de casibus reservatis part.1.disp.4. num. 6. Diana parte 2. tract.1. resolut. 14. asserentes impuberes ligari quidem reservatione adnexa peccatis, quç non sunt carnalia, qualia sunt homicidium, blasphemia, &c. ea verò quç peccatis carnalibus est adnexa, non ligari. Quod verum esse ajunt, etiamsi constaret malitiam supplere ætatem, hoc est impuberem habilem esse ad seminandum.

20 Sed opposita sententia videtur probabilior, & in praxi sequenda, quoties contingat, ut impubes, malitia supplente ætatem, sit aptus ad seminandum: ac proinde nefandum compleat actum. Tùm quia litera absolutè loquitur: Ergo absolutè est intelligenda. Tùm quia impubes, recepta ad seminandum habilitate, perinde est in ordine ad hãc reservationem ac si esset pubes: Ideòque censendus est reservantis juris dispositioni obnoxius. Versamur enim in foro interno, in quo prçsumptio cedit veritati. Ita Finellius de casibus reservatis capite 5. numero 5. Homobonus de casibus reservatis prima parte, capit. 3. Lazarius de blasphemia quçstione nona, numero quarto. Quibus subscribit Mazuchellus citata disputatione secunda, capite 22. numero duodecimo.

Neque obstat, quòd impubes licitè non

non possit innodari excommunicatione ab homine inflicta: Ergo neque ligari reservatione. Quia reservatio ista lata ad bonum Ecclesiæ regimen, propriè non est pœna, sicut est censura, sed est negatio, sive subtractio jurisdictionis, quæ Confessarium potiùs afficit, quam pœnitentem, teste Cardinali de Lugo, disputatione vigesima de pœnitentia, sectione 1. num. 9. Ergo impubertas prçcisè non excusabit à reservatione, quoties impubes per seminis emissionem actum compleat. Favet Navarrus in manuali cap. vigesimo septimo, nu. ducentesimo quadragesimo nono.

21 Et hæc assertio extendenda est etiam ad casum, quo impubes succubus turpiter patitur à pubere: dummodo ex parte puberis incubi sodomiticus actus consumetur. Quia, cùm ad veram sodomiam ex parte patientis non requiratur seminatio, sed tantùm ex parte agẽtis: Idcircò impubes succubus fçdissimum actum complere, ac consumare censetur ex eo, quòd incubus complet, ac consumat. Vide quæ dixi in priori Elucidarii parte resolut. 28. Etsi contrariam sentire videatur Diana parte 7. tractat. 12. resol. 13.

ANNOTATIO IX.

22 Porrò circa pœnas in exercentes nefandum sodomiæ peccatum inflictas, sciendum est, quòd jure civili hujus delicti reis pœna mortis decernitur. *Authen. vt non luxur.* Jure autem canonico laicus à cætu fidelium excluditur, & excommunicatur. Clericus verò convictus de hoc crimine jure canonico antiquo detrudebatur in monasterium. At jure novo per constitutionem Pii V. quæ incipit, *horrendum illud scelus*, statuitur, ut Clericus exercens sodomiam omni privilegio clericali, officio, beneficio, & dignitate privetur: deinde per judicem Ecclesiasticum degredatus brachio sçculari tradatur: quæ pœnæ intelliguntur tàm de agentibus, quàm patientibus, teste Claro lib. 5. §. *sodomia* numero 4. Bonacina citat quçstione 4. punct. 11. numero 2.

23 Non incurrit tamen Clericus has pœnas, si bis tantùm, vel ter tàm dirum nefas committat. Quia prædictæ pœnæ inflictę sunt in Clericos sodomiam exercentes: Atqui actum aliquem exercere non dicitur, qui bis, vel ter illum facit, sed qui frequenti usu, & quasi ex consuetudine committit. Ita Navar. in man. cap. 27. n. 249. & 250. Suarez de cens. disp. 31. sect. 4. n. 22. Graff. p. 1. decis. aur. lib. 2. c. 90. n. 11. Layman lib. 1. tract. 5. p. 3. c. 5. n. 2. Bonac. cit. num. 2.

Prçterea ad incurrendas has pçnas non sufficit, si Clericus concubitum habeat cum fœmina in vase prçpostero: Quia talis concubitus verè, & propriè non est sodomia, ut superiùs probatum est. Nec sufficit quælibet pollutio, seu immunditia cum masculo, etiamsi fuerit incœpta intra vas ordinarium illius delicti, si consumatio fiat extra illud. Quia lex puniens delictum requirit, ut delictum sit consumatum. Sanchez lib. 2. mor. cap. 22. n. 20. Bonac. loc. supra cit. Sayrus de cens. lib. 7. c. 12. n. 23. Dian. p. 2. tract. 3. resol. 63. & 65.

Nec item tenetur Clericus sodomiam exercens in foro conscientię cedere beneficio, officio, & dignitati, aut restituere fructus ante sententiam Judicis. Quia constitutio Pii V. cùm sit pœnalis non obligat ante Judicis sententiam declaratoriam criminis, & constitutivam pœnæ Sanchez, Layman, Bonac. ll. cc. Dian. cit. tract. 3. resol. 68.

Clericus demùm sodomiam exercens, quandiu delictum est occultum, nullam suspensionis censuram, vel irregularitatem incurrit. Quia suspensio, & irregularitas non incurritur, nisi in casibus jure expressis. Navar. cit. cap. 27. n. 249. Tolet. lib. 1. c. 69. Bonac. cit. punct. 11. nu. 3. Dian. cit. resol. 98. Bassæus in florib. *V. luxuria*, n. 21. qui addunt cum Avila de cens. disp. 4. dub. 7. concl. 7. Graff. cit. cap. 90. num. 4. constitutionem Pii V. contra Clericos sodomitas in foro conscientiæ non esse usu receptam, sed procedere tantùm in foro externo. Hinc inferunt Clerico sodomię fœditate infecto impendi posse

absolutionem à peccatis, retento etiam beneficio, officio, & dignitate: dummodo accedat verò dolore, & efficaci emendationis proposito affectus.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro Incidentibus.

1 EX præmissa doctrina resolves reservatione ligari masculum puberem, qui cum alio masculo turpissimè congreditur: dummodo horrendum scelus intra vas præposterum prærabida libidine consumet cum seminis emissione. Nam concubitus hujusmodi nefandus verè, & propriè est peccatum sodomiæ.

2 Eidem reservationi obnoxiæ sunt fœminę, quę inter se carnaliter polluunt, dato, quòd alia adinstar masculi supergrediente alteram, effusum ab ipsa semen vel fœminis pars intra vas alterius recipiatur. Constat ex annotat. 4. numero 10.

3 Reservationis telum non effugit, qui muliebria turpiter patitur, hoc est, patiẽs sodomiam: dummodo actus nefandus ex parte agentis consumetur. Patet ex annotat. 5. n. 13.

4 Impuberes ab hac reservatione non sunt immunes, quoties constat, malitia supplere ętatem, eos habiles esse ad seminandum, ac proinde concubitum fędissimum consumasse. Vide supra annotat. 7. num. 10.

5 Reservationem, ut in terminis casus inductam, incurrit, qui semel tantùm nefandum scelus committit. Quia cuilibet consumatæ sodomię flagitio, in ejus odiũ & obicem, distributivè imposita est reservatio. Secùs resolvendum, si reservatio hujus delicti lata esset in hæc verba. *Qui sodomiam excreverit*, vel sodomiam exercentes. Quia exercere importat frequentiam actus: proindeque non sufficeret, si quis semel, bis, ter, vel quater tàm dirum nefas committeret. Graff. in praxi l. 1. c. 11. n. 11.

6 Impubes succubus, qui turpissimè patitur à pubere, ligatur reservatione, quoties nefandum scelus ex parte puberis incubi contingit consumari. Vide supra annotatione sexta, numero decimo quarto in fine.

7 Qui nefarium scelus commisit, antequam hujus flagitii reservatio fieret in Diœcesi, si deinde, facta reseruatione, cupidus absolutionis velit confiteri, à Confessario simplici non potest absolvi. Quia per superinductam reservationem Confessariis manet subtracta jurisdictio, & adempta facultas absolvendi ab eo delicto, sive illud ante reservationem fuerit commissum, sive post.

Dices. Si hodie in conficientes libellum famosum infligeretur excommunicatio, is qui heri hujusmodi libellum confecisset, liber esset ab hac censura. Ergo à pari qui nefandum crimen commisit antequam talis flagitii reservatio fieret in Diœcesi, si deinde illud reservetur, immunis ab hac reservatione censendus est.

Respondeo, negando paritatem. Et ratio est, quia ad incurrendam censuram prærequiritur contumacia, tamquam proxima censuræ materia, quæ deficit in eo, qui commisit delictum, antequam prohiberetur sub censurę pœna. Ad incidendum verò in reservationem non requiritur contumacia, sed sufficit, quòd pęnitens pro eo tempore, quoad confessionem accedit, sit reus delicti Episcopo reservati. Quamobrem non semel dictum est, reservationem ad bonum Ecclesiæ regimen inductam afficere etiam ignorantes, ignorantiamque reservationis nihil prodesse ad effectum, ut absolutio à reservatis à Confessario simplici obtenta sit valida. Vide in priori Elucidarii parte resol. 31.

***

R E-

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro Non Incidentibus.

1 EX prænotatis resolves, in hunc casum non incidere illum, qui cum Brutis se commiscet, etiamsi in turpissimo eorum vase actum consumet. Quia hujusmodi detestabilis concubitus non est sodomia, sed bestialitas. Hęc tamen nefanda fœditas, ac præferina libido, cùm sit flagitium gravius ipsa sodomia, ex alio capite plerisque locis est Episcopo reservata: de quo fusiùs in sequenti casu.

2 Non ligatur reservatione masculus cognoscens fœminam in vase indebito, etiamsi actum consumet intra pudenda posteriora. Quia hujusmodi detestabilis concubitus propriè non est sodomia, sed peccatum non nominandum. Constat ex annotatione secunda, numero sexto.

3 Eadem immunitas à reservatione extenditur ad masculos, qui per turpes congressus, vel libidinosos amplexus se invicem polluunt. Quia congressus hujusmodi libidinosi non includunt malitiam sodomię, sed mollitiei.

4 Non incidunt fœminæ se invicem carnaliter polluentes, si vel semen in tali turpissimo concubitu non emittant, vel emissum in vase naturale alterius non recipiatur: Ideòque actus maneat incompletus. Patet ex annotatione tertia numero 7.

5 Impuberes sodomiticè se cognoscentes hac reservatione non ligantur, si constet eos carere habilitate ad seminandum, ideòque actum non complevisse. Quia hęc reservatio requirit actum completum, & consumatum, ut constat ex supradictis.

6 Non censetur reservationi obnoxius, qui horrendum scelus inchoavit in vase turpissimo, sed illud extra consumavit, foràs semen effundendo. Quia ad hanc reservationem requiritur consumatio actus intra vas illius delicti, nisi aliud constet de mente Superioris reservantis. Lupus parte secunda, casu decimo, numero decimo septimo, cui subscribit Mazuchellus cap. vigesimo secundo, numero decimo quarto, ubi tamen rectè monet pro praxi; etsi reservationis telum effugiat, qui nefandum concubitum habens, ne semen intra vas præposterum emittat, ex industria, & fraudolenter membrum extrahit, sicque semen extra effundit; pœnitentem tamen ad Superiorem esse remittendum: Quia nemini sua fraus patrocinari debet. Quinimò hunc sub casu comprehendi censent Graffeus in praxi lib. 1. cap. 11. num. 25. & Bellochius de cas. reser. parte 2. qu. 1. num. 184.

DE GRAVITATE

Hujus delicti, & Obligatione Confessarii.

ENormitas, & turpitudo hujus flagitii est tanta, ut nefandum, & horrendum nuncupetur: propterea quòd de eo etiam mentionem facere, mens, & aures inhorrescant. Quàm verò irę divinæ sit provocativum, patet ex scripturis, *Genes.* 19. *& ad Romanos* 1. Nam inter pręcipuas diluvii causas recensetur hoc scelus: ob cujus etiam fœditatem, & abominationem Deus bella, fames, pestes, terręmotus, & hujusmodi flagella immittere solet.

Certè etsi legatur apud Martinum Delrium, aliosque graves Auctores, Diabolum aliquando sub specie viri incubum, & sub mulieris formam succubum fuisse; nunquam tamen succubum sub specie viri: quod indicat tantam fœditatem, & turpitudinem ipsi Dœmoni, licèt nequissimo esse horrori.

Nefanda, & execrabilis hujus sceleris turpitudo potest etiam colligi ex gravissimis pœnis jure tùm civili, tùm Canonico in patratores istius flagitii statutis. Nam rei hujus nefandi criminis jure civili sunt infames, & legibus municipalibus comburi solent. Jure verò canonico laicus è cętu fidelium excluditur, &

& excommunicatur. Jure autem novo per constitutionem Pii Quinti Clericus exercens sodomiam, omni privilegio clericali, officio, beneficio, & dignitate privatur: Insuper degradatus brachio seculari traditur. Qua de re vide superiùs annotatione septima numero vigesimo secundo, & Navarr. in man. capite vigesimo septimo num. 249. Diana parte secunda tractat. tert. resolut. 63. & 66.

Hinc jure meritò horrendum hoc scelus ferè ab Ordinariis omnibus reservatur.

Quod ad Confessarii, sive Pœnitentiarii munus attinet, is; ignorare non debet, quòd supradictę pœnę non habent locum, nisi sodomiæ delictum sit notorium, & sæpiùs commissum; & tunc tantùm in foro externo, teste Navarro in manuali capite vigesimo septimo num. 249. & sequentibus ex communi. In foro verò interno, sive pęnitentiæ, diligenter observabit, num pęnitens sit rectè dispositus, vero scilicèt dolore, & efficaci emendationis proposito affectus; absitque proxima recidivi occasio. Quæ dispositiones prærequiruntur in quovis peccatore, antequam ipsi sacramentalis impendatur absolutio.

Confessarius tamen, quoties sibi constiterit de frequenti pænitentis relapsu, absolutionem aliquando illi differre poterit, ad experimentum sumendum de firmo ejus proposito, ut postea majori cum fructu absolutionem recipiat. Quam etiam pænitenti ad tam enorme flagitium proclivi nec tunc conferre debet, nisi priùs imposita, respondente enormitati criminis, pænitentia, quæ scilicèt tùm ad morbi curationem, tùm ad sceleris vindictam, & castigationem deserviat, juxta Concilli Tridentini præscriptum sessione decima quarta capite octavo.

(.:.)

SI IN ALIQVA DIOECESI

Reservatio fieret in his verbis.

Coeuntes cum Brutis.

Quomodo hęc verba essent intelligenda.

1 N*omen Brutorum differt, latiùsque patet, quàm animalium.*
2 *Quinam veniant nomine Brutorum in litera reservationis.*
3 *Quid propriè significet verbum coire cum Brutis.*
4 *Conjungens se cum bestia absque bestialis coitus consumatione, an reservatione ligetur.*
5 *Affirmativam nonnulli sustinent.*
6 *Oppositam sententiam probabiliorem putat Author.*
7 *Pœna, & quod habet rationem pœnæ, vt est reservatio, requirit actum completum, & consumatum*
8 *Impuberes cum bestiis se commiscentes reservatione non ligantur, præterquam si malitia supleat ætatem.*
9 *Coeuntes cum Brutis tam masculis, quam fœminis incidunt in casum.*
10 *An in confessione necesse sit exprimere concubitum habitum esse cum Bruto masculo, vel fæmina.*
11 *Fœminæ à belluis cognitæ Episcopali reservationi sunt obnoxiæ.*
12 *An pollutio cum bestia citra concubitum, sit circumstantia in confessione exprimenda.*
13 *Bestialitatis vitium ex delinquentis affectu aliam deformitatem induere potest.*
14 *Concubitus cum Dœmone reducitur ad bestialitatis flagitium:*
15 *Ex concubitu cum Dœmone in assumpto corpore, an possit sequi generatio.*

AN-

ANNOTATIO I.

1 ETsi non desint, qui pro eodem censent accipiendum nomen Brutorum, & Animalium; discrimen tamen non exiguum intercedit inter ea. Nam Animalium nomine veniunt tantùm terrestria, Verb. gr. Equus, Ovis, Canis, &c. non item aquatilia, aut aerea, videlicèt pisces, & Aves. Brutorum verò nomen non solùm comprehendit Animalia, sed etiam pisces, & Aves: Unde liquet, latiùs patere vocabulum Brutorum, quàm Animalium irrationabilium.

2 Litera igitur reservationis, cùm ex suppositione dicat. *Coeuntes cum Brutis*, clarè ostendit sub reservantis juris dispositione non solùm comprehendi turpissimam commistionem cum Animalibus, nempè Equo, Ove, Cane, &c. sed etiam cum Avibus, & cujusuis generis piscibus. Hi siquidem omnes, & singuli veniunt nomine Brutorum. Idemque significant hæc verba. *Coeuntes cum Brutis*, ac si diceretur. Coeuntes cum bestiis. Ita Graff. de cas. res. c. 11. n. 1.

ANNOTATIO II.

3 Cęterùm cùm verbum *coire* multiplicem habeat significationem: nam aliquando sumitur in bonam partem, prout significat societatem inire: aliquando in malam, prout significat in in malum aliquod conspirare. In hoc casu verbum, *coeo*, cùm constet ex *con*, & *eo*, significat conferre in unum, quæ ad corporum conjunctionem requiruntur, siue id fiat ad prolis generationem, ut in naturali copula maris, & fæminæ, siue turpissimam voluptatem, ut in sodomia, molitie, bestialitate. Quare *coire*, idem est, ac corpora conjungere cum seminis emissione.

ANNOTATIO III.

4 Utrùm verò ad coitus bestialis flagitium & consequenter ad incurrendam reservationem tali delicto adnexam sufficiat quilibet coitus intra vas naturale Animalis, etsi deinde semen extra vas emittatur. Disceptatio est inter Doctores.

5 Affirmat Gambar. de cas. res. pagina mihi 257. num. 7. cui videtur adherere Graff. c. 12. num. 13. Quorum ratio est, quia patrator hujus delicti, ut possit ad mortem adjudicari sufficit, si pervenerit ad aliquem actum: ut habetur in *C: reos*, §. *qui cojerit*. 23. qu. 5. ergo, & bestialem coitum inchoans, licèt extra vas se polluat, censeri debet reservatione ligatus.

6 Sed opposita sententia est probabilior, & in praxi sequenda. Et ratio est, non quia casuum resernatio sit odiosa, odia verò semper restringi, & fauores conueniat ampliari, ut habet *regula juris in 6.* Non enim assentior, reseruationem istam esse odiosam, nisi fortè respectu Confessariorum, sed quia peccata externa reseruationi obnoxia non intelliguntur reseruata, nisi actum completum habeant, non inchoatum solùm. Quoties enim agitur de crimine semper intelligendum est de eo, quod consumatam injuriam, non cæptam significat: sicuti constat ex *cap. Hæc autem de pænitent. dist.* 1. & Gloss. *ibidem super verbo cum effectu*.

7 Accedit, quòd pęna pro delicto imposita non habet locum, nisi illud fuerit consumatum, etsi quomodolibet inchoatum. Sicuti docet Abbas super caput. *Cùm in cunctis*. §. *Clerici*, num. 3. de elect. & fatetur ipsemet Graff. parte 1. decis. lib. 1. cap. 13. num. 71. Cùm ergo reseruatio habeat quamdam rationem pænę: Idcircò dicendum est, coeuntes cum Brutis, si actum non compleant cum emissione seminis intra vas Animalis reseruatione non ligari: nisi aliud constet ex verbis reseruationis, vel de mente Episcopi reservantis, aut certè

Aa 4 con-

contraria sit praxis Confessariorum, & consuetudo Diœcesis. Ita Navarr. in manual. cap. 27. num. 250. Vers. *Quinto dico*. Finellius de cas. reser. cap. 5. num. 4. & 5.& cas. 8. num. 4. Lupus part. 2. cas. 10. num. 17. in simili de actu sodomitico. Vide quæ diximus in superiori casu res. 6. pro non incidentibus in simili de sodomitico actu inchoato, sed non completo.

Rectè tamen monet Mazuchellus de cas. reser. cas. 22. n. 17. in simili de sodomitico actu incæpto, sed non consumato, etsi pœnitens eo casu reservationem effugiat, ad Superiorem tamen esse remittendum. Quia nemini sua fraus patrocinari debet.

8 Ex hac doctrina infertur impuberes, hoc est, pueros ante annum decimumquartum exactum, si cuum Bestia carnaliter se commisceant, non ligari hac reservatione. Quia pueri regulariter in ea ætate semen non gestant, ut ait Aristoteles, & consequenter cùm bestialem concubitum complere nequeant cum seminis emissione, in reservationem non incidunt.

Dixi regulariter, quia si in raro casu malitia suppleret ætatem; Ideòque in ea ætate constaret, eos actum consumare cum seminis emissione intra vas Animalis, reservationis jaculum non effugerent. Nam impubes, malitia in eo supplente ætatem, seu recepta ad seminandum habilitate, perinde est in ordine ad reservationem, ac si esset pubes: sicuti resolvimus in priori Elucidarii parte resol. 27. cum Mazuchello de cas. reser. disput. 1. qu. 2. diff. 4. num. 15. contra Graff. & Floron. ibid. cit.

ANNOTATIO IV.

9 Cęterùm cùm bestialis coitus possit fieri tàm cum Bruto masculo, quàm cum fœmina, oritur difficultas, an non tantùm coeuntes cum fœmina, sed etiam cum masculo, reservatione ligentur. Cui difficultati ansam præbere potest, quòd verba præsertim in lege pęnali accipienda sunt secũdùm proprium eorum significatum: sicuti habetur in l. 4. §. *de negot. gest.* Coire autem cùm propriè significet conjunctionem maris cum fęmina: Idcircò de conjunctione solùm cum fęmina, non item cum masculo reservationis litera videtur intelligenda.

Hac tamen ratione nòn obstante, resolutio ad partem affirmativam deflectit, videlicèt sub reservantis juris dispositione comprehendi coitum, tàm cum Bruto masculo, quàm cum fęmina: nam reservatio simpliciter, & generaliter lata, simpliciter, & generaliter est intelligenda. Atqui litera in nostro casu simpliciter dicit: *coeuntes cum Brutis*, absque alia limitatione; igitur tàm ad coitum cum Bruto masculo, quam cum fæmina est extendenda. Imò multò magis ad concubitum cum masculo, cùm is gravior, & detestabilior sit, quàm cum fęmina.

Dubitandi verò ansa arcetur, si dicatur, verbum coire significare conjunctionem corporum, ut supra explicatum est. Unde quoties fiat conjunctio cum supposito alterius speciei, intercedente seminis emissione intra vas, toties committitur bestialitatis delictum, & incurritur reservatio. Graff. cit. c. 13. n. 14.

10 Non est tamen necesse in confessione dicere, concubitum habitum esse cum Bruto masculo, vel cum fęmina: nam bestialitatis flagitium non variatur ex diversitate sexus; sed neque ex diversitate bestiarum: siquidem semper bestia est, quę ut objectum movet ad libidinem: cùmque inepta sit humanę generationi, sive fęmina sit, sive masculus; idem est specie bestialitatis vitium, cum quacumque, & in quocumque vase expleatur, quantùm ex natura talis concubitus; sicuti benè explicant Azor. 3. parte lib. 3. cap. 22. Filliuc. tract. 30. n. 161. Bonac. de matr. quęstione 4. punct. 12. Finellius casu 8 num. 5.

ANNOTATIO V.

11 Verùm cùm ex antiquis, & nostro etiam sæculo relictis monimentis constet, non defuisse fœminas adeò pręrabida libidine, ac præserina salacitate in coitum præcipites, ac concitatas, ut se belluis succubuerint (res horrenda, nefandaque dictu) suboritur difficultas; num scilicet fœminæ hujusmodi à Brutis animalibus cognitæ, Episcopali reservationi sint obnoxiæ. Et ratio dubitandi est, quia Verbum *coeuntes* videtur importare actionem, non passionem; & consequenter non comprehendere fœminas, quæ in hujusmodi nefando coitu merè passivè se habent.

Assertio tamen est affirmativa, & certa, fœminas impudicè à belluis cognitas Episcopali reservationi, ut in terminis casus esse obnoxias. Et ratio est, quia in correlativis dispositum de uno censetur dispositum etiam de altero, quoties in utroque identitas rationis concurrit; sicuti constat ex *l. final. Cod. de indic. viduit. l. final. ff. de accept. l. 1. de cupr. lib. 11.* Cùm ergo simus in eodem genere delicti, eademque ratio militet tàm in fęmina patiente, quàm in masculo agente: Idcircò fęminæ à belluis cognitę proculdubiò censeri debēt sub casu comprehensę: Imò multò magis fęminæ, cùm major in ipsis deformitas reperiatur. Graff. cit. cap. 13. n. 18.

Ad objectionem, cùm dicitur, verbum *coeuntes* importare actionem, non passionem, dico, illud verbum accipiendum esse tàm activè, quàm passivè; cùm etiam jura pęnas infligentia tàm de concurrentibus activè, quàm passivè ad hoc delictum eodem modo disponant.

ANNOTATIO VI.

12 Rogabit hìc aliquis: num pollutio cum bestia citra concubitum sit circumstantia in confessione exprimenda.

Respondeo cum distinctione. Nam vel pollutio habetur cum bestia ex desiderio se commiscendi cum eadem bestia: vel habetur absque affectu ad bestiam, sed solùm adminiculo bestię. Si priori modo, dico, talem circumstantiam esse necessariò in confessione exprimendam. Quia quemadmodum qui se polluit cum desiderio uxoris alienę, vel consanguineę, aut Deo sacrę tenetur in confessione exprimere circumstantiam adulterii, vel incestus, vel sacrilegii; ita etiam qui se polluit cum bestia tenetur hanc circumstantiam aperire, si desiderium habuit se commiscendi cum bestia: Nam pręter malitiam pollutionis contrahit etiam malitiam bestialitatis, quam constat in confessione necessariò esse aperiendam.

Si verò pollutio habeatur posteriori modo, nimirùm sine desiderio ad bestiā, sed solùm adminiculo bestię, tunc dico, talem circumstantiam non esse necessariò in confessione exprimendam. Quia circumstantiæ tantùm aggravantes non sunt necessariò in confessione explicandę, ut communiter tradunt Doctores apud Lessium lib. 4. c. 3. dub. 12. nu. 8. Bonacinam de sacram. disp. 5. qu. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. num. 5. Cardinalis de Lugo de pęnit. disput. 16. sect. 3. num. 107. Aliqui se polluere adminiculo bestię citra concubitum, & sine desiderio ad bestiam est circumstantia tantùm aggravans, ut tenere debent Cajetan. 2. 2. q. 154. artic. 11. Azor. 3. p. lib. 3. cap. 23. q. 2. punct. 10. num. 15. Navarr. in man. cap. 16. num. 6. quorum sententiam probabilem putat Diana part. 7. tract. 1. resol. 15. in fine. Siquidem nullam aliam deformitatem habet, pręterquamquòd sit contra rectam rationem. Ergo in confessione non est necessariò explicanda.

13 Adverte tamen, quòd bestialitatis vitium ex delinquentis affectu potest ulteriùs aliam deformitatē inducere. Unde

si quis

si quis abuteretur bestia ex affectu sodomitico, tunc tale scelus pręter bestialitatis vitium indueret etiam deformitatem sodomię, quę deformitas, ac circumstantia esset necessariò in confessione aperienda.

ANNOTATIO VII.

14 Ad idem bestialitatis flagitium reducitur concubitus cum Dœmone, quoties in assumpto corpore fit incubus, vel succubus, siue corpus bestię, siue viri, siue mulieris assumat. Concurrit enim ad talem actum, ut quid extraneum à specie humana: Et ideò ex se est bestialitatis vitium, cui superadditur aliud flagitium ratione superstitionis, ad quam spectat societas cum Dœmone: quod peccatum differt specie à bestialitate: sicuti docent Cajetan. 2.2.q.154.artic.11.ad tertium. Reginaldus lib.22.num.51. Filliuc. tract.30. num.162.

Utrùm verò quilibet concubitus cum Dœmone sit ejusdem speciei, dicendum est esse ejusdem speciei, quantùm est ex natura actus: quantùm verò ex parte affectus potest esse diversæ speciei. Nam si quis coeat cum Dœmone in specie mulieris affectu fornicario, vel adulterino, vel incestuoso; talis concubitus, pręter peccatum bestialitatis, contrahet etiam malitiam fornicationis, vel adulterii, vel incestus; si cum eodem in specie viri affectu sodomitico, erit sodomia, & sic de aliis: qua de re vide Grassium lib. 2 c. 89. Finellium de casib. reser. casu 7. num.6. Bonacinam de matrim, quęst.4. punct.12. num. 3.

ANNOTATIO VIII.

15 Sed hìc curiosè petes, an ex concubitu cum Dœmone in assumpto corpore sequi possit generatio.

Respondeo primò, Dœmonem in assumpto corpore, proprio semine generare non posse. Et ratio est evidens, quia Dœmon, cùm sit substantia incorporea, atq; ideò expers animæ vegetatiuæ, nequit vi sua, & de suo corporeum semen pręstare. Siquidem vegetantis animæ functio est naturali calore cibum acceptum concoquere, ex quo semen postea producatur, & consequenter non potest Dœmon vi sua, & ex propria substantia more animantium generare.

Respondeo secundò, si Dęmon in corpore assumpto concubitum habeat cum muliere, ex tali concubitu concipi posse fętum humanum, non quidem semen de suo præstando, sed semen à viro acceptum statim deferendo, atque in vas fęmineum immittendo. Dęmon siquidem, postquam sub mulieris specie succubans viro, muliebria est passus, semen, quod inde recepit, potest sub viri figura incubans fęminæ, in ejus matricem transfundere, itavt menstruo ejusdem sanguini, vel semini commisceatur.

Ea enim Dœmon est agilitate, ac naturali rerum peritia, ut calorem prolificum in accepto semine, quamvis subtilis ille sit, ac facilè dissipabilis conservare possit, semenque ipsum in mulieris uterum, quo momento ad concipiendum disposita est, infundere. Qui effectus cùm solùm requirat motum localem citissimum, qui virtutem Dęmonis naturalem non excedit, idcircò ab eo fieri potest. Ita sentiunt Sanctus Thomas in 2. distinct. 8. quęst. 1. articulo quarto. Sanctus Bonaventura ibidem articulo tertio, quęst.1. Cajetanus secunda secundæ, quæstione 95. artic. 3. Suarez quarto libro de Angelis cap. 38. num. 10. Delrius secundo libro disquisitionum magicarum, quęstione quintadecima, axioma secundo, & versiculo *dicimus ergo*. Molina 1. parte, quæstione quinquagesima, articulo 1. Conimbricenses primo libro in Aristotelem de generatione, & corruptione, capite 3. articulo 3. *secundum pronunciatum*: qui varia exempla hujus veritatis adferunt: aduntque, hominem ex tali concubitu genitum non Dęmonis filium, sed ejus hominis, cujus semine abusus est Dęmon, esse dicendum.

Utrùm verò etiam ex succubo Dęmone, & viro fætus humanus concipi possit. Communis sententia tùm Theologorum, tùm Physicorum est negativa. Tùm

quia

quia mestruus sanguis, qui humanæ conceptioni omninò est necessarius, nequit suppeditari à Dęmone, quippe qui digestionem nullam habet, nullumque verum sanguinem. Tùm quia ad conceptionem fętus humani, præter gestationem novem mensium requiruntur fomenta, & alimenta ejusdem fętus vitalia, quę nequeunt effici, nisi à vegetante matris anima. Vide Doctores supra citatos, potissimùm verò Martinum Delrium loco citato.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro Incidentibus.

1 EX prænotatis pro regula generali statuitur, eos omnes reservatione ligari, qui concubitum habent non solùm cùm Animalibus, V.gr. Equo, Cane, Ove, &c. sed etiam cum Avibus, & cujuscumque generis piscibus: dummodò verus coitus intercedat cum seminis emissione intras vas Bestiæ. Constat ex annot. 1. num.1.

2 Idem resolves de illo, qui se polluit cum Bruto masculo, consumando actum in turpissimo ipsius vase. Quia reservantis juris dispositio comprehendit bestialem coitum tàm cum Bruto masculo, quam cum fęmina: imò multò magis cum masculo, cùm is sit gravior, ac detestabilior, patet ex annot.4. n.9.

3 Episcopali reservationi proculdubiò censeri debent obnoxiæ fęminæ, quę se belluis belluina libidine succumbẽtes ab ipsis fuerunt cognitę cum abominabilis actus consumatione: Cujus pręferinæ salacitatis, ac prurignis etiam ætate nostra non desunt exempla. Vide supra annot.5. n.11.

4 Neque telum reservationis effugit fęmina, si coitum habens cum bestia ipsa sola seminet, non item bestia, eò quòd eam ante ipsius seminationem à se amoveat. Quia hęc reservatio non est inducta ad impediendam generationem cum bestia, sed in odium tàm atrocis flagitii, & bestialis turpitudinis, quæ censetur consumari ex parte fęminæ ex sola ipsius seminatione, dummodò ea contingat, perdurante vero coitu cum bestia.

5 Reservationem non effugit impubes, quoties malitia in eo supplente ætatem, constat crimen pessimum consumasse cum seminis emissione intra vas bestię. Liquet ex annot.5. n.8.

7 Coeuntes cum Dęmone incubo, vel succubo, sive bestię, sive hominis corpus assumat, ligantur reservatione: Quia in hoc casu verus cum Bruto intervenit coitus: Siquidem Dęmon etsi incubat, vel succubat sub specie hominis; ad talem tamen concubitum concurrit, ut quid extraneum à specie humana. Vide supra annot.3. n.7.

RESOLUTIVA PRAXIS.

Pro Non Incidentibus.

1 EX prænotatis resolves, eum non incidere, qui instrumento aliquo vel manu vas bestiæ penetrans efficit, ut Animal libidine cõcitatum semen emittat: Quia talis actio pollutio ex parte Bruti dicenda est, non coitus.

2 Idem resolves de illo, qui genitale membrum etiam cum seminis emissione intra os, vel aures, aut nares bestię immitteret. Quia & hæc actio pollutio ex parte hominis dicenda est, non verus coitus.

3 Immunis à reservatione censenda est fæmina, quæ studiosè, & data opera efficeret, ut Animal, vel orificium proprii pudoris fęminei lingendo, vel caudam in vas ejusdem pudoris immittendo, eam ad pollutionem induceret. Quia reservatio requirit verum coitum cum membro genitali.

4 Non ligatur reservatione, qui propria virga naturam Animalis perfricans turpissimè se polluit: Quia eo casu deficit conjunctio corporum, & consequenter bestialis coitus, qui solùm reservationi est obnoxius. Constat ex annotation. 2. num.3.

5 Eadem

5 Eadem resolutionem extendes ad eum, qui intra vas Animalis, seu bestię coitum abominandum incœpit, sed deinde studiosè se retrahens extra vas semē effundit. Quia reservatio requirit actum completum, & consumatum; nisi aliter jus reservans disponat: Verùm, etsi in hoc casu pęnitens reservationem effugiat; ad Superiorem tamen puto esse remittendum, quia nemini sua fraus patrocinari debet. Vide annotatione 3. num. 7.

6 Eadem à reservatione immunitas ampliatur ad casum, quo homine activè coeunte cum bestia ipsa corrumperetur, non autem homo. Quia bestialis coitus non censetur perfici, & consumari ex parte hominis, nisi semen emittat intra vas naturale, vel innaturale Animalis: patet ex eadem annotatione 3. num. 7.

7 Pueri ante decimum quartum annum exactum cum bestiis coeuntes, à reservatione censendi sunt immunes: Quia ante eam ætatem pręsumuntur inhabiles ad seminandum, & consequenter ad bestialem coitum consumandum, qui solùm reservationi est obnoxius, ut latiùs explicavimus supra annotatione 3. num. 6. 7. & 8. Quoties tamen constaret in ea ætate actum consumasse malitia supplente ætatem, reservationis telum non effugerent. Vide pręd ictam annotationem 3. num. 7.

DE GRAVITATE

Hujus Delicti, & Obligatione Confessarii.

BEstialitatis flagitium est gravissimum, & inter omnia luxurię peccata, quę contra naturam committuntur pessimum nuncupatur. Sicuti constat ex *Genes.* cap. 37. illis verbis. *Accusavit fratres suos crimine pessimo.* Ubi Gloss ait. *Quia cum pecoribus miscebantur.* Tantum verò scelus ita est abominabile coram Deo, ut cap. 2. *Levit.* mandaverit, occidi bestiam, cum qua perpetratum fuisset, quamvis ipsa careret culpa, cùm sit irrationalis, & cap. 20.] *ejusdem Levit.* jusserit interfici eum, qui cum jumento misceretur unà cum ipso jumento. Quod fiebat ad delendam indigni facti memoriam, ut ait Augustinus relatus in cap. *Mulier* 15. q. 1. Hodie etiam ob immanitatem flagitii, bestia cum qua peccavit quis, est interficienda.

Quod attinet ad Confessarium, qui aliquem ad tantum scelus proclivem repererit, in primis illi gravitatem criminis aperiat, jubeatque ut à se bestiam alienet, quomodocumque fiat alienatio, ut sic omninò removeatur recidivi occasio. Reperti enim sunt, qui septem annos cum eodem Bove peccarunt, qui casus licèt excedat hominum fidem, non tamen veritatem. Pœnitens propter flagitium proclivis, pręter alias pænitentias, quæ tanti morbi tùm curationem, tùm criminis vindictam respiciant, bestiarum vitam per aliquot dies transigere à Confessario cogendus erit, videlicèt, ut nihil coctum igne comedat, sed omnia cruda, & sola acqua sitim extinguat. Qui verò in hoc flagitio magis habituatus repertus fuerit, ad coercendam ejusdem insaniam, & execrabilem voluptatem, bestiarum more proprio ore cibum capere compellendus erit, negata illi facultate manuum ministerio ad hoc utendi, ut sic saltem resipiscat, juxta illud. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum*, cùm prę sertim cum personis vilibus agatur. Hæ tamen pęnitentię pęnales, ut clam executioni mandentur, ad tollendum scandalum, hujusmodi pęnitentibus à Confessario imponendum erit.



S I

SI IN ALIQVA DIOECESI

Reservatio fieret in his verbis.

Stuprum Virgini per vim illatum.

Quomodo hec verba essent intelligenda.

1 *Stuprum quid sit.*
2 *Stuprum duplex, aliud Virgini per vim illatum, aliud volenti, & consentienti.*
3 *Defloratio Virginis consentientis, an constituat speciem luxuriæ à simplici fornicatione distinctam.*
4 *Non pauci Doctores affirmativam sustinent.*
5 *Contrariam probabiliorem putat Author.*
6 *Defloratio Virginis consentientis, sub reservantis juris dispositione, ut in terminis casus, non comprehenditur.*
7 *Stuprum per vim dividitur in id, quod per vim, & coactionem propriè dictam Virgini infertur, & in id, quod per dolum, vel motum.*
8 *Vtraque defloratio an censenda sit sub reservantis juris dispositione comprehensa.*
9 *Concubitus cum Virgine precibus, blandiciis, muneribus obtentus an reservationi sit obnoxius.*
10 *Nonnulli affirmant.*
11 *Sententia negans videtur probabilior, & sustinenda.*
12 *Præces, munera, blandiciæ non minuunt, sed potiùs augent voluntarium.*
13 *Quid, si cum precibus conjunctæ sint minæ.*
14 *Stuprum virgini per vim illatum, ut reservationi sit obnoxium, debet esse perfectum, & consumatum.*
15 *Quid sit virginitas.*
16 *An virginitas à castitate differat.*
17 *Ad incidendum in casum non sufficit, quòd Puella ab omnibus reputetur Virgo, si occultè fuerit corrupta.*
18 *Virginitas potest considerari, & ut status naturæ, & ut virtus.*
19 *Virginitas, ut est status naturæ, quot modis amittatur.*
20 *Virginitas, ut est virtus, an recuperabiliter possit amitti, & quot modis.*
21 *Puella per vim corrupta an possit velum consecrationis accipere.*
22 *Virginitas, ut est virtus, quando irrecuperabiliter amittatur.*
23 *Virginitatis integritas duplex, alia carnis, alia animi.*
24 *Ad incidendum in casum opus est, & sufficit, ut Puella sit integra carne.*

ANNOTATIO I.

1 Stuprum, si latè accipiatur, significat omnem speciem luxuriæ, sive cum masculo, sive cum fœmina, eaque vel coniugata, vel vidua, vel virgine: sicuti constat ex *l. stuprum, ff. ad legem Iuliam*, & notavit S. Thom. 2. 2. quæst. 154. art. 6. ad 2.

Strictè verò acceptum stuprum significat illicitam Virginis fœminæ deflorationem. Laym lib. 3. sect. 5. tr. 3. p. 3. c. 13. n. 1. ex Gratiano.

2 Stuprum posteriori modo, & propriè acceptum dividitur in illud, quod Virginis per vim infertur, & in illud, quod volenti, acconsentienti.

3 Circa quam divisionem, oritur primò difficultas, an copula cum Virgine consentiente habita constituat speciem luxuriæ à simplici fornicatione distinctam.

4 Affirmativam sententiam sustinet Cajet. 2. 2. quæst. 154. art. 6. Tolet. libr. 3. cap. 18. Azorius tom. 3. lib. 5. cap. 5. quæst. 1. Filliuc. tract. 30. num. 61. & 66. Bonac. quęst. 4. de matrim. punct. 7. n. 2. Quorum fundamentum est, quia per stuprum fit injuria patri, cui commissa est custodia corporis suę filię, sive consentiat, sive dissentiat. Quòd si filia parentibus orbata sit, adhuc asserunt concubitum cum ea specialem continere luxurię malitiam, quę necessariò in confessione exprimenda est, non ob injuriam parentibus illatam, sed ob injustitiam contra finem naturę, in ordine ad quem claustrum virginale

nale concessit, cui puella non potest cedere, cùm illius non sit domina, sed custos.

5 Contrarium docent Sanchez libr. 7. de matrim. disp. 14. num. 5. Lessius lib. 2. cap. 10. dub. 1. num. 6. Vasquez 1. 2. disput. 112. cap. 2. Coninch. disput. 7. numero 19. Layman cit. cap. 13. num. 1. Diana part. 2. tract. 3. resol. 12. videlicèt deflorationem virginis consentientis non continere speciem peccati à simplici fornicatione distinctam, & consequenter circumstantiam virginitatis violatę non esse necessariò in confessione exprimendam. Ratio istorum est, quia si copula cum virgine consentiente specialem continet malitiam, quam non includit simplex fornicatio, maximè quia non solùm adversatur temperantiæ, sed etiam justitiæ, cui non adversatur fornicatio, sed hæc deformitas injustitiæ non reperitur in defloratione Virginis consentientis: Ergo, &c. Minor probatur, quia Puella licèt non sit domina sui corporis, est tamen domina usus sui corporis, quo vel nunquam uti potest ad carnalem generationem, vel uti modo legitimo nuptiarum, vel etiam abuti per illicitum concubitum, Ergo nulli infert injuriam, cùm puella non habeat minus dominium claustri virginalis, quàm oculorum, ac manuum suarum; & abutendo virginali claustro, utatur eodem jure, quo citra propriam, vel alienam injuriam potest uti circa oculorum, vel manuum usum.

5 Hæc posterior sententia tùm ob efficaciores rationes, tùm ob gravissimorū Doctorum auctoritatem, mihi videtur probabilior, & in praxi sequenda.

6 Verùm quidquid sit de hac difficultate, quoad stupri malitiam, vel damni compensandi obligationem, certissimum nobis esse debet, stuprum cum Virgine consentiente commissum sub reservantis juris dispositione, ut in terminis casus non comprehendi, ut clarè constat ex illis verbis *per vim illatum*. Volenti enim, & consentienti violentia, & injuria non infertur.

ANNOTATIO II.

7 Cæterùm notandum est, quòd stuprum duobus modis potest Virgini violenter inferri. Primò per vim, & coactionem propriè dictam, ut si Virgo ob sexus imbecillitatem à viro opprimatur; ipsa non solùm non consentiente, sed quatenus potest, & debet clamore, & nisu corporis resistente. Secundò per dolum, aut injustam metus incussionem, quę violentiæ æquiparetur, ut si vir dolosa nuptiarum promissione copulam à Virgine extorqueat, vel sponsus per verba de futuro juratus minetur sponsæ, se cum alia nuptias initurum, ni copiam sui corporis sibi faciat.

8 De stupro utraque ratione Virgini illato intelligenda est litera propositi casus. Nam copula etiam per dolum, fraudem, vel injusti metus incussionem à Virgine extorta sub nomine stupri Virgini per vim illati comprehenditur, teste Graff. lib. 2. decis. aur. c. 78. nu. 4. Chapeav. de cas. reserv. cap. 11. numer. 4. & cas. 12. qu. 1.

9 Difficultas est de copula muneribus blanditiis, vel precibus importunis à Virgine impetrata, an ea etiam comprehendatur nomine stupri Virgini per vim illati.

10 Affirmat Lupus de cas. reser. part. 2. cas. 15. num. 5. citans Capeavillam, & Graffium rationem assignat, quia munera, preces, blandiciæ, &c. Licèt non contineant violentiam propriè dictam, continent tamen violentiam interpretativam, cùm munera, preces, blandiciæ, quasi violenter Puellam, ad consentiendum in sui deflorationem inducant.

11 Oppositum tamen videtur probabilius, & sustinendum, videlicèt eum, qvi muneribus, blandiciis, vel precibus etiam importunis Virginem ad copulam flexit, in reservationem latam contra inferentem stuptum Virgini per vim non incidere, nisi simul cum precibus junctæ sint minæ, vel talis metus reverentialis, qui vi, & coactioni æquiparetur

tur

tur. Et ratio est, quia ad rationem stupri, de quo loquitur litera, duo requiruntur: primus est violatio signaculi, sive claustri virginei per carnalem accessum viri; alterum injuria, sive violentia virginitati, sive claustro virginali illata: Sicuti docent Lessius citat. cap. 10. dub. 1. numero 6. Sanchez lib. 7. de matrimon. disput. 14. Quamvis igitur in proposita difficultate verè intercedat violatio signaculi, sive claustri virginei per carnalem accessum viri, deficit tamen vis, injuria, & violentia Virgini illata. Quia preces quamvis importunæ non continent injuriam, & violentiam, neque tollunt voluntarium: alioquin qui assiduis precibus, ac muneribus aliquid ab altero obtineret, injuriam illi inferret, injustitiamque committeret, ut benè notavit Lessius cit. cap. 10. dub. 2. num. 14. in fine.

Neque videtur sufficere violentia interpretativa, sed requiritur violentia formalis, vel saltem talis, quæ violentiæ formali æquiparetur. Quia in odiosis, qualis est reservatio, stricta facienda est interpretatio secundùm strictam & propriam verborum significationem, non autem extendenda est ad impropriam, & interpretativam, (nisi ratio, vel necessitas cogat, quæ in hoc casu nulla intercedit) teste Suarez lib. 6. de legib. cap. 27. num. 10. Coriol. de cas. reser. par. 1. sect. 1. art. 5. Lezan. in summ. tom. 3. V. cas. reser. nu. 13. Et hinc solvitur ratio Lupi supra relata.

12 Addo, quòd preces, munera, blandiciæ potiùs augent, quàm minuunt voluntarium: sicuti docet S. Thom. 2. 2. quest. 6.

13 Dixi, nisi cum precibus conjunctæ sint minæ, aut metus reverentialis, ut si vir erat Puellæ dominus, vel magnæ auctoritatis, cui illa, animo repugnante, & quasi coacta copiam sui corporis concesserit, tunc enim preces, metusque hujusmodi censentur vi, & coactioni æquiparari: quo casu deflorator sicut verum committit stuprum, & contrahit obligationem ducendi in uxorem, vel dotandi stupratam puellam, sic etiam reservationem incurrit, hujusmodi stupro adnexam. Faciunt quæ habet Lessius cit. numero 14. Sanchez citat. disput. 14. Molina tract. 3. disputat. 106. numero 2. P. Navarr. citat. Trulench. lib. 7. cap. 9. disput. 3. Layman lib 3. tractat. 3. parte 2. cap. 13. num. 1. Mazuchell. disp. 2. cas. 23. num.....

ANNOTATIO III.

14 Verùm cùm stuprum Virgini per vim illatum modo prædicto possit esse duplex aliud perfectum, & consumatum, in quo vir copulam à Virgine extortam consumat per seminis emissionem intra Virginei pudoris claustrum; aliud imperfectum, & non consumatum in quo vir oblectatus defloratione Virginis per solam penetrationem claustri Virginalis, extra illud deinde semen effundit: propterea notare oportet, quòd stuprum priori modo commissum cùm perfectum, & consumatum sit per seminis emissionem intra pudoris Virginei claustrum: idcircò planum est existere etiam reservantis juris dispositioni obnoxium. Non ita verò stuprum posteriori ratione patratum. Nam quamvis in eo integra stupri malitia, & deformitas reperiatur; quia tamen ob deficientem seminis emissionem intra Virginis claustrum, incompletum ea ratione, & imperfectum manet. Idcircò extra telum etiam reservationis existere censendum est: Sicuti etiam diximus in posteriori Elucidarii parte cas. 5. annot. 3. in simili de incestu. Delicta enim non censentur Episcopali reservatione comprehensa, nisi fuerint consumata, teste Graff. parte 1. decis. aur. lib. 1. cap. 23. numero 71. Finell. de cas. reser. cap. 5. num. 4. Quæ doctrina intelligenda est, nisi aliud colligatur ex verbis reservationis, vel constet de mente Superioris reservantis. Nam si ipsa quoque criminis attentatio, & conatus expressis verbis reservationi subjiciatur, nemini dubitandum est, reservationem validam existere. Fateor in hoc casu, ad arcendas Virginum deflorationes, ac comprimendos earumdem defloratores, seù potiùs proditores, quòd

quòd Ordinarii providè se gererent, si stupri flagitium etiam non-consumatum sibi reservarent.

ANNOTATIO IV.

15 Ceterùm antequam ad casus practicos deflectamus, videndum est, quid sit virginitas, & cujusnam virginitatis violatio reservationi sit obnoxia. Quoad primum, præmittendum est, quòd virginitas, quæ à virore dicta putatur, eò quòd immunitatem à concupiscentiæ adustione denotet, dupliciter accipi potest. Primò, pro integritate carnis, quæ libidinosæ contagionis est expers. Secundo, pro voluntate, & proposito illius integritatis, ac puritatis conservandę perpetuò, vel ad tempus ab omni libidinosa contagione; & hoc modo accepta est virtus, quæ sic potest definiri. Virginitas est virtus, immunitatem à contagione libidinis, & carnis integritatem perpetuò tueri intendens, & proponens: colligitur ex Less. li. 4. c. 2. dub. 14. n. 96. Laym. lib. 3. sect. 4. num. 7. Quia posse inquinari, & non esse inquinatum, honestum quiddam est, & laude dignum.

16 Virginitas à castitate differt. Primò, quòd hæc etiam in conjugatis, atque corruptis, & pœnitentibus locum habere possit: virginitas non item: sed semel amissa per consensum voluntarium irreparabilis est, sicuti docent S. Hierony. epist. 22. ad Eustoch. S. Th. 2. 2. quæst. 152. art. 3. ad 3. Secundò, quia castitas hoc habet pro munere, ut à libidinis contagione abhorreat, & subjectum in posterum à tali macula liberum præservet: Virginitas verò ulteriùs denotat hoc subjectum nunquam fuisse libidinis labe fœdatum, quod in ratione castitatis non includitur. Lessius libro quarto, capitulo secundo, dub. 14. num. 99.

17 Quoad alterum quęsitum, videlicèt cujusnam virginitatis violatio reservationi sit obnoxia, diligenter est expendendum, utrum puella, à qua extorta fuit copula, re vera fuerit virgo, eò quòd integrum claustrum virginitatis servaret; vel fuerit corrupta per carnalem viri concubitum, quamvis ab omnibus reputaretur virgo: Nam ad incurrendam hanc stupri reservationem non sufficit, si Puella, cui vis fuit illata, ob omnibus reputetur virgo, si re vera sit corrupta: sed omninò requiritur, ut sit Virgo, cui nullus vir antea membro naturali claustrum virginitatis perfregerit. Litera enim, ut supponitur, loquitur de stupro Virgini illato, quæ revera sit Virgo, non autem de ea, quę ita tantùm ab omnibus reputetur. Neque obstat, quòd talis Puella coram Ecclesia pręsumatur Virgo, ita ut puniretur tamquam stuprator, qui hujusmodi Puellę vim inferret, quoties eam esse corruptam probare non posset. Qui id verum est secundùm judicium fori externi, quod nititur pręsumptionibus, quę sępenumerò sunt falsę. At nos loquimur de judicio fori pęnitentiæ, quod nititur, non præsumptionibus, sed veritate, quoties de ea constat. Ita Chapeavilla casu duodecimo, quæstione prima. Lupus casu decimoquarto, numero vigesimo tertio, quibus subscribit Mazuchellus casu vigesimotertio, numero vigesimosexto.

Dixi superius, cui nullus vir membro genitali virginitatis signaculum violarit. Quia si qua Puella se cani, aut alteri animali supponendo, pollueretur, etsi in præferino illo concubitu fractionem claustri pateretur, non ideò tamen deflorata, vel stuprata censenda foret. Quare si vir aliquis deindè copulam ab ea per vim extorqueret, verus stuprator, reservationi obnoxius habendus esset: Sicuti benè notavit Grassius in consilio de sententia excommunicationis numero quarto, & trigesimo secundo.

A N-

ANNOTATIO V.

18 Pro cujus doctrinæ clariori notitia notandum est, quòd virginitas potest dupliciter considerari, vel ut est status naturæ, vel ut est virtus.

19 Virginitas, prout est status naturæ amittitur. Primò, per voluntarium viri concubitum, sive in licito usu matrimonii, sive in illicito congressu. Secundò etiam per involuntarium concubitum, ut si puella per vim opprimatur à viro. Nam tunc etiam frangitur claustri virginalis signaculum, quod nihil aliud est, sibi astipulantibus peritissimis Medicis, quàm quædam complicatio partium ipsius orificii vasis fœminei, quæ per viri accessum dilatatur. Tertio amittitur per spontaneam, vel coactam admissionem membri virilis, turpitudinem aliquam exercentis etiamsi non sequatur seminario, modò talis sit, ut pollutionem excitare possit in natura sana, quamvis per accidens nõ excitet ob debilitatem, vel morbum, ut benè explicat Mazuchell.loc.citat. num.3. Quartò, secundùm Lessium per copulam sodomiticam, tam activam, quàm passivam, sive in fœmina, sive in viro. Probabilius tamen est per sodomiam passivam non amitti virginitatem, & multò minùs per alias turpitudines in aliis corporis partibus commissas, eò quòd in hujusmodi abominanda fœditate integrum, & illæsum maneat virginitatis signaculum, ut de illa patet.

20 Virginitas verò, ut est virtus, recuperabiliter amittitur. Primò per desideria turpia. Secundò per delectationem morosam. Tertiò per voluntatem nubendi. Quartò, per quemlibet actum venereum, citra seminationem activè, vel passivè commissum, modò voluntarius sit. Virginitas igitur his quatuor modis amissa, peracta pœnitentia, integrè recuperatur.

Dixi, modò actus venereus sit voluntarius. Nam si ratio voluntarii desit, etiãsi claustrum virginale violetur, virginitas nihilominus, ut est virtus, non amittitur. Unde Puella per vim corrupta, licèt amplius non sit virgo statu, seu carne, & naturaliter; animo tamen, & virtute, seu in genere moris adhuc est virgo, virginitatisque laudem, ac præmium retinet, & consequenter ei propria Virginum laureola debetur, teste S.Thoma In 4. dist. 33. q. 3. artic. 1. & in supplem. 3. p. qu. 96. art. 5. ad 4. Lessio loco cit. Layman cit. sect. 4. num. 8.

21 Quinimmò Puellam per vim corruptam posse accipere velum consecrationis, docet idem S. Thomas 2.2. quæstione 152. artic. 1. ad 3. Sylvester V. *consecratio Virginum*, quæst. 1. num. 20 Navarrus in manuali cap. 16. num. 3. Filliucius tract. 30. cap. 1. quæst. 6. nu. 25. Layman lib. 3. sect. 4. num. 8. & 9. Quia verè est incorrupta coram Deo. Quod verum est, dummodo violatio sit occulta, delectationique venereæ non consenserit. Lessius citato lib. 4. cap. 2. dubio 16. numero 115.

22 Irrecuperabiliter verò virginitas, ut est virtus, amittitur. Primò per carnalem commixtionem voluntariè cum viro habitam. Secundò per voluntariam pollutionem, etiamsi contingat absque copula, etiam in somno, dummodo in vigilia fuerit procurata, vel in causa directè intenta. Secùs, si omninò causaliter, quãvis ex causa etiam mala, verbi gratia, ebrietate, vel crapula accidisset: Tunc enim non amitteretur, sicuti communiter docent Doctores apud Lessium, Filliucium, & Laymanum locis citatis.

23 Hinc patet duplicem esse Virginitatis integritatem, alteram carnis, animi alteram. Quare Virgo alia integra est sola carne, alia integra est sola mente, alia denique tam carne, quàm mente.

24 Ad incurrendam igitur reservationem, violentæ deflorationi Virginis adnexam, ignorandum non est Confessariis opus non esse, ut Puella sit integra tam mente, quàm carne, sed sufficere, ut sit integra carne, hoc est, ut signaculum, sive pudoris Virginei claustrum integrum, & illæsum servet. Non tamen satis esse, si sit integra sola mente, corrupta verò per involuntarium viri concubitum. Ita colligitur ex Cajetano,

no, Armilla, Sà, Lessio, quos citat,& sequitur Layman citata sect.4. num. 8. versiculo *Dico secundò*. Filliucius citato capite 1. num. 25. Bassæus in floribus V. *Virginitas*, num.6. & expressè docet Bellochius de casibus reservatis parte 2.q.12. num.50 Mazuchellus de casibus reservatis disput.2. cap.23. quæst.1.num 8.& plures alii.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro Incidentibus.

1 EX prenotatis resolves primò illum reservatione ligari, qui per violentiam, & coactionem Virginem deflorat: Quia talis defloratio verè, & propriè stuprum Virgini per vim illatum. Constat ex annotatione secunda numero septimo, & docet Belloch. de cas. res. p. 2. q.12. n.63.

2 Idem resolves de illo, qui concubitum habet cum Virgine prorsus inuita, licet propriè absit violentia, & coactio. Quia hujusmodi copula venit nomine stupri Virgine per vim illati, teste Lessio lib.2. cap 10. dub. 1. num. 6. Belloch. cit. num. 63.

3 Eamdem resolutionem extendens ad eum, qui dolo, aut metu copulam à Virgine extorquet, actum consumando. Quia dolus, & metus æquiparantur violentiæ, talisque copula sub dispositione casus censeri debet comprehensa. Patet ex annotatione secunda numero septimo, & octavo.

4 Reservationis iaculum non effugit, qui defloravit Virginem invitam, cui priùs alter, vel ipsa, se polluendo, propriis manibus, aliovè instrumento pudoris claustrum perfregerit. Quia licet fortè Puella per talem fractionem amiserit virginitatem virtuosam, si in talem fractionem ex venerea delectatione consenserit, retinet tamen virginitatem naturalem: qua retenta, copula postmodum ab ipsa extorta verè dici debet, stuprum Virgini per vim illatum. Vide supra annotatione quinta numero decimo nono, & vigesimo quarto.

5 Ab hac reservatione non eximitur sponsus de futuro, si copulam à sponsa virgine, ante matrimonii celebrationem per vim, & metum extorqueat: Quia hujusmodi concubitus verè est stuprum Virgini per vim illatum. Nam, quamvis, sponsis de futuro amplexus, oscula, & tactus liceant, dummodo non sint impudici, neque adsit periculum pollutionis, aut consensus in illam, non tamen licent tactus partium verendarum,& multò minus copula. Chapeau. de cas. reser. cas. 11. q.2. Belloch. cit. n.68.

6 Idem ob identitatem rationis adæquatæ resolves de illo, qui cum honestam Virginem precibus, muneribus, ac blandiciis ad copulam flectere non posset, dolo, ac fraude illi matrimonium promisit, sicque ab ea concubitum extorsit. Quia fraus, & dolus in hoc casu censentur vi equiparari. Neque obstat nobilitatis, vel divitiarum imparitas: quia licèt fortè dolosus stuprator ob id non teneatur stupratam ducere, sed satis sit, si dotem illi tribuat: non ideò tamen excusatur à stupri flagitio, si revera dolo, & fraude ab ea (aliàs invita) copulam extorsit. Ita Suarez, Felin. Chapeavilla citato numero octavo quibus subscribit Lupus de casibus reservatis, casu decimo quinto num. 29.

7 Ligatur hac reservatione vir, qui per vim, & metum stupravit Virginem, actum consumando, licet ea esset immaturæ ætatis, viroque impotens. Quia concubitus cum Virgine tam maturæ, quàm immaturæ ętatis, quoties intercedit vis, consummatioque actus, verè est stuprum Virgini per vim illatum. Graff. *in consil.* 23. *de sent. excom.* nu.32. cui subscribit Mazuch. disp. 2. cas. 23. q. 1. n.15.

8 Idem resolves de illo, qui per vim, & metum copulam extorquet à Puella, de qua dubium subest, an esset Virgo. Quia Puella in dubio præsumitur virgo, teste Graffio loc.cit. & Mazuch. num. 17. Neque obstat facilitas coitus. Nam licet fortasse id arguat Puellam carere virginitate virtuosa, non tamen virginitate naturali, quæ sufficit ad rationem stupri, quoties intercedit vis, & metus

tus

tus ex parte viri. Vide supra resol.4. pro incidentibus.

9 Reservationi tandem est obnoxius, qui stuprum Virgini per vim intulit, antequam stupri flagitium in ea Dioecesi reservaretur, si deinde, inducta reservatione, petat absolvi. Ratio superiùs assignata est in casu sodomiæ num. 7. pro incidentibus: Quia per supervenientem reservationem manet Confessariis illius Dioecesis subtracta facultas absolvendi ab hoc delicto, sive illud ante reservationem fuerit commissum, sive post. Vide prędictam resol.7.

RESOLUTIVA PRAXIS.

Pro non Incidentibus.

1 NOn ligatur hac reservatione, qui per vim, & coactionem cognovit fœminam, quę ab altero priùs fuit corrupta Quia hujusmodi concubitus, licet per vim extortus, non est stuprum, sed alterius generis luxurię delictum.

2 Idem ob eamdem rationem resolves de illo, qui per vim cognovit Puellam, quę ab omnibus reputabatur virgo, re tamen vera non erat virgo, sed corrupta. Quia talis concubitus verè non est stuprum. Neque refert, quòd forum externum illum puniret tamquam stupratorem, quia id ageret ex pręsumptione, quę non habet locum in foro pœnitentię, in quo pręsumptio cedit veritati: Constat ex ann.4. num.17.

3 Non incidit, qui violenter se polluit super virginem, etiamsi eamdem ad pollutionem provocaret: Tum quia ad committendum stupri flagitium requiritur fractio virginalis signaculi per admissionem virilis instrumenti, quod non accidit in ea fœditate: tum quia licet voluntaria pollutio tollat in fęmina virginitatem virtuosam, non tamen virginitatem naturalem, cujus violenta iactura requiritur ad incurrendam reservationem. Bellochio quęst.12. num.77. Lupus casu 15.num.17.

4 Reservantis iuris dispositioni non est obnoxius, qui aliter, quam membro naturali virgini pudoris claustrum disrumpit, v.g. digitis, vel alio instrumento. Quia fractio virginalis signaculi alia ratione facta, quàm per carnalem viri concubitum, non continet externam stupri malitiam, & consequenter neque inducit reservationem. Mazuch. cit. q.2. num.20. ex Graff.

5 Idem resolves de perditissimo illo, qui masculum virginem violenta libidine corrupit. Quia stuprum propriè est illicita, & iniuriosa virginis fœminæ defloratio: concubitus autem nefarius cum puero virgine in vase præpostero non est stuprum, sed sodomia, de qua satis egimus supra. Chapeavilla casu vndecimo.

6 Reservationis jaculum effugit, qui copula à Virgine per vim extorsit, sed eam per seminis emissionem non consumavit. Quia non quodlibet stuprum reservationi est obnoxium, sed perfectum, & consumatum. Quod verum est, nisi aliud colligatur ex verbis reservationis, vel constet de mente Episcopi reservantis. Patet ex annot.3. n.14.

7 Immunis est ab hac reservatione, qui Virginem non invitam defloravit. Quia reservantis iuris dispositio, ut supponitur, comprehendit tantùm stuprum Virgini per vim, non verò consentienti illatum. Secus resolvendum si tantùm reservaretur simplex Virginis defloratio, uti disponit Edictum casuum in Dioecesi Mediolanensi reservatorum, apud Mazuchellum casu vigesimo tertio. Nam simplex Virginis defloratio nulla requirit violentiam. Bellochio, & Mazuchello loc. cit.

8 Idem resolves de illo, qui blandiciis, suasionibus, ac muneribus Virginem ad copulam flexit. Quia blandiciæ, ac munera non tollunt, sed augent voluntarium, blandèque alliciunt, teste S.Thom.2.2.q.6.

9 Eamdem immunitatem à reservatione, sed non à gravi crimine extendens, ad eum, qui precibus etiam importunis (seclusis minis, metuque reverentiali) Virginem ad sibi concedendam sui corporis copiam induxit. Quia preces etiam importunę, si absint minæ, non includunt

vim, & metum, & consequenter veram rationem stupri excludunt. Faciunt, quæ habet Trulen. lib. 7. cap. 9. disp. 3. Layman lib. 3. sect. 5. tract. 3. par. 3. cap. 13. nu. 3. Medulla theol. mor. lib. 3. tract. 5. dub. 6. art 4. nu. 3. & docet Mazuch. cit. cas. 23. nu. 39. contra Chapeau. cas. 11. q. 1. diff. 1. & Lup. cas. 15. num. 12.

10 Reservationi non est obnoxius sponsus per verba de præsenti, qui, nondum effluxo bimestri, quod conceditur sponsis ad deliberandum de ingressu in religionem, sponsam per vim cognovit. Quia concubitus ille non est stuprum, imò neque fornicatio, cùm non sit accessus ad alienam, sed ad suam. Et quamvis sponsus eo casu delinquat contra justitiam, eò quòd spoliet iure suo sponsam, non tamen peccat contra temperantiæ virtutem. Belloch. num. 68. & Mazuch. num. 28.

11 Extra telum reservationis existit, qui cùm circa pudenda Virginis, intercedente vi, & metu, se polluerit, absque vasis penetratione, Puellæ matrix semen intus attraxit, sicque gravida effecta est. Quia ad rationem stupri non sufficit attractio seminis à matrice, sed requiritur violatio claustri, sive virginalis signaculi per membrum naturale viri. teste Bellochio loco citato n. 76. & Mazuchello num. 22.

12 Idem tandem resolves de fœmina illa, quæ masculum virginem per vim, & metum ad copulam secum consumandam induceret. Quia stuprum propriè significat illicitam, & injuriosam Virginis fœminæ deflorationem, teste Layman lib. 3. sect. 5. tract. 3. par. 3. cap. 13. ex communi.

DE GRAVITATE

Hujus Delicti, & Obligatione Confessarii.

GRavissimum esse stupri delictum satis ex eo apparet, quòd ferè Ordinarii omnes illud reservationi subjiciunt; cùm graviora dumtaxat, atrocioraque delicta reservari soleant, iuxta saluberrimam Sacræ Congregationis monitionem, apud Quarantam in summ. Bullar. *V. cas. reseruat.* Adimitur enim Puellis improba vi virginitatis thesaurus, qui est inæstimabilis, ac irrecuperabilis.

Accedit, quòd Puellæ semel corruptæ, maximè si corruptio innotescat, cùm reddantur penè inhabiles ad nuptias, plerumque se prostituunt, turpissimamque vitam degunt, cum magna salutis spiritualis iactura & pernicie, quæ animarum detrimenta improbissimis stupratoribus fortasse erunt imputanda.

Confessarius igitur, qui stupratorem, corruptoremque Virginis ad se accessisse compererit, gravitatem delicti in primis ipsi patefacere debet: deinde ab eodem inquirere, num per vim, aut fraudem Virginem defloraverit, an verò ipsa in deflorationem consenserit.

Nam si stuprum Virgini per vim, dolum, aut injusti metus incussionem improbus deflorator, intulerit, tenetur eam vel in matrimonium ducere, vel tantam ei dotem tradere, ut æquè benè nubere possit, ac si corrupta non fuisset. Et cum in alternativis debitoris sit electio, sit malit tali modo dotare, non tenetur eam in uxorem ducere ante Judicis sententiam, etiamsi ipsa, & parentes ejus cupiant: sicuti tradunt Navarrus in manuali cap. 26. num. 18. Iulius Clarus, §. *stuprum*, numero tertio, Molina tractatu tertio disputatione centesima sexta numero secundo. Lessius libro secundo capite decimo dubio secundo. Sanchez libro septimo de matrimonio disputatione 14. numero 11. Layman libro tertio sectione quinta tractatu tertio parte tertia capite decimo tertio numer. 3. & alii plures.

Si verò in deflorationem Puella liberè consenserit, defloratorē ad nihil teneri, docēt prçcitati Doctores: nō defloratę, quia volenti, & consentienti non fit iniuria: neq; parentibus ejus, quia Puella habet dominium sui corporis, quo vel uti potest in legitimo coniugio, vel abuti per copulam fornicariam. Quæ doctrina procedit, etiamsi deflorator precibus importunis

tunis Virginem ad copulam induxerit: Quia preces quantumvis importunæ, si absint minę, non tollunt voluntarium. Et quod dicitur de precibus, multò magis habet locum, si blandiciis, & muneribus quis à Virgine copiam sui corporis obtinuerit. Munera siquidem vim non inferunt, sed blandè alliciunt: qua de re vide supra annotatione secunda num. 11. & 12.

Excipe tamen primò, si cùm facinus occultum esset; stuprator Puellam non sine injuria infamavit: tenetur enim damnum inde secutum filiæ, & parentibus ejus resarcire: sicuti resolvunt Molin. cit. numero 2. Layman citato cap. 13. numero 2.

Secundò, si Judex secutus sententiam contrariam, quòd injuria illata sit parentibus, quorum filia etiam volens constuprata est, stupratorem condemnet ad pœnam eam solvere debet.

Advertat tamen prudens Confessarius etiam in priori casu, si Puella ob illatum stuprum per vim, dolum, fraudem, &c. nullum aliud damnum passa fuit, quia facinus occultum mansit, & æquè benè nupsit, probabile esse ad nullam restitutionem obligari stupratorem ante Judicis sententiam: sicuti tradunt Navar. in man. cap. 17. num. 17. & 19. Lessius cit. cap. 10. dub. 2. Azor. tomo 3. lib. 5. cap. 5. q. 3. diff. 10. Laym. loc. cit. nu. 4. Vasq. de restit. cap. 3. §. 2. num..... dub. 3. contra Molina disp. 106. num. 6. Nam pro injuria, secluso damno, nulla restitutio fieri debet, in conscientię foro, teste ipso Molina loc. cit. n. 2.

Quod autem obiicitur de signaculi virginalis violatione: dico damnum istud reparabile non esse, neque pecunia æstimabile, cùm sit altioris ordinis.



SI IN ALIQUA DIOECESI

Reservatio fieret in his verbis.

Notarii legata pia intra duos menses à morte Testatoris non denunciantes.

Quomodo hæc verba essent intelligenda.

1 *Notarii significatio duplex.*
2 *Notarii nomine quinam propriè veniant in dispositione casus.*
3 *In scripturam redigentes legata pia, licèt ea intra bimestre denunciare intermittant reservationem non incurrunt, nisi sint Notarii publici.*
4 *Bimestres terminus in litera qualiter sit computandus.*
5 *Notarii hac reservatione non ligantur, nisi ultimus secundi mensis dies sit completus.*
6 *Dies alias naturalis, alius artificialis: & hic alius uniformis, alius difformis.*
7 *Alia subdivisio dierum in continuos, & utiles.*
8 *An, & quando dies utiles à casu sint exclusi.*
9 *Dies incœpta quando habenda pro completa.*
10 *Si ultimus secundi mensis dies sit bissextus, Notarius, legata pia denuncias illo die, à reservatione est immunis.*
11 *Notarius, qui fuit absolutus cum promissione denunciandi legata, si postea denunciationem omittat, rursus in reservationem incidit.*
12 *A reservatione lata ob bonam Ecclesiæ gubernationem non excusat ignorantia. Secus si in lege sit præcepta.*
13 *Notarius laborans probabili ignorantia legis ab Episcopo sub reservatione editæ, reservationem non incurrit.*
14 *Oblivio, inadvertentia, & inconsideratio æquiparantur ignorantiæ.*
15 *Notarius, ne legata pia denunciet, in longinquum se recipiens, delinquit mortaliter, à nulloque potest absolvi, quam-*

quamdiu contumax est Episcopalis præcepti.

16 *Notarius, ob dolosam absentiam, factus impotens ad denuncianda legata, reservationem non incurrit, nisi effluxo duorum mensium termino.*

17 *Notarius, si post mortem testatoris Diœcesim, ac forum mutet, an, elapsis duobus mensibus, in reservationem incidat.*

18 *Affirmatiuam sententiam nonnulli tenent.*

19 *Negatiuam probabiliorem putat Author.*

ANNOTATIO I.

1 NOtarii nomen, quamvis secundùm materialem vocabuli significationem extendi possit ad eos omnes, qui alterius facta, vel verba, aut nutus observant, & notant, siue id in scripturam redigant, siue non: tamen secundùm proprium, & formale significatum Notarii nomen comprehendit tantùm eos; qui publica Principis, aut Magistratus auctoritate sunt constituti, ut acta tùm in judicio, tùm extra judicium recipiant, ac in scripturam redigant.

2 Modò, cùm litera dicat, *Notarii legata pia, &c.* proculdubiò accipienda est de Notariis secundùm propriam, & formalem vocabuli significationem acceptis, qui scilicèt publica Principis, vel Magistratus auctoritate sunt constituti, ut instrumenta conficiant, ultimasque defunctorum voluntates in scripturam redigant, in quibus regulariter legata ad pias causas reperiuntur inserta.

3 Et quamvis legata ad pias causas valida, & firma existant, etiamsi in privata scriptura, imò solo nutu, vel voce sint relicta: ut constat ex dictis casu 9. annot. 2. nu. 4. & 5. nihilominus qui legata hujusmodi ad pias causas in scripturã redigunt etsi ea deindè intra duos menses denunciare intermittant in reservationem tamen non incidunt, nisi publici Notarii sint, publica auctoritate constituti.

ANNOTATIO II.

4 Notarii itaque cùm in ea Diœcesi lege Episcopali obligentur intra duos menses denunciare legata ad pias causas, oritur in primis difficultas, qualiter hi menses sint computandi. Pro quo notandum, quod in hac re dissensio est inter Doctores. Nam aliqui dicunt mensem continere vigintiocto dies, ex quibus quatuor hebdomadę consurgunt. Alii asserunt continere 30. dies, & horas quinque.

Cęterùm in casu nostro cùm litera dicat, ut Notarii intra duos menses legata ad pias causas denunciare teneantur, clarè indicat mensem computandum esse secundùm Kalendarii cursum, ac computationem, secundùm quam dies, qui deficiunt de uno mense, accipiendi sunt de sequendi, V. g. si dies mortis Testatoris accidisset die 10. Januarii, ultima bimestris erit 10. dies Martii, quia Januarius accipit decem dies à Februario, & Februarius à Martio. Quæ computatio eodem modo fieri debet, etiamsi contingeret annus bissextilis: quia dies, quæ crescit Februario, est ipsius Februarii, & adducenda est mensi Februarii, non Martii initio.

Notarius igitur tenetur legata pia denunciare intra duos menses à morte Testatoris, computando menses juxta cursum Kalendarii modo supra dicto. Alioquin, & lethali culpæ, & reservationis pęnę erit obnoxius.

Confessarios verò intra Provincię Mediolanensis ambitum existentes hìc monendos censui, in Notarios, qui intra tres menses à die habitæ de morte Testatoris notitię legata ad pias causas non denunciant, latam esse excommunicationem, ut patet ex Concilio Provinciali 1. *titul. de locorum piorum administratione*: & ex Provinciali 2. *tit.* 3. *decret.* 17. Quę excommunicatio cùm sit Episcopo reservata, Notarii contumaces ab ea per confessariũ simplicem non possunt absolvi. Qua de re vide in secunda Elucidarii parte cas. 1. pag. 17. num. 12.

A N-

ANNOTATIO III.

5 Enim verò vt Notarij legata pia non denunciantes hac reservatione ligentur, omninò requiritur, ut ultimus secundi mensis dies sit completus.

6 Pro quo notandum, quòd dies dividitur in naturalem,& artificialem. Naturalis constat vigintiquatuor horis, comprehendens lucem, & tenebras: qui dies tàm de iure, quàm consuetudine incipit à media nocte præcedentis diei, & durat vsq; ad mediam noctem sequentis. Artificialis verò incipit ab ortu Solis, & durat vsque ad occasum, iuxta Gloss. *in l. more Romano*, ff *de for.* Qui dies iterum duplex est, alter dicitur uniformis, quia semper incipit ab aurora, & durat usque ad crepusculum noctis: alter dicitur difformis, quia incipit in qualibet parte diei, & appellatur dies emergens, eò quòd aliquando incipiat manè, aliquando vesperè, prout factum accidit: sicuti constat *authen.hodie*, cap.*de appellat.*

7 Solent etiam dies dividi in continuos, & utiles: continui dicuntur, qui quotidie currunt diebus feriati, & non feriatis,in præsentia & inobedientia. Utiles verò non currunt diebus feriatis, & absentiæ, & quibus non est agendi facultas; de quibus Glossa singul. in *Clementina vnica de restitut. in integrum*.

Dispositio igitur iuris reservantis intelligenda est tum de die naturali, qui comprehendit lucem,& tenebras,tum de die difformi, qui incipit in qualibet diei, vel noctis hora ita ut ab hora mortis testatoris, & ipsius scientiæ currant pro singulo die 24 horæ, quæ diem naturalem constituunt.

8 Vtrum verò à casu excludendi sint dies utiles.

Respondeo in casu absentiæ esse excludendos. Vnde si Notarius iusta de causa abfit; ideòque legata denunciare non possit, etsi elabatur interim duorum mensium terminus, nullam tamen reservationem incurrit. Dies verò continui nunquam à casu sunt exclusi. Nam duorum mensium dies currere debent diebus tam feriatis, quàm non feriatis.

Notarii igitur in hanc reservationem non incidunt, nisi ultima secundi mensis dies naturalis, difformis, & utilis modo supra dicto fuerit completa.

Dices. In favorabilibus dies incœpta habetur pro completa: Atqui dispositio iuris reservantis est favorabilis, cùm Episcopus obliget Notarios, vt intra duos menses legata pia denuncient, in Ecclesiæ, aliorumque piorum locorum favorem. Ergo dies ultima secundi mensis, licèt tantùm sit incœpta, habenda est pro completa.

Resp. quòd hęc reservatio, licèt quoad legatarios sit favorabilis, est tamen odiosa quoad Notarios, quibus negatur sacramentalis absolutio, nisi intra duos menses legata pia denuncient: Ideòque non sufficit, si ultima secundi mensis dies sit incœpta, sed opus est, vt sit completa.

9 Addo supra dictam regulam, quòd dies incœpta habenda sit pro completa, habere locum, quando tempus est designatum per annos,non per dies,vel menses, ut notavit Nalbus V. *tempus n.* 3.

ANNOTATIO IV.

10 Quid autem, si in secundo mense annus bissextus contingeret, in illoque intercalari die dumtaxat Notarius legata pia denunciaret, an tunc in reservationem incideret.

Responsio est negativa, Notarium scilicet in tali casu reservationem non incurrere. Et ratio est, quia tunc dies accrescens ratione bissexti, cùm sit verè Februarii, vt supra dictum est, Notarius tali die denuncians verè intra duos menses denunciaret. Pro quo notandum ex Gloss. *in cap. quæsivit de verbor. significat.* Syluest. *v bissextus*, Durant. *rational. Divin.offic.* lib.8.c.3. & aliis, quòd annus significat spatium, quo Sol suum cursum peragit, quem conficit 365. diebus, & sex horis, quæ sex horę 4. annorum decursu seorsim reservatę quarto anno in 24. horas coalescunt, unumque diem natura-

lem componunt;qui dies dicitur intercalaris, seu bissextus: Intercalaris quidem, quia inseritur,seu intercalatur Mensi Februario, tamquam breviori, post diem 23. Bissextilis autem, eò quòd bis moramur in una litera Kalendarii. Siquidem illo anno bis pronunciatur sexto Kalendas Martii, ubi interponitur ille dies,scilicet in die 24 Februarii.

Dicimus igitur diem illum intercalarem, seu bissextum, si fortè in secundo mense contingeret, computandum esse, ita ut Notarius reservatione non ligetur, si legata ad pias causas illo bissextili die denunciet. Nam dies 29. bissextilis, quoties favorem importat, pro duobus diebus Februarii est computanda, ut ex cōmuni docet Sanchez lib.2.de matrim.disput.24. n.18. Atqui dies illa bissextilis in nostro casu Notario favorem importat, ne reservationem incurrat: Ergo pro duobus diebus est computanda.

ANNOTATIO V.

11 Sed hinc emergit dubium. Si Notarius à culpa reservata, ob intermissam denunciationem intra præfixum terminum, per Confessarium facultate præditum fuerit absolutus cum promissione denunciationis quantociùs faciendæ, dato postea, quòd promissionem non impleat, utrum denuò in reservationem incidat.

Responsio est affirmativa, Notarium scilicet, si post absolutionem, legata pia non denunciet, cùm commodè denunciare possit, transactis aliis duobus mensibus, rursus in reservationem incidere, nisi iusta causa excusetur. Et ratio est, quia præceptum Episcopi denunciationis faciendæ intra duos menses non cessat per elapsum præscripti temporis, neque per obtentam absolutionem, sed adhuc durat, & urget. Ideòque Notarius denunciationem omittens, inobedientiæ gravis, & mortalis damnari debet: & consequenter, elapso præfixo termino, denuò reservationem incurrit. Siquidem duorum mensium terminus non est præfixus ab Episcopo ad obligationem denunciandi finiendam, sed ad eam solicitandam. Nam finis Episcopalis præcepti eò respicit, vt legata ad pias causas innotescant, damnaque Ecclesiarum reparentur, quod non fieret, si obligatio denunciandi eo casu cessaret. Et ita de hac difficultate à me consultus respondit, & in facti contingentia non semel se ita censuisse mihi asseruit Reuerendissimus Dominus meus Abbas Pompilius Pelliciolus, Cathedralis Basilicæ Bergomensis Canonicus, ac in Episcopali Curia eiusdem Urbis Generalis Vicarius, Vir tum dignitatum, ac meritorum insignibus, tum universæ doctrinæ radiis pręfulgens: cujus Sapientia, Prudentia, Æquitas,ac Pietas Urbi, orbique Bergomeo admiratione pariunt, ac felicitatem.

Secus tamen dicendum, si Notarius laboraret probabili ignorantia legis de denunciandis legatis piis ab Episcopo latæ, ac promulgatę.

ANNOTATIO VI.

Pro cujus exceptionis intelligentia notanda est distinctio, quam in priori Elucidarii parte resol.31.attulimus,quòd duplex genus datur reservationis. Altera, quæ simpliciter fit ad bonam Ecclesiæ gubernationem, vt graviora quędam delicta adminiculo reservationis, si fieri potest, corrigantur, nefariique, ac perditi homines ob difficultatem impetrandæ venię ab hujusmodi sceleribus retrahantur. Altera est, quę in lege à Superiore imponitur, ad inducendam illius legis observationem.

13 Et quidem reservatio prioris generis delinquentem ligat, etsi reservationem tali delicto adnexam ignoret. Quia reservatio ad bonam Ecclesię gubernationem inducta propriè non est pœna, sed negatio iurisdictionis, ut sępè dictum est. Reservatio posterioris generis transgressorem legis Episcopalis non ligat, quoties laborat probabili ignorantia ejusdem legis. Quia talis reservatio se habet per modum pœnę in transgressores Episcopalis constitutionis impositę.

tę. Unde eo casu sicut probabilis ignorantia editę legis excusat à transgressione ejusdem legis, ita etiam ab adnexa reservatione. Patet ex cap. 2. *de constit. n.6. Vt animarum*. Cùm ergo in nostro casu Notarius ex suppositione laboret probabili ignorantia legis ab Episcopo sub reservatione editę, de denunciandis legatis piis, quę reservatio inducta est ad inducendam ejusdem legis observationem. Idcircò Notarius eam ignorans ab ea incurrenda excusabitur. Vide, quę diximus in priori Elucidarii parte cit. resol.31.& Doctores ibid.cit.

14 Quod dicitur de ignorantia, idem dicendum est etiam de inconsideratione, seu oblivione non crassa, aut supina Episcopalis constitutionis, teste Laym. lib.1. tract 5.c.5.n.7.Quia inconsideratio, & oblivio, in ordine ad excusandum à culpa, ęquiparantur ignorantię, ab eaque non differunt, nisi quòd inadvertentia,& oblivio actum solùm, ignorantia verò habitum importet: sicuti rectè notant Suar.t.5. in 3.p. disp.4. sect. 8. num. 5. & 8. Laym.cit. num. 7. Quare sicut probabilis ignorantia excusat Notarium ab incurrenda reservatione, ita etiam inconsideratio, inadvertentia,& oblivio. Graff. in praxi lib.2.cap.21.num.33.

ANNOTATIO VII.

15 Quid autem, si Notarius, Testatoris morte audita, ne legata pia denunciare cogatur, ita suadentibus hęredibus, in longinquum se recipiat, ita ut postea, etiamsi velit, non possit intra duorum mensium terminum legata ad pias causas denunciare: Utrum scilicet eo casu censendus sit contumax, ac reservatione ligatus post effluxos duos menses dumtaxat, an vero à die, in cujus residuo constat. Notarium pręceptam denunciationem executioni mandare non posse.

Respondeo primò, Notarium statimq; mala fide, ac fraude in longinquum se recepit, contumacem censendum esse, ac mortalis peccati reum: Ideòque à nullo Confessario posse absolui, quandiù in eo pravo, ac contumaci animo persistit. Siquidem absolutionis non pręsumitur capax; cùm in mortali peccato scienter, & voluntariè existat.

16 Respondeo secundò Notarium in prędicto casu reservatione non ligari, nisi post effluxos duos menses à die mortis Testatoris. Quia pęna legalis addicta certo tempori non incorritur, nisi post lapsum totius temporis à lege pręscripti: sicuti constat ex *cap.commissa de elect.n.6.* & *cap.licet*. Ubi deciditur, quòd pęna vacationis beneficii statuta in Parochum, qui intra annum non promouetur ad omnes ordines sacros, non habeat locum, nisi post integri anni decursum: cum tamen constet, si nondum imitari cœperat, ante anni lapsum omnes ordines ab eo suscipi non posse. Atqui reservatio lata in Notarium legata pia non denunciantem termino duorum mensium, est pęna legalis, ut superiùs probatum est: Ergo non incurritur, nisi post effluxum duorum mensium terminum.

Dices. In *l.cùm stipulatus sim mibi* 113. *ff. de verb. oblig.* expresse deciditur in promissione aliquid efficiendi ante Kalendas Iulii sub certa pęna eam incurri ex eo tempore, in cujus residuo constat opus promissum perfici non posse. Ergo Notarius videtur reservatione ligari, non post lapsum duorum mensium, sed ex eo tempore, in cuius residuo constat pręceptam denunciationem ab eo fieri non posse.

Respondeo legem superiùs allatam, *cùm stipulatus*, &c. intelligendam esse de pœna conuentionali, non legali, quę in hoc inter se differunt, quòd pęna conuentionalis ita dicta, quia ex partium conuentione, & consensu statuitur, incurritur statim ac constat in reliquo temporis opus promissum impleri non posse. Pœna verò legalis, ita dicta, quia decernitur à lege, non incurritur, nisi post totius temporis lapsum. Nam minùs agitur cum lege, quam cum nomine. Atqui reservatio lata in Notarium legata non denunciantem est pœna legalis, vt constat ex supradictis. Ergo, &c.

Sed rursus contra secundam responsionem obiicies. In *cap.ut animarum*, &c. de constit.lib.6.habetur, quòd extra territorius

rius

rius jus dicenti impunè non paretur. Sed Notarius in prædicto casu extra territorium existit. Ergo Episcopo reservanti impunè non paret, & consequenter reservatione non ligatur.

Respondeo illam regulam habere locum, quando Superior aliquid decernit per statutum, quod primariò afficit territorium secundariò verò in territorio existentes. Non ita verò, quando Superior aliquid decernit per præceptum, sive sententiam etiam generalem, quę immediatè afficit personas sibi subditas. Nam eo casu subditi obligantur ipsi parere, etiam si extra territorium existant, dummodo eidem Superiori subjectionem servent. Modò reservatio in hoc casu lata est per præceptum, sive sententiam generalem, estque pœna à Superiore ad inducendam illius præcepti observationem imposita, quæ afficit non solùm Confessarios, sed etiam Notarios ipsos contumaces; Ideòque, secluso prementis necessitatis casu, non possunt absolvi, etiam si extra territorium existant, nisi priùs legata pia denuncient.

Neque huic responsionis adversatur doctrina tradita in priore Elucidarii parte resol. 22. ubi diximus, reservationem afficere dumtaxat Confessarios, non verò pęnitentes: Quia ibi sermo est de reservatione lata ad bonam Ecclesię gubernationem, ut grauiora quædam delicta impediantur: hìc verò loquimur de reservatione à Superiore per prępeptum, sive sententiam generalem imposita, in legeque præcepta, quę afficit non solùm Confessarios, sed etiam Notarios contumaces, quamvis extra territorium existant.

(.:)

ANNOTATIO VIII.

17 Major difficultas est, si Notarius post mortem Testatoris, intermissa culpabiliter legatorum piorum denunciatione, Dięcesim, ac forum mutet, an elapso duorum mensium termino adhuc reservationem incurrat.

18 Affirmativæ sententiæ videtur adherere Graff. *in praxi* lib. 2. cap. 21. nu. 43. & nonnulli alii ea ratione nixi, quod pręventus à Judice sortitur ipsius forum. Notarius autem in hoc casu ante mutationem Dięcesis, & domicilii per generalem sententiam reservationis censetur ab Episcopo pręuentus: Ergo sortitur ipsius forum, non obstante, quòd mutaverit Dięcesim, & domicilium: & consequenter post effluxum duorum mensium terminum, ajunt, censendum esse reservationi obnoxium.

19 Sed opposita sententia videtur probabilior, & sustinenda. Et ratio est, quia ubi cessat subjectio, cessat, & jurisdictio, sed in Notario, mutatis Diæcesi, & foro, cessat subjectio respectu Episcopi reservantis: Ergo & jurisdictio ejusdem Episcopi respectu illius Notarii. Major est clarą: quia jurisdictio, & subjectio sunt correlatiua. Minor probatur, quia subjectio Episcopo, & Parocho, quoad susceptionem, vel negationem Sacramēti pęnitentiæ, jure ordinario oritur ex constitutione domicilii, vel quasi domicilii in Dięcesi, vel Parochia: sicut colligitur ex *l. domicilium*, & docet Gloss. *ad municipalem*, *& de incolis*, *& in Clem.* 1. *de privilegiis*. Abbas *capite cùm contingat, num.* 19. *de foro compet.* Sanch. lib. 4. moral. cap. 37. n. 24. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 10. nu. 5. & 6. Atqui Notarius in casu proposito, facta reali migratione, non habet ampliùs domicilium, vel quasi domicilium, in Dięcesi Episcopi reservantis: Ergo in ordine ad Sacramentum pęnitentię non est amplius Episcopo reservanti subjectus, sed Episcopo Dięcesis, & Parocho loci, quò migravit: & consequēter, elapsis duobus mensibus, non incurrit reservationem ab Episcopo derelictæ Dięcesis impositam.

Con-

Confirmatur, quia reservatio huius casus licèt, sit pœna, est tamen pœna, quæ respicit forum internum pœnitentiæ, vel conscientiæ, non verò externum, ac contentiosum Iustitiæ. Siquidem limitat Confessariis jurisdictionem activam, & Notariis subiectionem passivam in ordine ad sacramentalem absolutionem. Cùm ergo Notarius, mutatis Diœcesi, ac foro, non sit amplius subiectus, quoad Sacramentum pęnitentiæ, Episcopo reservanti, sed Episcopo Diœcesis, & Parocho loci, quo demigravit: Idcircò, effluxo duorum mensium termino, etsi delinquat mortaliter contra proprium officium, hac tamen reservationem non ligatur, dato, quòd in ea Diœcesi Notarii legata ad pias causas non denunciantes reservationi non sint obnoxii. Ita suadeor, suasioniq, meæ, hac de re à me consultus, astipulatus est Reuerendiss. Dominus meus P. Donatus Caluus Bergomensis, Augustinianæ Congregationis Lombardiæ Præsul, olim Generalis, vir morum integritate, singulari prudentia, egregiaq; doctrina spectatissimus, cuius Sapientiæ præstantiam meritorumq; prærogativam satis deprædicant complures egregiæ notæ ab ipso in lucem tum editæ, tum edendæ lucubrationes.

Neque dicas Notarium eo casu fieri subditum ratione delicti, quia subiectio ratione delicti non habet locum in delictis respicientibus dumtaxat forum internum pęnitentiæ, sed in delictis spectantibus ad forum externum, & punitivum. Sicuti constat ex *cit. cap. de foro compet. & arg. cap praeterea 2. de appellat* & tradit Gloss. *in dicto cap. praeterea*. Delictum autem Notariorum in nostro casu, quatenus ejus absolutio reservationi est obnoxia, respicit forum internum, non externum; vt de se patet.

Neque par est ratio de censuris, & de reservatione. Nam iudicium de censuris per sententiam etiam generalem latis, quando de earum violatione constat, spectat ad forum externum: iudicium verò de reservata absolutione culpæ, sive culpabilis transgressionis legis spectat ad forum internum pęnitentiæ.

Hinc patet responsio ad fundamentum oppositæ sententiæ. Nam præventio Iudicis habet locum dumtaxat in causis fori externi, non interni. Reservatio autem lata contra Notarios respicit forum internum, hoc est, privationem Sacramentalis absolutionis: & consequenter Notarius, mutatis Diœcesi, & foro, non est obnoxius huic reservationi.

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro Incidentibus.

1 EX prænotatis generaliter resolves, reservatione ligari Notarios eos, qui publica auctoritate constituti, scienter, & contumaciter legata ad pias causas intra duos menses à morte Testatoris denunciare intermittunt, computando menses iuxta computationem, & cursum Kalendarij, de quo supra annot. 2. nu. 3. & 4. Notarij verò intra Provinciæ Mediolanensis ambitum existentes, si legata pia intra tres menses à morte Testatoris contumaciter non denuncient, excommunicationem latæ sententiæ Episcopo reservatam incurrunt. Vide prædictam ann. 2. n. 4. in fine.

2 Idem resolves de Tabellione, qui quodcumque legatum pium contumaciter intra præfixum terminum denunciare intermittit, licèt illud factum sit in testamento minùs solemni. Quia legata ad pias causas in testamento minùs solemni relicta sunt valida, & firma, vti probavimus supra cas. 9. ann. 2. n. 5. Ideòque persolvi, ac denunciari debent.

3 Notarius, qui à reservata culpa fuit absolutus cum promissione denunciationis faciendæ, si postea denunciationem culpabiliter intermittat, effluxis duobus mensibus, rursus reservationem incurrit. Quia per obtentam absolutionem non cessat Episcopalis præcepti obligatio. Constat ex annot. 5. n. 11.

4 Non eximitur Notarius, qui audita Testatoris morte, ne legata pia denunciare cogatur, in aliam Diœcesim se transtulit, sed ibi domicilium non fixit. Nã post effluxos duos mẽses reservatione ligatur. Quia hæc reservatio, cùm sit pęna per

prę-

prçceptum, sive sententiam generalem lata, afficit Notarios etiam absentes, dummodo Episcopo reservanti maneant subjecti: patet ex annot. 7. num. 16. *versic. sed nunc*.

5 Ab hac reservatione non sunt immunes Notarii contumaciter legata pia intra prçfixum tempus denunciare omittentes, etiamsi alia via Ecclesiæ, vel loco pio eadem legata innotescerent. Quia Ecclesiç debent authenticè patere substantia, qualitates, cetereque circumstantiç instrumenti testamentarii; quod sine legitima, & authentica Notarii denunciatione fieri non p test. Gloss. *cap. concertationi, in verb. sciverit de appellat. in 6.*

RESOLUTIVA PRAXIS

Pro Non Incidentibus.

1 IN hanc reservationem non incidũt, qui deficiente Notario publico, jussu Testatoris in privatam scripturam redigunt nonnulla legata ad pias causas ab eodem Testatore disposita, si deinde ea intra prçscriptum tempus notificare omittant. Quia litera loquitur, & accipienda est de Notariis publica auctoritate constitutis; in odiosis autem non est facienda extensio.

2 Immunes ab hac reservatione sunt Notarii, qui legata non ad pias causas, sed prophanas intra præfixum duorum mensium terminum denunciare negligunt. Patet ex litera. Quçnam autem habenda sint legata ad pias causas, vide in secunda Elucidarii parte cas. 9. part. 1. annot. 1. n. 2. Notarii tamen in hoc casu possunt delinquere mortaliter tùm contra proprium officium, si diu, vel dolosè denunciationem differant, tùm etiam ratione damni, quod inde provenit legatariis, ad cujus refectionem etiam in defectum hçredum possunt obligari.

3 In specie resolves non incidere Notarium, qui ultra duos menses differt denunciare legatum vel personæ diviti, vel consanguineo pauperi relictum. Quia hujusmodi legatum non habetur piũ: siquidem in priori casu defici: paupertas in legatario, in posteriori pietas in legante affectu sanguinis prævalente pietati, quæ conditiones, ac qualitates simul requirũtur ad constituendum legatum pium, teste Sanch lib. 1. de matr. disp. 4. n. 6.

4 Reservationi non est obnoxius Notarius, intermittens legata ad pias causas denunciare, nisi ultima secundi mensis dies naturalis, difformis, & utilis fuerit completa: constat ex annotat. 3. num. 5. & 6.

5 Non incidit Notarius, legata pia intra duos menses notificare intermittẽs, eò quòd invincibiliter ignoret Episcopalem constitutionem de denunciandis legatis piis Quia probabilis ignorantia eo casu sicut Notarium excusat à mortali transgressione Episcopalis legis, sic etiam ab adnexa reservatione: patet ex annot. 6. n. 13. & 14.

6 Eamdem à reservatione immunitatem extendes ad Tabellionem, qui laborat ignorantia concomitante, videlicèt qui ita animo est dispositus, ut tametsi Episcopalem constitutionem non ignorarer, denunciationem tamen legatorum piorum adhuc intermitteret. Quia reservatio (sicut etiam censura, irregularitas, & restituendi obligatio) nunquam incurritur propter pravum operantis affectum, sed propter externam Ecclesiasticç legis transgressionem. Graff. in praxi lib. 1. c. 4. regul. 3. n. 7. & Januar. de cas. res. resol. 31. num. 1. & 2.

7 Idem resolves de Tabellione, qui ex inconsideratione, seu oblivione non crassa, vel supina Episcopalis præcepti legata ad pias causas notificare omittit: Quia inconsideratio, inadvertentia, & oblivio in jure æquiparantur ignorantiæ. Vide supra annot. 6. n. 14. & Doctores ibi. cit.

8 Non ligatur hac reservatione Notarius, qui justa de causa abest, ideòque legata pia intra præfixum terminum denunciare non potest. Tùm quia eo casu Notarius quemadmodum excusatur à mortali culpa, ita etiam à reservationis pœna. Tùm quia legitimè impedito non currit tempus.

9 Excusatur ab hac reservatione Tabellio, si ex legatorum denunciatione

gra-

grave damnum sibi timeat ab hæredibus inferendum. Quia lex humana non pręsumitur cum tanto dispendio obligare. Quod tamen intelligendum est, nisi damnum Ecclesiæ adeo præponderaret, ut prudentis Confessarii judicio Notarius etiam cum gravi suo ipsius damno notificare legata teneretur.

10 Idem ob eamdem rationem resolves de Notario, qui ex metu gravis mali omittit legata ad pias causas denunciare: ut si hæres gravia mala in vitæ, vel famæ bonis Notario intentet, si attentet legata in testamento, vel codicillo contenta patefacere. Neque alia censetur esse mens legislatoris, quàm ut reservantis legis obligatio cesset in tali casu. Faciunt, quæ habet Layman lib.1.tr.4.c.14.n.5. Bonac. de legib. disp.2.q.8. punct.2.n.6.

11 Extra telum tandem reservationis censetur existere Notarius ille, qui nondum effluxis duobus mensibus à morte Testatoris, Diœcesim, ac forum mutavit. Ratio adducta est supra annot.8. num.19. Quia facta reali migratione, sicut eo casu, quoad forum pœnitentiæ, cessat in Notario subjectio respectu Episcopi reservantis, ita etiam in Episcopo cessat jurisdictio respectu illius Notarii. Vide prædictam annot.8. & Doct. ibid. cit.


DE GRAVITATE

Hujus delicti, & obligatione Confessarii.

GRaviter profectò delinquunt Notarii, qui vel incuriosos, vel pervicaces se prębent in denunciandis legatis; & multò graviùs, si prece, vel pretio (ut non rarò accidit) ab hęredibus corrupti, legata ad pias causas subdolè, ac fraudulenter occultent: illis siquidem subductis, interclusa manet via compellendi hæredes ad satisfaciendum legatis; sicque defraudantur Ecclesię, loca pia, ipsique miseri Testatores defuncti, cum magno eorumdem damno, & detrimento. Quam Notariorum improbitatem, ac perversitatem ut coercerent, plerique Ordinariorum tanti sceleris judicium sibi reservarunt.

Quod attinet ad Confessarium simplicem, si quem Notarium vel incuriosum, vel contumacem in denunciandis legatis piis repererit, in primis illi aperiat tùm gravitatem delicti, quæ potissimùm ex eo potest conjici, quòd ejus absolutio in ea Diœcesi reservata sit Episcopo: Tùm gravia damna, quę Ecclesiis locis piis, ipsorumque animabus Testatorum ex subdola, vel injuriosa legatorum occultatione proveniunt, ad quorum refectionem in defectum hæredum ipse tenetur: sicque illum ad præceptam legatorum denunciationem inducat; ad Superioremque pro absolutione remittat, pręterquam si ipsi constaret Notarium ex justâ, & rationabili causâ à denunciatione excusari.

Confessarius verò privilegio absolvendi ab hoc casu munitus advertat, quòd nec ipsi licet Notarium absolvere, nisi à contumacia recesserit, hoc est, nisi præceptam legatorum denunciationem præmiserit, uti regulariter præscribitur in concessione facultatis absolvendi ab hoc casu cum limitatione; vel saltem seriò spondeat se, cùm primùm poterit, legata denunciaturum. Alioquin contra pręceptum Episcopi aget, lethalemque culpam non effuget.



FINIS.

INDEX



INDEX RERVM, ET VERBORVM,

Quæ in utraque voluminis Parte secundùm Alphabeticum ordinem continentur.

Litera P. partem, 1. primam, R. resolutionem, P. partem, 2. secundam, cas. casum, an. annotationem, n. numerum, pag. paginam significat.

A

B

Ban-

tendi

D



E

vens

Ho-

Ju-

L

M

Ma-

Pæ-

R

Stu-

T

Te-

FINIS.

